REPETITIO SANAE DOCTRInæ Reuerendiſsimi in Chriſto Patris, D. D. Martini Lutheri,

De Persona Christi & De Coena Dominica.

Sum ex libris Johannis Hrisfeldii Waltorffensis.

In Academia VVittembergenſi propoſita.

DE QVA, DIVINO FAVENTE NVMINE, PRAESIDE D. IACOBO ANDREAE, ſuam Confeſſionem edituri ſunt ad diem 17. Octob. & ſequentes, Anno Chriſti 1580.

Pro licentia in Theologia conſequenda.

M. Ioannes Schutz Academiæ Cancellarius.
M. Martinus Heinricus Theol. Profeſſor.

A

יִשְׂמַח לֵב מְבַקְשֵׁי יְהוָה׃

A

STVDIOSAE IVVENTVTI IN ACADEMIA VVITTENBERGENSI

Jacobus Andreæ D. Salutem in Christo.

NON IGNOTVM EST, SENIORIBVS maximè, qui in hac vrbe viuunt, ſuauiſſimum & pulcherrimum conſenſum, viuente D. LVTHERO, inter docentes & diſcentes in hac inclyta & celeberrima Academia fuiſſe. Quem virum Deus, tanquam ſingulare organum, ad repurgandam doctrinam Eccleſiæ ſuo Spiritu, hiſce nouiſſimis temporibus excitauit.

Quàm triſtes verò mutationes, quàm perniciosæ diſputationes, animorúmque contentiones, mortem eius ſecutæ ſint: magno ſuo damno & Eccleſiæ & Scholæ harum Regionum expertæ ſunt.

Etſi verò hæc ipſa certamina multa & varia, de pluribus doctrinæ cæleſtis capitibus fuerunt, quæ viuo Luthero magno & pio conſenſu tradebantur: Vnum tamen præ reliquis omnibus nocētiſſimum fuit, quod de perſona CHRISTI & cœna DOMINI exortum eſt. Id quamuis non ſtatim erupit, ſemina tamen eiuſdem, dum adhuc in viuis eſſet Lutherus, ſpargebantur: quæ poſtea paulatim creuerunt, & in tenebris innocenti iuuentuti inſtillata ſunt, donec inſtar ignis latentis progreſſu temporis vires acquiſiuit, & in maximum incendium tandem euaſit.

Non enim apertè agebant, qui oppreſſionem doctrinæ Lutheri de Cœna Domini meditabantur, quod vt in aliis omnibus, ita maximè in profeſſione veritatis doctrinæ cæleſtis ingenuos homines decebat. Sicut Chri-

ſtus inquit: Ego palàm locutus ſum Mundo, Ego ſemper docui in Synagoga & in Templo, quò omnes Iudæi conueniunt, ET IN OCCVLTO NIHIL LOCVTVS SVM.

Sed cum nequiter affirmarent, quoties ratio fidei, etiam per ſummum Magiſtratum, ab ipſis exigebatur, ſe conſtanter in doctrina D. Lutheri de cœna Domini permanere, cum nihil minus in animo haberent aut crederent: aſtutè primò omnium doctrinam ipſius de perſona Chriſti, oppugnare cœperunt. Quamuis id quoq; non apertè contra ipſum, ſed contra D. Brentium, virum de Ecclesia Chriſti optimè meritum, eiuſque fidos & ſynceros Collegas, alioſque viros doctos tentabant, per quorum latus D. Lutherum & ipſius doctrinam petebant.

Nominis enim Lutheri autoritas & celebritas eis obſtabat, quò minus ipſum apertè & planè, ſed tectè, inſidioſè, & quaſi per circuitum damnarent.

In ſpe enim minimè dubia erant, ſi Iuuentuti omnibuſque ſuis auditoribus perſuaderent, corpus Chriſti, ſalua veritate humanæ Naturæ, ſimul & ſemel non niſi in vno loco eſſe poſſe, ſe deinceps Caluiniſtarum opinionem de abſentia corporis Chriſti in cœna Domini facilè obtinere poſſe. Qui enim hoc negarent, omnibus iudicio Eccleſiæ damnatis hæreſibus Martionitarum, Neſtorianorum, Eutychianorum, Arrianorum, Monothelitarum ſubiectos eſſe, plenis buccis vociferabantur. His enim emblematis doctrinæ D. Lutheri fideles cuſtodes & propagatores ornabant.

Qua in re eò impudentiæ progreſſi ſunt, vt ſocios ſibi Ieſuitas, profeſſos veritatis hoſtes, apertè adiungerent. Quorum Theſes impias, & in Maieſtatem Ieſu Chriſti ad dexteram omnipotentis Patris ſedentis blaſphemas, primùm quidem Ingolſtadij propoſitas & impreſſas, ſecundò etiam hîc VVittembergæ non modò

Typis

Typis excudi, sed Rectoris quoque Academiæ Encomio ornari, & studiosæ Iuuentuti solicitè cõmendari curauerunt, in qua ita breuiter, disertè, distinctè, itáque rectè ac benè doctrinam de vnione personali duarum Naturarum in Christo & communicatione Idiomatum comprehendere ac exponere studuerint, vt boni publici causa denuò hîc exprimendas censuerint: Quò in Ecclesia orthodoxa extent hæc capita ante oculos eorum, qui discunt doctrinam Ecclesiæ, vt in promptu sit formula sanorum verborum, qua de his rebus ex verbo Dei & consensu Antiquitatis piæ ac orthodoxæ vtendum sit, quámque monstrosis illis & abhorrentibus nouorum Eutycheorum commentis discentes opponere possint. Hactenus verba Rectoris, qui eo tempore fuit.

Quod tamen non præfatione, quemadmodum decebat, & persona Rectoris aptũ erat, sed postfatione, hoc est, sub finem disputationis agebant vespertiliones, cum vulnerata conscientia, & Spiritu Dei minimè confirmati, sed sibi malè conscij, omnia tentarent & tractarent.

Quo facto non modò inclytæ huic Academiæ notam nefariæ turpitudinis inusserunt, sed Illustrissimum quoque Principem Augustum Ducem Saxoniæ, &c. Electorem, Dominum nostrum clementissimum, apud exteros in eam suspicionem adduxerunt, quòd quasi Euangelij doctrina abiecta, pontificiam Religionem palàm profiteretur. Quomodo autem hoc nomine famam, existimationem, nominisque celebritatem tanti Principis & quàm grauiter læserint, omnes intelligunt.

Postquam igitur illorum fraus detecta est, & autores huius perturbationis opinionem, quam prius professi erant, paucis post diebus ipsi abijcerent: Optimus Princeps pro sua singulari pietate, Heroico spiritu excitatus & confirmatus, magno studio de restituenda pia & sancta Concordia cogitauit.

In qua constituenda, non per vnum aut paucos, quos per contemtum Patres Bergenses appellant, omnibus omnium Ecclesiarum Doctoribus, præscribere voluit: Sed cum in Ecclesia non minus, quàm in Republica libera iudicia esse debeant, omnium ordinum Imperij (qui Augustanam Confessionem profitentur) piorum Doctorum sententias rogauit, quorum vnanimi ac pio consensu, in lucem prodiit liber, cui CONCORDIA nomen est.

Ei, quotquot sunt sub Cels. ipsius Imperio & ditionibus Ecclesiarum & Scholarum ministri, non vi aut persuasionibus adducti, subscripserunt: sed priusquam fieret, omnes & singuli seuerissimè, sub comminatione iudicij diuini admoniti sunt, ne quisquam dubia, hæsitante aut contradicente conscientia suffragium ferret. Cuius rei testes sunt omnium ciuitatum incolæ, in quorum præsentia & conspectu publicè in Templis aut Prætorijs negocium hoc tractatum est.

Cum autem minimè dubitemus, non modò inter studiosos quàm plurimos, verùm etiam alios non paucos esse viros bonos, hac controuersia inuolutos, & ipsorum conscientias ita implicatas, vt maximè velint & cupiant, sese expedire tamen non possint: Visum est, non in angulo, sed in conspectu totius Iuuentutis studiosæ ac procerum Academiæ, doctrinam, quam Diuus Lutherus in hac Schola professus est, & contra omnes hostes veritatis magna spiritus παῤῥησίᾳ, sine vlla animi hęsitatione vsque ad extremum vitæ spiritum constanter propugnauit, publicè discutiendam proponere.

Ex qua omnes veritatis amantes intelligent, Eum non humana somnia, aut opinionum commenta suis auditoribus proposuisse, & posteritati reliquisse: sed quemadmodum fidum Dei ministrum & syncerum Ecclesiæ Doctorem decet, iuxta illud: Qui loquitur, Verbum Dei loqua-

loquatur, ad apertum & minimè obscurum verbum Domini omnes remisisse. In quo solo fides electorum acquiescit, & in tentationibus superandis triumphat.

Contra verò res ipsa docebit, Sacramentarios & ipsorum socios Iesuitas, impiã suam & blasphemã, quam de persona Christi & Cœna Domini propugnant opinionem, nullo aperto Scripturæ testimonio confirmare, sed in summa nihil nisi Philosophicas rationes & humanas glossas Doctorum inter sese non consentientium afferre, quibus conscientiis nunquam satisfieri potest: sed in perpetua dubitatione, in tam vasto mari diuersissimarum opinionum, cuius nam interpretationi assentiendum sit, relinquuntur. Postea verò, cum à Satana solicitati, & grauiter tentati fuerint, quòd sine causa, à simplici verborũ Testamenti Christi sensu recesserint, postquam sese nullo expresso Dei verbo consolari possunt, metus est, ne, quod quàm plurimis accidisse scimus, tandem in Agone succumbant, & miserè pereant.

Quapropter non modò Studiosos omnes diligenter hortamur, verùm etiam omniũ artium & disciplinarum Professores oramus, vt, quæ contra Maiestatem Humanitatis Christi, ad dexteram omnipotentis Patris exaltatæ, per vnionem in persona τῦ λόγυ communicatam, & veram ac Realem præsentiam corporis & sanguinis Christi, quam nos docemus ac profitemur, habent Argumenta, publicè proponant. Quos placidè sedatéque disputantes, nos quoque humaniter audiemus, eorúmque conscientias, per gratiam Spiritus sancti ita expediemus, vt quid in hac controuersia verum aut falsum, sequendum aut fugiendum sit, facilè cognoscant. Neque enim Christiani hominis præsertim viri eruditi est, in negocio tam grauis animis pẽdere, sed aliquid certi apud semetipsos statuere debent, vt cum alacritate Spiritus, conscientia minimè dubia, tantis Mysteriis interesse & vti

possint, quæ non ad animorum perturbationem, sed gaudium Spiritus sancti, & gustum æternæ vitæ percipiendum instituta sunt.

Dominus Iesus Christus ad dexteram Dei Patris sedens, dona dans hominibus, sua Gratia nobis omnibus adsit. Cui Laus, Honor, & Imperium in omne æuum, Amen. VVitteberge. 12. Octob. Anno 1580.

REPETITIO DOCTRINAE REVERENDI IN CHRISTO PATRIS D. D. MARTINI LVTHERI

De persona CHRISTI & Cœna Domini, non ex Sophistarum Lacunis, sed limpidissimis fontibus Israel hausta.

HÆC est vita æterna, inquit Iesus Christus, vt te solum cognoscant Deum verum, & quem misisti Iesum Christum. 1. *Ioan. 17.*

Et D. Paulus. Non iudicaui, me quidquam scire inter vos, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum. 2. 1. *Cor. 2.*

Et Symbolum Sancti Athanasij. Necessarium est ad æternam salutem, vt incarnationem Domini nostri Iesu Christi fideliter credat, quicunque vult saluus esse. 3.

Est autem fides recta, vt credamus & confiteamur, quia Dominus noster Iesus Christus, Dei filius, Deus & homo est. 4.

Deus est, ex substantia Patris ante secula genitus: & homo ex substantia Matris in seculo natus. 5.

Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali & humana carne subsistens. 6.

Æqualis Patri secundum Diuinitatem: minor Patre secundum humanitatem. 7.

Qui licet Deus sit & homo: non duo tamen, sed vnus est Christus. 8.

Vnus autem, non conuersione Diuinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. 9.

Vnus omnino, non confusione substantiæ: sed vnitate personę. 10.

Nam sicut anima rationalis & caro vnus est homo: ita Deus & homo vnus est Christus. 11.

CONFESSIO FIDEI IN Chalcedonensi Synodo edita.

5. SAnctos itaque patres sequentes, vnum & eundem confitemur Filium Dominum nostrum Iesum Christum, & concorditer docemus omnes: perfectum in diuinitate, & eundem perfectum in humanitate: verum Deum & verum hominem, eundem ex rationali anima & corpore: coëssentialem Patri secundum diuinitatem, & coëssentialem nobis secundum humanitatem, per omnia nobis similem, dempto peccato: ante secula genitum ex Patre secundum diuinitatem: postremis verò diebus propter nos, & propter nostram salutem, ex Maria virgine & Deipara secundum humanitatem, vnum & eundem Iesum Christum Filium Dei Dominum & vnigenitum in duabus naturis, inconfusè, inconuertibiliter, indiuulsè & inseparabiliter manifestatum: haudquaquam differentia naturarum propter vnitatem sublata, sed magis vtriusque naturæ (in vnam personam & hypostasin concurrentis) proprietate seruata: non vt in duas personas bipartiatur aut diuidatur, sed vt sit vnus & idem Filius vnigenitus, Deus Verbum & Dominus noster Iesus Christus: sicut de illo olim Prophetæ vaticinati sunt, & ipse nos Christus instruxit, ac patrum nostrorum Symbolũ tradidit.

8. Hæc nostra nostrarumque Ecclesiarum doctrina, confessio & fides indubitata est, de duabus naturis in Christo, & eiusdem personæ vnitate, quam Lutherus in hac schola piè & sanctè professus est, & contra omnis generis hæreses constanter defendit. Et quisquis contrarium senserit, anathema sit.

14. Eam, vt iuuentus accuratè cognoscat, & sese ex labyrinthis disputationum, sophisticationũ & argutiarum facilè expedire possit, diligenter examinandam proponemus, ne in verbis aut rebus hæreat: sed perspecta veritate in fidei simplicitate piè & constanter perseueret.

15. Principiò de phrasibus monendi sunt studiosi, vt cautè de tanto mysterio loquantur, ne sermonis genus, minùs rei conueniés, lites pariat.

16. Cùm enim dicitur: quòd Iesus Christus Dei & Mariæ Filius, sit

verus

verus Deus & verus homo, duabus naturis diuina & humanâ cõ-
ſtans: non ſic accipiendum eſt, quòd natura naturam aſſumpſe-
rit, aliâs enim tota Trinitas incarnata diceretur.

Nec perſona perſonam aſſumpſit, ſiquidem humana natura aſ- 17.
ſumpta, extra vnionem non fuit ſe ipſa perſona, priuſquam aſſu-
meretur.

Sed λόγος ſeu Filius Dei, perſona Trinitatis ſecunda, naturam 18.
humanam in ſuæ perſonæ vnitatem aſſumpſit, ſicut ſcriptum eſt:
Vbi venit plenitudo temporis, emiſit Deus Filium ſuum factum *Gal. 4.*
ex muliere.

Non autem eam aſſumpſit, ſicut veſtem, quæ cum ipſo nihil 19.
commune habeat, aut quam ſuo tempore iterum deponat. Natu-
ram enim quam ſemel aſſumpſit, nunquam deſerit.

Nec eandem aſſumpſit, ſicut de ſe ipſo Dauid loquitur: Pater 20.
meus & mater mea me dereliquerũt, Dominus autem aſſumpſit *Pſalm.* 27.
me. Siquidem Dominus Deus & Dauid, duæ ſeparatæ ſunt per-
ſonæ, quem Dominus hic in tutelam ſuam aſſumpſiſſe dicitur.

Sed ita λόγος naturam humanam aſſumpſit, vt Filius Dei & 21.
aſſumpta natura ſint vna & indiuiſibilis perſona, & vnum ὑφιστά-
μενον.

Hæc verò ſiue vnio ſiue aſſumptio, quid non ſit commodius, 22.
quàm quid ſit, dicere poſſumus.

Cùm enim multi & varij modi vnionis ſeu cõiunctionis ſint, 23.
quibus Deus creaturis adeſſe, & cum illis coniungi dicitur: vnus
hic modus vnionis, quo humana natura à λόγῳ in vnitatem per-
ſonæ ipſius aſſumpta eſt, à ceteris præſentiæ modis omnibus, toto
genere differt.

Equidem perſonaliter ſeu hypoſtaticè vniri, non eſt tantùm im- 24.
plere aliquid ſua eſſentia. Aliàs omnes creaturæ Deo perſonaliter
vnitæ eſſent, cùm ſcriptum ſit: Ego cælum & terram impleo.

Neque etiam eſt ſeſe inſeparabiliter tantùm cum alia re con- 25.
iungere, ita, vt vbi ſit vnum, ſit etiam alterum. Id enim rebus acci-
dit quamplurimis, quæ tamen perſonaliter vnitæ non eſſe dicun-
tur.

Non denique vnum ſibi aliquid facere, vel ex conſenſu, vel ex 26.
ſocietate, vel copulatione, vel ex pacto, vt accidit in maris & fœ-
minæ coniunctione.

27. Neque etiam sola dignitatis communicatione, quæ diuersis & separatis personis eadem contingere potest.

28. Et huc pertinet quoque doctrina de gradibus præsentiæ Dei. Quorum primus est, de præsentia Dei vniuersali, quæ est præsentia conseruationis, qua ratione Deus, quo ad se, æqualiter omnibus creaturis adest, vbique totus & totum, non magis hîc quàm illic. Secũdus gradus, quo adest beatis angelis & hominibus, quos essentia sua præsens, non modò conseruat, sed etiam viuificat vita æterna. Tertius, quo adest renatis in hac vita, & efficit in illis nouos motus: de quibus præsentiæ modis nulla controuersia est.

Quartus autem gradus longè alius est, quo hæc sola persona 29. λόγος assumpsit naturam humanam, ex substantia diuæ virginis Mariæ, non solùm inseparabiliter, sed etiam tali ratione, vt sit vnum ὑφισάμενον.

Qua ratione, non donorum gradibus aut numero, secundum 30. magis & minus, Christus homo à reliquis beatis hominibus, sed, vt diximus, toto genere differt.

De nullo enim sanctorum angelorum vel beatorum hominũ 31. dicere possumus: Gabriel est Deus. Vriel est Deus. Raphael est Deus. Aut, Petrus est Deus. Paulus est Deus. Quamuis Deus sua essentia in illis sit, eos impleat, viuificet, & inseparabiliter in illis sit.

De homine autem Christo, Mariæ filio, extant aperta Scriptu- 32. ræ testimonia: psal. 45. Ipse est Deus tuus. Matth. 16. Tu es Christus Filius Dei viui. Luc. 1. Filius altissimi vocabitur. Ioan 20. Dominus meus, & Deus meus. 1. Ioan. 5. Et sumus in vero, in Filio eius, Iesu Christo: qui est verus Deus, & vita æterna. Ierem. 23. Suscitabo Dauid germẽ iustum, & nomen eius Iehoua iustitia nostra.

Hactenus quid non sit hæc admiranda Filij Dei cum assumpta 33. natura humana vnio, diximus: verùm, quid sit, quis nobis explicabit?

Quando enim dicimus, quòd λόγος cum assumpta natura v- 34. num ὑφισάμενον constituat, ignotum per æquè ignotum explicamus.

Si quidem vt persona, hypostasis & ὑφισάμενον sunt synonyma, 35. quæ in hac disputatione vnam & eandem rem significant: ita etiam synonyma sunt vniri personaliter, seu hypostaticè, & esse vnum ὑφισάμενον.

Sin

Sin verò addatur, differentiæ ſpecificæ loco, quòd humana natura aſſumpta à λόγῳ ſuſtentetur, & geſtetur, & niſi hoc modo geſtaretur, in nihilum redigeretur: id partim Chriſti humanitas nobiſcum commune haberet, partim verò magis nobis, quàm illi conueniret. 36.

Neque enim negare poſſumus, λόγον omnia ſuſtentare & geſtare, ſicut ſcriptum eſt: Qui cùm ſit ſplendor gloriæ & character ſubſtantiæ illius, ſuſtinensque omnia verbo illo ſuo potente. 37. *Hebr. 1.*

Et nequaquam redigeretur in nihilum humana Chriſti natura, ſi à λόγῳ non hoc modo vel geſtaretur, vel ſuſtentaretur. 38.

Quemadmodum enim nulla coactione, ſed liberrima voluntate & mera miſericordia ὁ λόγος naturam humanã in vnitatem ſuæ perſonæ aſſumpſit: ita eandem quoque, ſi vellet, deponere poſſet (quod tamen in æternum non eſt facturus, ſiquidem naturam quam ſemel aſſumpſit, nunquã ampliùs deſerit) at non propterea ſtatim in nihilũ redigeretur, ſed excepto peccato nobis ſimilis eſſet. Qua ratione autem ſaluator humani generis eſſe non potuiſſet, ſed quẽadmodum Lutherus inquit, ipſe ſaluatore indigeret. 39. Sicuinsolennis Blaspheme

Hunc errorem ex Scholaſticis Theologis quidam animaduertentes, vocabulum ſuſtentationis abiecerunt, & in illius locum barbarum vocabulum ſuſtentificationis ſubſtituerunt. 40.

Eundem errorem Scholaſticorum Lutherus, Propheta noſter, etiam grauiſsimè confutauit & condemnauit, qui doctrinam de vnione perſonali & Idiomatũ, per philoſophiam malè intellectã, corrumpentes, à phraſibus ſanctorum patrum receſſerũt. Quemadmodum ſcripto eiuſdem, ſub finem diſputationis adiuncto, docebimus. 41.

Cùm enim dicitur de Chriſto: Hic homo eſt Deus. Hic puer filius Mariæ eſt Creator cæli & terræ. Vel Pater ipſe de cælo: Hic eſt Filius meus dilectus, &c. Has phraſes (ſcribit Lutherus de ſcholaſticis) ipſi non retinent, quibus demonſtratur, quòd homo & Deus, vel, filius Mariæ & Creator vnum quiddam ſit, ſed putant, ſeſe meliùs & commodiùs loqui, cùm dicunt: Homo eſt Deus, id eſt: Filius Dei, ſuſtentans humanam naturam eſt Deus: hic Filius Dei, ſuſtentans humanam naturam in pueritia ſua, eſt Creator mundi. Quam locutionem idem Lutherus piè & ſanctè, non 42.

modò improbat vt incommodam, sed eandem tanquam hæreticisimam etiam damnat. Quia apertè neget, Filium Dei esse hominem actu primo, sed fingat, eum sustentare humanam naturam, velut actu secundo, quod, inquit, est hæreticisimè dictum.

43. Quapropter perinde est, cùm dicunt: Homo est Deus, addita explicatione iam commemorata, id est, Filius Dei, humanam naturam sustentans, est Deus, ac si dicatur: Deus est Deus: qua ratione humana natura in hac prædicatione excluditur. Verùm hic non quæritur, An Deus sit Deus, sed an hic homo sit Deus.

44. Rectiùs ergo sancti patres, & Ecclesiæ primitiuæ ac purioris Doctores, qui vnionem hanc admirandam naturarum in Christo, quæ vnum ὑφισάμενον constituat, vocabulo κοινωνίας seu communicationis explicarunt, qua diuinitas dare, & humanitas accipere dicantur, quorum vtrunque ad constitutionem vnionis personalis per se, requiritur.

Iren. lib. 4. cap. 2.
Athan. ad Epictetũ.
Hilarius de Trinit. li. 9.

45. Eam quisquis negauerit, teste Theodoro presbytero, & Suida, cum Samosateno hæreseos damnatur, qui contendit: τὰς δύο φύσεις ἀεὶ καὶ ἐν ταῖς πανταπασιν ἀκοινωνήτους εἶναι, hoc est, naturas omni modo incommunicabiles esse.

Basilius & Nyssenus in Theod. Damasc. lib. 3. cap. 19.

Hinc adeo factum est, vt Ecclesiastici scriptores, ante Synodũ Chalcedonensem, vocabulis κοινωνίας καὶ ἑνώσεως, vnionis & communicationis, pro iisdem in hoc mysterio vsi sint.

46. Ideóque diligenter ab illis seductoribus cauendum, qui in explicatione vnionis personalis, vocabulis combinationis & cõglutinationis (verknüpffung vnd verbindung) ita vsi sunt, vt simul realem naturarum & proprietatum communicationem negarent.

47. Communicatio autem hæc naturarum, non ea est intelligenda, quam somniant Sacramentarij, & nostris improbè, & contra testimonium propriæ conscientiæ, ad tegendum suum errorem, imputant: qua humanæ naturæ ita diuinitas communicetur, vt se ipsa sit Deus, adeoque in diuinitatem mutata, & hoc solùm à natura diuina differat, quòd diuinitatem non ex sese habere, sed aliunde, videlicet à λόγῳ accepisse dicatur.

48. Contra quem errorem, Hieronymi sententiam nostro calculo confirmamus, qui ad Damasum scripsit: Illorum similiter execramur blasphemiam, qui nouo sensu asserere conantur, à tempore susceptæ

susceptæ carnis, omnia quæ erant Deitas in hominem transmigrasse, & rursum, quæ erat humanitas in Deum transfusa esse, vt quod nulla vnquam hæresis dicere ausa est, videatur hac confusione vtraque exinanita substantia, deitatis scilicet & humanitatis, & à proprio statu in aliud esse mutata.

Etenim naturarum nulla fit confusio, sed earum differentia etiam in ipsa vnione seruatur. 49.

Hac autem nihil obstante differentia, vera & realis, minimèq; verbalis, ficta aut imaginaria, in hac vnione fit naturarum communicatio. 50.

Hanc communicationem inter scriptores Ecclesiasticos: alij similitudine lucis, quæ initio creationis diffusa per totum orbem cælestem, nondum existente Sole, postea in Solem omnis eius essentia quasi confluxit: alij ferri candentis & carbonis igniti: alij similitudine animæ & corporis nonnihil adumbrare voluerunt. 51. *Iustinus. Augustin. Basilius. Damasc.*

Propter quam communicationem quidam Ecclesiastici Doctores, etiam à vocabulo mixtionis non abstinuerunt, donec Eutichetis errore inualescente, causas dissidiorum vitare voluerunt. 52.

Res enim cùm sit omnium maxima, & arcanum omnem humani ingenij captum excedens, adeoque verè ἄῤῥητον, non inuenerũt alia vocabula, quib⁹ hoc mysteriũ aliquo modo exprimerẽt. 53.

Maximè verò accommodata similitudo animæ rationalis & corporis visa est, quæ non modò personaliter, sed etiam essentialiter vnita, hominem constituunt. 54.

Etsi, vt Iustinus rectè loquitur, non per omnia declarãdo huic mysterio, sed ex parte tantùm seruit. Vnio enim duarum naturarum in Christo ita explicãda est, ne aut diuinitati derogetur quidquam, aut humanæ naturæ affingatur aliquid, quod eius substantiam destruat, aut naturas & earum proprietates confundat. 55.

Siquidem ex anima rationali & corpore, quædã tertia essentia, quasi ex duabus partibus, composita est, quæ se inuicem perficiũt. 56.

In Christo autem etsi duæ naturæ concurrunt, diuina & humana: non tamẽ concurrunt, vt partes, neque tertium quiddam constituitur, vt ab humana natura diuina quidquam vel perfectionis, vel imbecillitatis accipiat.

In hoc autẽ summo mysterio vehementer accommodatũ est, 57.

quòd, cùm anima & corpus ſint naturæ diuerſiſsimæ: tamen in hac ipſa eſſentiali & phyſica communicatione perpetuò maneãt diſtinctæ, nec vlla, hanc realem communicationem, confuſio naturarum animæ & corporis, earumque proprietatum, in homine ſequatur.

58. Anima enim rationalis eſt, & manet Spiritus, neque in corpus, propter hanc realem & phyſicam communicationem, commutatur.

59. Et corpus perpetuò manet corpus, neque propter phyſicam hanc communicationem, in Spiritum mutatur.

60. Quemadmodum & ferrum manet ferrum, carbo manet carbo, neque in ignem mutantur, etiamſi phyſicè & realiter eis ignis per vnionem communicetur. Sic humana Chriſti natura permanet in ipſa vnione, nec in diuinitatem mutatur. Quemadmodum & Diuinitas permanet, nec in humanæ naturæ eſſentiam tranſit.

61. Quando autem naturarum vnio dicitur, circumſpectè in explicatione agendum eſt.

62. Quamuis enim & veteres & recentiores Doctores interdum ſic loquuntur, quòd natura diuina naturam humanam aſſumpſerit: aſſumptio tamen hęc, ſiue vnio, non abſolutè in natura, ſed in perſona τοῦ λόγου facta eſt.

63. Et quãta ſit huius myſterij altitudo, vel ex hoc perſpicuum eſt; cùm in diuinitate nihil ſit in partes diuiduum: ſed Dei Patris, Filij, & Spiritus ſancti vna ſimpliciſsima ſit eſſentia, nec dicere poſſimus, partem diuinæ naturæ incarnatam, partem verò non incarnatam permanſiſſe: Nihilominus tamen λόγον ſolum, ſecundam Trinitatis perſonam, non Patrem, aut Spiritum ſanctum incarnatum eſſe, iuxta indubitata oracula Spiritus ſancti firmiter credimus. Ioh. 3. Deus miſit Filium ſuum.

64. Sicut enim in hac ſimpliciſsima vnitate diuinæ naturæ, perſonarum reale diſcrimen exiſtit, qua perſona à perſona differt, vt Pater non ſit Filius, nec Filius Pater, nec Spiritus ſanctus, pater, aut Filius: ſed Filius in Patre, & Pater in Filio (id enim apertiſsima Scripturæ ſacræ teſtimonia confirmant: Philippe, non credis quòd Pater in me ſit, & ego in Patre: qui videt me, videt & Patrẽ) ſic

Ioh. 14.

quoque hæc naturæ diuinæ ſimpliciſsima vnitas, nihil impedit, quo minùs ſolus λόγος incarnatus ſit & credatur, non Pater aut Spiritus ſanctus.

Quod myſterium, ſi quis ſimplici fide amplecti nolit, ſed ratione humana perſcrutari conabitur, à maieſtatis gloria opprimetur: cùm vtrumque, & Trinitatis & incarnationis myſteriũ, nõ ſit νοητὸν, quod intelligentia humana aſſequi poſsit: ſed πιστὸν, quod ſola fides, eaque ſimpliciſsima comprehendit. 65.

Quo enim diutius & maiore ſtudio ratio humana, quæ in rebus diuinis cæca eſt, ei appropinquare conatur, eo longius ab hoc myſterio recedit, donec, vt Paulinis verbis vtar, circa fidem naufragium faciat. 66.

Quapropter optandum eſſet, ſtudioſos ſacrarum literarum, in primis Paulinæ admonitionis grauiſsimæ nunquam obliuiſci, quam Corinthiis diligenter inculcauit: Metuo, ne qua fiat, vt quemadmodum ſerpens Euam decepit verſutia ſua: ita corrumpantur ſenſus veſtri à ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto. Et iterum: Videte, ne quis vos deprædetur per philoſophiã, & inanem deceptionem &c. Quin potiùs captiuam ducamus omnem cogitationem in obſequium Chriſti. 67. 2. Cor. 11.

Et à curioſa hac inquiſitione nos vel hoc ſolum reuocare deberet, quòd cùm nos ipſos nõdum nouerimus, quomodo videlicet corpori anima vnita ſit, quãta temeritate in myſterium Dei perſcrutandum nos ingeramus. 68.

Cùm enim philoſophiæ ſtudioſi, ἐντελεχείας vocabulo ſeſe miſerè torqueant, quo animæ & corporis communicationem & vnionẽ Ariſtoteles explicare conatus eſt: ab eo ſeſe ſimplices Chriſtiani ſimplici verbo Dei expedient, quòd ſcriptum eſt: Formauit Dominus Deus hominem de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem. Quæ cognitio illis ſufficiens eſt, & cum Pſalmiſta loquuntur: Mirabilis ſcientia præ me, excelſa eſt, non poſſum eam aſſequi. 69. Gen. 2. Pſalm. 138.

Sed vt aliquo modo in agnitionem huius admirandæ vnionis, ſeu, vt Eccleſia canit, admirabilis commertij adducamur, Prophetæ & Apoſtoli, adeoque Chriſtus ipſe, nobis ſtupendam 70.

maiestatem ob oculos spectandam proposuit, ad quam humana in Christo natura, per vnionem personalē euecta & exaltata est.

71. Ex vnione enim & communicatione naturarum personali, quam realem esse demonstrauimus, communicatio Idiomatum seu proprietatum naturarum, quam sic vocant Ecclesiastici scriptores, secuta est, per quam humana natura à λόγῳ assumpta, ad summam maiestatem euecta est.

72. Quemadmodum autem naturarum communicatio in vnione, sine naturarum confusione facta est, sic & communicatio Idiomatum, seruata vtriusque naturæ proprietate, eam secuta est.

73. Quæ κοινωνία seu communicatio, cùm præsertim in assumpta humana natura sit magis conspicua, quàm vnio ipsa: tanquam ipsa vnione seu communicatione naturarum, quiddam ratione ordinis posterius, etsi cum ipsa vnione sit tempore simul: Prophetæ & Apostoli per eam nos, in admirandæ & ineffabilis vnionis considerationem deduxerunt.

74. Ea verò non est prædicatio tantùm, aut phrasis, seu modus loquendi, sed res verè existens, quæ hac phrasi, prædicatione, seu modo loquendi exprimitur: videlicet non ipsa naturarum vnio vel communicatio, sed proprietatum communicatio, quæ ipsam vnionem personalem sequitur.

75. Non autem est Idiomatum seu propriorum in persona Christi eadem ratio: Quædam enim singularum naturarū propria sunt: quædam personæ propriè tribuuntur.

76. Naturæ diuinæ propria sunt: Esse ab æterno, omnipotentem, naturâ infinitum, nullo loco circumscriptum, vbique esse, & his similia.

77. Humanæ verò naturæ propria sunt, initium habere in tempore, esse corporeū, circumscriptum, non vbique esse, nasci, pati, mori, & quæ sunt his similia.

78. Propria personæ sunt, quæ Christo tribuuntur, quatenus Christus, quod nomen (Christus) non alterutram naturam, sed personam significat: vt, quòd dicitur: Immanuel, Redemptor, Iustificator, Sacerdos, Rex, Gubernator, quæ omnia Christo secundum vtramque naturam adscribuntur.

79. Quando igitur Idiomata seu propria diuinæ naturæ de Filio hominis

hominis prædicantur,& econtrà propria humanæ naturæ de Filio Dei dicuntur: id per κοινωνίαν ἰδιωμάτων, hoc est, per communicationem Idiomatum fieri, S. patres & Ecclesiæ purioris Doctores dixerunt.

Ea verò non est nominum tantùm & appellationum permutatio, quemadmodum Sacramentarij verbis Theodoreti loquũtur: quòd vnio tantùm nomina communia faciat: sed vera est cõmunicatio & realis, qua propter naturarum communicationem in vnione personali factam, non titulotenus, aut verbotenus: sed verè alteri naturæ, in concreto, hoc est, in persona ἑνὸς λόγου per vocabula concreta, alterius naturæ propria tribuuntur & communicantur. 80.

Non autem eo modo, quòd alteri naturæ per se consideratę tanquam subiecto insint, communicatas dicimus. 81.

Ideo enim propria sunt & dicuntur, quòd subiectum suum non egrediuntur. 82.

Propria enim diuinitatis, solius diuinæ naturæ propria sunt, & permanent, & ne quidem in ipsa vnione hoc suum subiectum egrediuntur, neque in æternum proprietates assumptæ humanitatis fiunt, & econtrà. 83.

Quapropter nequaquam hæc proprietatum communicatio physica dicenda est, qua alterutra natura, per se, & in se consideratа, subiectum proprietatum alterius naturæ constituitur. 84.

Sicut enim omnipotentia Dei (qua appellatione omnes naturæ diuinæ proprietates complectimur) tanquam accidens humanæ naturæ inesse non potest, quoniam ipsa, sicut alia diuinitatis propria, accidens non est: ita diuinæ naturæ proprietates humanæ naturæ accidere non possunt. Siquidem in naturam Dei non cadit accidens, quæ in se ipsa immutabilis est, & permanet semper. 85.

Propria autem Diuinitatis, non nisi tribus personis Trinitatis, ratione essentiæ & naturæ diuinæ, naturaliter & essentialiter communia sunt. 86.

Quia verò vnio duarum naturarum, in persona ἑνὸς λόγου non est essentialis, aut accidentalis, seu physica, sed personalis, quam vniuersa philosophia ignorat: ideoq; Mathematicis, Physicis aut Metaphysicis regulis minimè subiecta; ideo communicatio quoque 87.

idiomatum seu proprietatum non est physica, vt vnius naturæ propria, altera natura per se, vel per accidens habere dicatur: qua ratione in natura humana Eutychianismus: in persona autem Christi, Nestorianismus assereretur.

88. Sed cùm talis sit ἰδιωμάτων communicatio, qualis est vnio, quã personalem esse diximus, & quæ κοινωνίας ἰδιωμάτων fundamentum est, & ipsa quoque, sicut vnio naturarum, à posteriori, hoc est, à consequenti declaratur per sanctos Ecclesiæ doctores, quòd videlicet, iuxta celebre illud Leonis dictum, vtraque forma agat cum alterius communione, quod proprium est nimirum: verbo operante, quod verbi est, & carne exequente, quod carnis est.

89. Hæc cùm ipsa vnione quidem posterior, nobis autem notior sit, & in Scripturis accuratè confirmata: per eam vnionem personalem describendam diximus, vt vel aliquo modo inenarrabile mysterium vnionis personalis nobis innotescat.

90. Quòd autem Iesuitæ & Sacramentarij, hinc occasionem sumunt disputandi ac declamandi: quòd vnio personalis non sit communicatio idiomatum, non doctrinam nostram, sed proprium suum commentum confutant.

91. Cùm enim rerum differentias specificas sæpenumerò ignoremus: per accidentia res interdum definimus, quæ tamen rerum essentiæ non sunt.

92. Sic cùm nos per communicationem idiomatum, aliquo modo in cognitionem vnionis personalis perueniamus, hac eam definiendam, hoc est, ita describendam diximus, vt cognoscatur, toto genere ab aliis gradibus præsentiæ Dei differre.

93. Siquidem in se ipsa corporaliter habitare non potest, cùm Diuinitas non sit corpus, sed Spiritus.

94. Quod igitur ad proprietatum diuinitatis communicationem attinet, expressa scripturæ sacræ extant testimonia. Colos. 1. In ipso inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter. Vbi, nomine plenitudinis diuinitatis, omnia intelliguntur, quæ de Deo dici possunt. Vocabulum autem (corporaliter) magno consensu Scriptores Ecclesiastici interpretantur de humana assumpta natura, de carne, de corpore & anima Christi, tanquam templo diuinitatis proprio, in quo omnis plenitudo diuinitatis habitet.

Et

Et cum hoc testimonio alia quàm plurima consentiunt. Ioh. 95.
3. Pater diligit Filium, & omnia dedit in manus eius. Matth. 28.
Mihi data est omnis potestas in cælo & in terra. Psal. 110. Dixit
Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Philipp. 2. Dedit ei no- 96.
men supra omne nomen.

Athanas. de suscepta humanitate cõtra Apollinarium.

Extat etiam regula, vnanimi consensu doctorum purioris primitiuæ Ecclesiæ approbata: Quæcunque Christo data sunt in tempore, secundum humanam naturam data esse.

Et hæc est naturæ humanæ exaltatio, qua supra omnes creaturas, angelos & beatos homines exaltata est in persona Filij Dei: 97.
quod scriptores Ecclesiastici quasi vno ore fatentur.

Athanasius. Paulus, Philipp. 2. de templo loquitur, quod est 98.
corpus suum. Non enim qui altissimus est, exaltatur: sed caro exaltatur, & carni dedit nomen, quod est super omne nomen. Damascenus lib. 3. cap. 7. & 15. Diuina natura proprias suas excellentias, seu glorificationes, *carni* communicat. Idem lib. 3. cap. 18. Humana eius voluntas, naturaliter quidem non erat omnipotens, vt autem verè, & secundum naturam Dei Verbi voluntas facta est, & *omnipotens est*. Gregorius Nyssenus: Ipsa dextera *vnitum* sibi *hominem in propriam* suam euexit *celsitudinem*. Vbi, homo pro humanitate, concretum pro abstracto positum, obseruent studiosi, ne nobis Iesuitæ aut Caluinistæ, nouitatis crimen obiiciant. Basilius. Humana Dei caro particeps facta est *Deitatis*.

Ex quo constat, non modò personæ Christi diuinitatis propria 99.
tribui, sed etiam *humanæ naturæ*: non quidem naturaliter, sed propter vnionem personalem.

Fraus igitur & dolus Iesuitarum & Caluinistarum diligenter 100.
obseruandus, quo sub vocabulis concretis, Personæ vel Hominis, errorem suum tegunt, & de sola diuina natura intelligunt, quod Scriptura sacra, *humanæ* naturæ Christi realiter communicatum, testatur.

Hæc autem idiomatum communicatio, non alia similitudi- 101.
ne magis accõmodata, quàm corporis & animæ rationalis, sicut Symbolum sancti Athanasij habet, considẽranda proponitur.

Nam propter naturarum communicationem essentialem, a- 102.
nima suas potentias seu proprietates, earumque actiones, corpori

ita communicat, vt anima, quamdiu est in corpore, nihil sine corpore faciat, sed omnia cum corpore, & per corpus. Quod in intellectu, sensu & motu, aliisque omnibus animæ potentiis perspicuum est.

103. Quæ causa est, vt duplex ab Aristotele ipsius animæ definitio tradatur: quarum altera, ipsius animæ essentiam per suas potentias seu proprietates definit: qua homo dicitur viuere, sentire, moueri, & intelligere: altera verò, communicationem ipsius cum corpore explicat, qua dicitur ἐντελέχεια corporis physici organici, vitam habentis in potentia.

104. Esse autem animæ propria, potentias, quibus viuimus, sentimus, mouemur & intelligimus, hinc constat: quòd nihil horum in corpore relinquatur, postquam anima ex corpore egressa est.

105. Corpus enim, vita, sensu, motu & intellectu caret, quando est exanime.

106. Energias autem suas anima, quandiu est in corpore, sine corpore non exercet. Non enim videt sine oculo, non audit sine auribus, non odores percipit sine naribus, non gustat sine lingua, non tactum sentit sine vniuerso corpore. Quemadmodum etiam sine phantasia non ratiocinatur: cùm nihil sit in intellectu, quod non priùs fuerit in sensu.

107. Quemadmodum econtrà oculus sine anima non videt, auris sine anima non audit, & sic de reliquis: sed oculi & aures virtute animæ vident & audiũt: idque sine omni confusione naturarum, aut essentialium proprietatum, in communicatione physica.

108. Et diligenter notandum est, quod in Scriptura sæpe repetitum
Deut. 29. legimus, Non dedit tibi *Dominus cor* intelligens. Item, Dedi tibi cor sapiens & intelligens. 1. Reg. 3. Quod nobis interpretentur Iesuitæ & Sacramentarij, adeóq; omnes philosophi: cùm cor pars corporis sit, non animæ potentia: nec Dominus dicat: Dedi tibi animam sapientẽ aut intelligentem, sed cor sapiens & intelligẽs.

109. Et res ipsa docet, pro constitutione corporum & crasi, ingeniorum maximam dissimilitudinem conspici. Item, quando organa læta sunt & perturbata, nihil rationis in homine conspicitur, sicut in phræneticis est videre.

110. Neque necesse est, vt nobis dicant Iesuitæ aut Sacramentarij,

corporis

corporis proprietatem non esse intellectum. Sed respondeant: An Spiritus sanctus impropriè loquatur, aut in schola Eutychiana versetur, cùm per vocabulum abstractum loquitur, cor hominis, non hominem appellans? Et num præter nomen & appellationem sapientiæ nihil cor communicet?

Cùm igitur hanc animæ cum corpore κοινωνίαν non intelliga- 111.
mus: quæ audacia & temeritas, ne dicam impietas est, sine omni Scripturarum authoritate, imò contra aperta Prophetarum, Apostolorum, & ipsius Christi testimonia, realem Idiomatum in persona Christi communicationem negare? eamque non aliâ quàm physicam communicationem esse, per ignorantiam affirmare? quæ sine naturarum confusione fieri non possit (cùm tamen minimè φυσικὴ, sed ὑπερφυσικὴ sit) vbi enim hic Apostolus, qui hoc dicit? vbi Propheta, qui hoc scripsit? num hoc dicere sufficit? quidnam est dementare studiosam iuuentutem, si hoc non est?

Quando igitur secundum Scripturas personam Christi consi- 112.
derauerimus, humanæ naturæ à λόγῳ, per vnionem personalem, quatuor realiter communicata esse deprehendemus.

Primùm quidem diuinitatem ipsam, per naturarum commu- 113.
nicationem, quæ in vnione personali facta est: iuxta illud Iohannis: Verbum caro factum est. Et Basilius: Humana Dei caro par- *Johan. 1.*
ticeps facta est Deitatis. Vnde homo Deus dicitur, & reuera est. Quomodo enim homo Deus dici posset, si humanitas, anima & corpus assumptæ naturæ nihil cum diuinitate commune haberet, aut diuinitatis particeps facta non esset?

Non autem hinc sequitur, duas in Christo separatas esse diui- 114.
nitates, quorum altera sit diuinitatis propria, æterna & infinita Dei essentia, altera verò creata, sicut Sacramentarij petulanter & malitiosè aduersus nos garriunt.

Quemadmodum enim non propterea duæ animæ in homine 115.
constituuntur, quòd anima & corpus essentialiter & personaliter vnita, sibi inuicem realiter communicata sunt, sed vna est anima in corpore, cuius ratio tamen est diuersa, si in sese pro sua natura & essentia, & pariter quoque respectu corporis consideretur: sic vna quoque est diuinitas, essentialis illa & æterna, quæ ineffabili modo ita naturæ humanæ communicata est per vnionem cum

λόγῳ, vt vnam cum eo personam Christi constituat.

116. Deinde, propter hanc naturarum vnionem & realem communicationem, humanæ naturæ assumptæ à λόγῳ, persona filij Dei realiter communicata est.

117. Non autem ea ratione, quòd natura humana assumpta à λόγῳ acceperit, vt se ipsa & per se persona sit, sed vt in persona τοῦ λόγου subsistat.

118. Nunquam enim natura humana assumpta se ipsa, aut per se, vel extra vnionem, vel in ipsa vnione fuit, est, aut erit persona: sed quamprimùm esse cœpit, Filij Dei caro fuit, sicut scriptum est: Et Verbum caro factum est. Et iterum: Quod in te nascetur, Filius altissimi vocabitur.

Ioan. 1. Luc. 1.

119. Neque verò hîc cum quoquam litigabimus, siue personam Filij Dei cum assumpta natura vnitam, siue eidem communicatam aliquis dixerit, modò vnionem sine reali communicatione non factam esse affirmet.

120. Natura enim humana aut se ipsa & per se persona erit: quod absurdum & Nestorianum est affirmare, aut personæ τοῦ λόγου verè & realiter communicat, in qua realiter subsistit.

121. Propter quam vnitatem personæ & naturarum κοινωνίαν, non alius est Filius Dei, & alius Filius hominis, sed vnus idemque Dei & Mariæ filius est Iesus Christus.

122. Ac ne nos vel propter phrasin alicuius nouitatis accusare possint, quibus semper in ore est erudita vetustas, & orthodoxa antiquitas (à qua tamen nos Lutherus piè & sanctè ita vindicauit, ne humana auctoritate, sed verbo Dei fides nostra nitatur) verba Cyrilli subiiciemus: Natura carnis ipsa *per se viuificare* nõ potest. Quid enim maius natura diuinitatis haberet? Quæ *nec sola* esse in Christo intelligitur: *sed habet Filium sibi communicatum*, qui substantialiter vita est.

123. Tertiò, sic quoque Maiestatem, quæ τοῦ λόγου propria est, verè & realiter assumptæ naturæ, sine omni naturarum aut proprietatũ confusione, communicauit Filius Dei. Id quod articulus Symboli Apostolici: Sedet ad dextram Dei Patris omnipotentis: & Scripturæ sacræ aperta testimonia confirmant. Hebr. 1. Consedit in dextra maiestatis in excelsis, Ephes. 1. Sedere fecit eum ad dextram

tram ſuam in cæleſtibus, ſupra omnem principatum, ac poteſta-
tem, & virtutem, & dominium, & omne nomen, quod nomina-
tur, nõ ſolùm in ſeculo hoc, verùm etiam in futuro, & omnia ſub-
iecit pedibus illius. Phil. 2. Dedit illi nomen ſuper omne nomen.
Danielis 7. Et ecce in nubibus cæli, quaſi Filius hominis, venie-
bat, & ad antiquum dierum peruenit, & dedit ei poteſtatem, &
honorem, & regnum, poteſtas eius, poteſtas æterna, quæ non au-
feretur.

Æterna autem hæc poteſtas eſt, non quòd in æternum ſit tan- 124.
tùm duratura, ſed quòd fuerit etiam ab æterno: ſicut & gloria, de
qua Ioan. 17. Glorifica me ea gloria, quam habui apud te, priuſquã
hic mundus exiſteret. Oecumenius ex Chryſoſtomo Heb. 1. Qua-
tenus Deus eſt, *æternum* habet thronum: ſed quod vt Deus habe-
bat, accepit vt homo. Vt homo igitur audit, Sede à dextris meis:
vt enim Deus, æternum habet imperium.

Etſi enim humana natura ab æterno non fuerit, cùm vnio fa- 125.
cta ſit in tempore: poteſtas tamen, quæ illi communicata eſt, ab
æterno eſt.

Qua ratione etiam non eſt neceſſe, vt propter communicatio- 126.
nem realem æternæ potentiæ, ipſa quoque humana natura ab æ-
terno ſit.

Poſtremò: Actiones quoque ſuas, diuinitatis proprias, huma- 127.
næ aſſumptæ naturæ communicauit λόγος, vt caro ſit verè & rea-
liter viuifica, vt idem Cyrillus confirmat, dicens: Propter ſeipſum
Spiritus viuificat, *ad cuius virtutem* per coniunctionem *caro* con-
ſcendit.

Caro autem Chriſti verè & realiter viuifica eſt, non propterea 128.
tantùm, quòd paſsione ſua in carne Chriſtus nobis vitã reſtitue-
rit: de qua ſola communicatione Sacramentarij concionantur:
ſed quòd Chriſtus nunc etiam ratione humanæ naturæ, ad dex-
tram omnipotentis virtutis & maieſtatis Dei ſedens, qui iuxta di
uinam naturam ipſa dextra Dei eſt, *in ea*, *cum ea*, & *per eam* viuifi-
cet, ſine qua etiam viuificationis opus nuſquam, aut vnquam: ſed
vbique & ſemper in ea, cum ea, & per eam perficiat.

Quæ verò nunc de communicata maieſtate & actionibus di- 129.
uinitatis propriis dicta ſunt, nõ modò ex Scriptura ſacra, & paulò

antè allatis testimoniis confirmata sunt: sed cum iisdem Scripturæ sacræ apertis testimoniis, chorus sanctorum quoque patrum consentit. Gregorius Nyssenus de anima: *Deus Verbum* à communione illa, quæ sibi est ad corpus & animam, nunquam alteratur, neque particeps est imperfectionis illarum, *sed tradens eis suæ diuinitatis virtutem*, manet idem quod erat & ante vnionem. Epiphanius: Idem Deus, idem homo, *corpus terreum* vnà cum *deitate* potens efficiens *in vnam potentiam* vniuit, in vnam deitatem reduxit. Cyrillus: Quamuis *nihil penitus caro per se ipsam* possit, *viuificam* tamen factam esse credetis. Et iterum: Quamuis ergo natura carnis, *vt caro est*, viuificare nequeat, facit tamen hoc, *quia totam Verbi* operationem suscepit. Idem: Corpus meum vita repleui, mortalem tamen assumpsi: sed quia naturaliter vita existens habito in ipsa, *totam ad vitam meam* reformaui. Idem: Natura carnis ipsa per se viuificare non potest, nec sola esse intelligitur in Christo: sed habet Filium Dei coniunctum, qui substantialiter vita est. Quando igitur viuificam Christus carnem suam appellat, *non* ita *illi vt sibi* siue proprio Spiritui vim viuificandi attribuit: nam *per se ipsum* Spiritus viuificat, ad *cuius virtutem* caro per communicationem conscendit. *Quomodo* autem id fiat, nec mente intelligere, nec lingua dicere possumus, sed silentio ac firma fide id suscipimus. Ephesinum concilium Canone 11. Si quis non confitetur, *carnem* Domini esse viuificam, propterea quòd propria facta est Verbi, quod omnia viuificat, anathema sit. Damascenus: Caro *Domini* mortalis erat propter se ipsam, *& viuifica*, propter hypostaticam ad Verbum vnionem: Idem: Diuina Christi voluntas erat æterna & omnipotens: *humana* verò eius voluntas à *tempore* cœpit, & naturales ac innoxias affectiones sustinuit: vt autem *verè* & secundum naturam Dei *Verbi* voluntas facta est, *& omnipotens* est Idem: Natura humana in Christo, essentialiter non possidet seu obtinet futurorum cognitionem, *sed vt Domini anima*, propter vnionem ad ipsum Deum *Verbum*, locupletata est cum reliquis diuinis prædictionibus, etiam futurorū cognitione. Nos ergo dicimus, vnum Christum eundemque Deum & hominem *omnia* scire. In ipso enim omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi sunt. Athanasius: Deus λόγος vnitus homini edit miracula. & operatur, non seorsim

seorsim aut separatim à natura assumpta, sed pro sua bonitate placuit illi per assumptam humanitatem, *in ea, cum ea*, propriâ diuinam suam potentiam operando exercere, & humanitatem illam suam *vltra* & *supra* propriam ipsius naturam, pro suo beneplacito perfecit. Non tamen prohibet, quo minùs sit animal rationale, seu vera humana natura.

Ex his constat, humanæ naturæ in Christo, diuinam maiestatem, & actiones diuinitatis proprias communicatas esse. 130.

Blasphemam ergo Iesuitarum doctrinam, & in Filium hominis contumeliosam esse affirmamus, qua sine fronte asserunt: Quòd hæc communicatio ne quidem verbalis aut Grammatica sit, si ratione naturæ humanæ consideretur. Et quòd propria diuinitatis, humanæ naturæ, neque voce, neque reipsa possint adscribi: idque solius philosophiæ humanæ principio confirmati, quòd finitum rei infinitæ capax esse non possit: contra expressum testimonium Apostoli Colos. 2. In ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis. Quod D. Augustinus sic interpretatur: Deus, licet omnibus creaturis totus sit præsens, & præcipuè in credentibus habitet: non tamen ex toto illum capiunt: sed pro suæ capacitatis diuersitate, alij ampliùs, alij minùs ipsum habent & *capiunt*. De capite verò nostro Christo Apostolus ait: In ipso inhabitat *tota* plenitudo Deitatis corporaliter. 131. *Iesuita in sua disput. Ingolstadiensi: Thes. Expdic. 2. Thes. 34. Thes. 32.*

Cui consentiunt alij puriores Ecclesiæ Doctores. Iustinus in expositione fidei: Omnium creaturarum captus in accipienda diuina essentia deficit. Nam corpus pollutum radios diuinitatis nõ omnes *capit: proprium verò Christi templum* assumptæ *naturæ*, quia *tota* plenitudo *Deitatis in ipsa habitat*, *totius* lucis diuinæ splendorem *capit*. Origenes: Anima Christi cum *Verbo Dei* coniuncta, Filij Dei plenè *capax* fuit. 132.

Ideoque non tam ridenda, quàm execranda est vox, qua dicũt: perinde absurdam communicationem hanc maiestatis, ac si quis diceret, aptitudinem ad disciplinas capiendas, lapidi aut trunco infundi posse. 133. *Thes. 36.*

Sic quoque & eam thesin, in qua dicunt, falsam & hæreticam esse propositionem, qua dicatur: Humanitas est omnipotens: nõ modò hæreticam, sed etiam blasphemam esse affirmamus. 134. *Thes. 39.*

135. Planè autem impiam eam asserimus, & ipsissimam Alcorani
Thes. 38. 39. de Christo sententiam: qua Iesuitæ Christo secũdum humanam
40 41. 42. naturam propter vnionem personalem tribuunt, quæ inter diui-
nam illam altitudinem seu excellentiam (quam omnipotentiã
vocamus) & eam dignitatem, quæ communi hominum gene-
ri obtingere solet, singularem quandam mediam potentiam seu
eminentiam tribuunt, & ab omnipotentiæ Dei seu participatio-
ne, seu communicatione excludunt.

136. Idem enim dicit Alcoranus, cuius hæc sunt verba: Omnium
Prophetarum vnum super alium per me sublimato, & quibusdã
cum Deo locutis, Christo Mariæ filio animam nostram propriã
conferentes, vim & virtutem præ ceteris præbuimus.

137. Hinc etiam factum est, vt propter hanc Nestorianam negatam
communicationem Idiomatum realem, qua vnitas personæ sol-
uitur, abiecta Christianismi professione, quàm plurimi nostra ætate ad Mahometismum sese contulerint.

138. Maximè verò blasphema est thesis 43, qua dicunt: Quòd hu-
mana media potestas inter Dei omnipotentiam, & communem alio-
rum hominum potentiam, sit omnis illa ἐξουσία in cælo & in terra.
Hic Spiritus non ad mensuram, hæc sessio ad dextram Patris
quam Christo, quatenus homo est, attribui sentiunt orthodoxi.

139. Quod equidem in Iesuitis, nouo genere Dæmoniorum emis-
so, eò magis non modò mirãdum, sed grauiter reprehendendum
est, quòd sequente 44. thesi, testimonio propriæ conscientiæ con-
uicti, apertè affirmant, ex Scripturæ sacræ locis allatis & aliis si-
milibus, æqualem cum Patre potestatem, maiestatem & gloriam
In thesi explicat. 44. tribui posse, & à quibusdam patribus Christo attributum esse.
Verba ipsorum hæc sunt: Neque tamen negamus, ex his iam al-
latis Scripturæ locis, vel aliis similibus, æqualem cum Patre pote-
statem, maiestatem, gloriam, aut quiduis aliud *diuinæ naturæ pro-
prium* Christo attribui posse, & à quibusdam patribus in explica-
tione Scripturæ attributum esse.

140. Qua igitur fronte (genus hominum impudentissimum) to-
ram vniuersã Ecclesia dicere audent: Hæc omnia, quæ nos de com-
municata maiestate diuinitatis propria, ex indubitatis Scriptu-
ræ sacræ testimoniis, & sanctorum patrũ explicatione traditis

cum expresis sacræ Scripturæ testimoniis, cum Apostolorum & Conciliorum Symbolis, & cum perpetuo totius Ecclesiæ consensu pugnare?

Quod verò addunt [Sed adhibeatur necesse est Catholica fidei 141.
regula, quam iidem patres diligenter obseruant, vt istiusmodi omnia de Christo secundum diuinitatem interpretemur] falsum: contrarium autem verum est.

Quàm vanum enim sit commentum hoc, præter testimonia 142.
superiùs adducta, Athanasium audiamus apud Theodoretum, dialo. 1. loquentem: Quæcunque Scriptura dicit, Christum in tempore accepisse, propter *humanitatem* dicit, non propter *diuinitatem*. Et Leo epist. 83. Quidquid in tempore accepit Christus, *secundum hominem* accepit. Theodoretus: Sede à dextris meis, humanitùs hoc dictum est. Vt enim Deus sempiternum habet imperium, sic *vt homo* accepit, quod vt Deus habebat. Vt *homo* igitur audit: Sede à dextris meis.

Quòd verò inquiunt patres, ad *Verbum* hæc referenda esse, qua 143.
sententia dicatur, vberrimus interpres est idem Athanasius, cùm inquit: Ideo ista ad Verbum referuntur, *quia* propter *Verbum data sunt*. Et vt *Verbum* caro factum est: ita quoque *homo* per *Verbum* accepit. Quæcunque enim homo accepit, omnia dicitur *Verbum* accepisse, vt ostenderetur, non fuisse hominem dignum, vt acciperet, *quæcunque in illius naturam delata* peruenierant. Veruntamen per *Verbum* carnem factum istiusmodi accepit.

Athanas. in orat. contra Arrianos pa. 272.

Habent igitur Iesuitæ & Sacramentarij regulam orthodoxæ 144.
Ecclesiæ, Iesuitarum regulæ contrariam: maiestatem Christo datam, non de diuinitate, sed humanitate eius intelligendam esse.

Ex quo manifestum est, non modò quàm turpiter hallucinen- 145.
tur, sed etiam quàm enormiter & intolerabiliter impij & blasphemi sint: qui quod in ipsis est Christum à dextera virtutis & maiestatis Dei deponentes, affirmant: λόγον assumptæ naturæ humanæ, per vnionem personalem, neque naturam diuinam, neque suam personam, neque maiestatem, neque actiones diuinitatis proprias, verè & realiter communicasse.

Si enim humanæ naturæ diuinitas communicata non est rea- 146.
liter (quod Iesuitæ cum Sacramentariis apertè affirmant) quo-

modo verè dici poteſt: Homo eſt Deus, cuius humanitas cum Deo nihil commune habet?

147. Sic quoque, ſi perſona τοῦ λόγου aſſumptæ humanæ naturæ communicata non eſt, quomodo filius hominis eſt Filius Dei?

148. Ita, ſi maieſtas virtutis Dei propria aſſumptæ naturæ non eſt communicata, quod Ieſuitæ cum Sacramentariis apertè affirmãt theſi 12. quomodo Filius hominis ſedet ad dexteram virtutis & maieſtatis Dei?

149. Denique, ſi actiones diuinitatis propriæ aſſumptæ naturæ humanæ non ſunt realiter communicatæ: quomodo caro Chriſti realiter eſt viuifica?

150. Apertè enim Neſtorij hæreſin profitentur, & vnitatem perſonæ ſoluunt, adeoque duas perſonas conſtituunt, qui communicationem realem proprietatum diuinæ naturæ negant, & affirmant, λόγον quædam tantùm, eo videlicet in loco vbi eſt, ſed non omnia in omnibus locis, in, cum, & per aſſumptam naturam agere.

151. Quando enim actiones ſeparatæ ſunt, naturas quoque ſeparatas eſſe neceſſe eſt.

152. Stultè verò ratiocinantur: Si, quæ diuinæ naturæ propria ſunt, humanæ naturæ in Chriſto communicentur, non ampliùs propria fore; ſiquidem id, quod quis cum altero commune habet, non ampliùs proprium, ſed commune ſit.

153. Etenim cùm humana natura non ſit alter, ſed altera, ideo λόγῳ dum aſſumptæ naturæ communicat, quod ſibi proprium eſt, non deſinit eius proprium eſſe, nec alteri communicat, cùm natura aſſumpta non ſit ſe ipſa perſona, vel à perſona τοῦ λόγου ſeparata.

154. Cùm igitur apertè realem communicationẽ diuinitatis, perſonæ, maieſtatis, & actionum τοῦ λόγου in perſona Chriſti negent, iudicet cælum & terra, iudicent omnes pij, quò tandem hæc impietas ſit euaſura? qui cùm apertè mediam potentiam, inter omnipotentiam Dei & potentiam ſanctorum angelorum ac beatorum hominum, Chriſto ſecundum humanitatem tribuant, quam Chriſtus ſua paſsione ſibi promeruerit, & à potentia Dei, quæ ipſius propria eſt, penitus excludant, quis non videt, eos Turcico Alcorano, eiúſque impietati feneſtras & portas aperire?

Ephes. 1.

Quem-

Quemadmodum autem à reali communicatione maieſtatis 155.
diuinæ, quę ſolius Dei propria eſt, humanam naturam prorſus excludunt, eiąue nihil præter nomen commune faciunt: ſic quoque contra apertum articulum Symboli Apoſtolici, & Scripturæ ſacræ apertiſsima teſtimonia, in paſsione diuinitatem ab eadem ſeparant, & per impiam ἀλλοίωσιν ſoli carni, cuius proprium eſt pati, perperam adſcribunt.

Etſi enim diuinitas ſe ipſa eſt & manet impaſsibilis & immor- 156.
talis, quæ non poteſt vulnerari, lacerari, transfigi & mori, ſicut anima quoque, quæ ſpiritus eſt immortalis: tamen cùm λόγος, qui eſt verus & immortalis Deus, in ſuæ perſonæ vnitatem naturam humanam aſſumpſerit, quæ mortalis eſt, & vulnerari, lacerari, pati, mori poteſt: non ipſius caro, aut corpus, aut humana natura, ſed *Dei Filius* verè & realiter pro nobis paſſus, crucifixus, mortuus non modò dicitur, ſed & reuera eſt, ſicut verba Symboli Apoſtolici ſonant: Credo in Ieſum Chriſtum Filium Dei &c. qui [Filius Dei] paſſus, crucifixus, mortuus eſt. Et D. Iohannes: Sanguis Filij 1. *Iohan.* 1.
Dei, Domini noſtri Ieſu Chriſti purgat nos ab omni peccato. Et *Matth.* 27.
centurio de Chriſto in cruce: Verè hic Filius Dei erat.

Quemadmodum autem, cùm moritur homo, ipſum mori nõ 157.
ad ſolum corpus, ſed ad animam quoque (licet corpore mortuo anima non moriatur, aut cum corpore extinguatur, ſed viuat) pertinet: Mors enim nihil aliud eſt, quàm violenta & doloris plena diſſolutio animæ & corporis: nec mori eſt corporis, quatenus corpus, ſed animati corporis proprium: ſicut & Chriſtus inquit: Anima mea vſque ad mortem conturbata eſt:

Sic mori pro peccatis totius mundi, & infinitam iram Dei pla- 158.
care, adeoque immenſæ iuſtitiæ Dei patiendo ſatisfacere, non eſt corporis animati, ſed Deificati proprium, quod non modò cum anima eſſentialiter, ſed etiam cum diuinitate perſonaliter vnitum eſt.

Sin verò propterea diuinitas à morte paſsionis Chriſti exclu- 159.
ditur, quòd immortalis ſit, anima quoque Chriſti in paſsione mortis, nobis nihil profuiſſet, adeoque mortis Chriſti virtus neque diuinitati, neque animæ, ſed ſoli corpori ſeu carni eius adſcribenda eſſet.

160. Eò Cingliana ἀλλοίωσις homines deducit, quæ omnia Scripturæ dicta de passione & morte Christi ad solam humanitatem eius refert, cuius proprium est pati, vt λόγῳ cum ea nihil, sed tantùm nomen & appellationem communem habeat.

161. Sed audiant vel saltem Vigilium, de cuius consensu tantoperè ad stabiliendum errorem, quem profitentur, gloriantur, qui inquit: Passus est Deus in vnione personæ, non est passus in proprietate naturæ, siquidem passionis iniurias etiam Diuinitas pertulit, sed passionem sola eius caro sensit, sicuti Solis radium, vel flammę corpulentiam rectè dicimus gladio secari, non posse tamen dirimi: ita Verbum Dei iure dicimus passionis iniurias pertulisse, nō tamen passionem vllo modo sensisse. Dicam adhuc manifestiùs: Confixa est diuinitas clauis, sed ipsa penetrari non potuit, sicut caro eius potuit, siquidem vulneri locum caro patefacta aperuit. Nam Deitas indiuisibilis & impenetrabilis permansit. Ita ergo suscipiendo passiones, & earum non cedendo affectibus, apparet, Deum Verbum impassibiliter passum. Sed quia caro eius hæc omnia non solùm pertulit, sed & sensit & cessit, meritò ac iure dicimus, Dominum his omnibus passionum conditionibus sensibiliter affectū in carne sua, sine sensu vel mutatione diuinitatis suæ. » Ergo perferre passionem est vtriusque, sed cedere passioni non est » vtriusque naturæ, cùm sit vnius eiusdémque personæ. Hactenus Vigilius.

162. Ex quo etiam intelligi potest, quòd propter naturarum diuersitatem, communicationis quoque Idiomatum magna diuersitas existat.

163. Cùm enim natura diuina in se ipsa, suæque naturæ proprietate & substantia immutabilis sit: aliter Filio Dei passio, quàm humanæ assumptæ naturæ maiestas communicata dicitur.

164. Huc referendæ sunt sententiæ Basilij: Domini caro particeps ipsa facta est Deitatis, non suam propriam tradidit Deitati imbecillitatem. Et Augustini: Iniuria corporis affectam esse fateor non Deitatem: sicut maiestate Deitatis nouimus carnem.

165. Et hoc est quod D. Petrus inquit, Christus passus est carne, cuius proprium est pati, & Filio Dei etiam propter naturarum communicationem & vnitatem personæ tribuitur.

Cùm

Cùm igitur vnio personalis duarum naturarum in Christo ita 166.
facta sit, vt per eam λόγῳ assumptæ naturæ daret, ipse verò ab ea
nihil reciperet vel perfectionis vel imbecillitatis: luce meridiana
clarius est, ingens discrimen inter communicationem esse, qua
maiestas diuinitatis propria realiter assumptæ naturæ humanæ
communicata est, & qua λόγῳ eiusdem naturæ passio adscribitur.

Etsi enim natura diuina τῷ λόγῳ passiones non ita recipit, sicut 167.
humanitas maiestatem: tamen cùm humanitas τῷ λόγῳ per vnio-
nem propria facta sit, cui λόγος etiam sese *totum* communicauit,
nec alius sit Filius Dei, & alius Filius hominis, non verbali com-
municatione, sed verè & realiter, etiam λόγῳ passio, in Symbolo
Apostolorum, & apertis Scripturæ testimoniis, tribuitur.

Duplex autem cùm Christo secundum humanitatem accesse- 168.
rit gloria, diligenter discernendum est, ne inter se confundantur.

Alia enim est gloria, quam natura humana in se habet, tan- 169.
quam in subiecto, à diuinitate τῷ λόγῳ acceptâ, qua super omnes
angelos ac beatos homines eminet, ratione cuius gloriæ, corpora *Phil 3.*
nostra ipsius corpori in resurrectione, suo modo conformia fore,
Apostolus affirmat.

Alia verò gloria est diuinæ maiestatis propria, de qua Christus 170.
orat: Pater, glorifica me apud temet ipsum ea gloria, quam habui *Ioh. 17.*
priusquam hic mundus esset. Hæc non est creata aut accidentaria
gloria vel maiestas, quæ in natura humana tanquam accidens in
subiecto hæreat, cùm ante omnes creaturas apud Patrem fuerit
ab æterno: sed quam per vnionem & communicationem diui-
næ naturæ humana realiter accepit.

Ea etsi non est τῷ λόγῳ, sed totius diuinitatis propria, non tamẽ 171.
propterea tota Trinitas incarnata est.

Quemadmodum enim vnitas diuinæ naturæ simplicissimæ 172.
essentiæ, quam λόγος cum Patre & Spiritu sancto communem
habet, non prohibet, quò minus in sola persona τῷ λόγῳ, diuinæ &
humanæ naturæ facta sit vnio: sic & hæc gloriæ & maiestatis di-
uinæ, quæ ab æterno fuit cum Patre, communicatio nihil obstat,
quò minùs ea humanæ naturæ, naturæ inquam humanæ in per-
sona τῷ λόγῳ sit communicata, nec propterea Pater aut Spiritus san
ctus verè incarnatus dicatur.

173. In persona enim, in persona inquam, & quidem solius Λογου, facta est incarnatio. Sicut apertè Scripturæ testimonia confirmãt: Ioh. 1. Verbum caro factum est. Rom. 8. Deus misit Filium suum in similitudine carnis peccatricis. Rom. 1. Qui genitus fuit ex semine Dauid secundum carnem, declaratus fuit Filius Dei, &c.

174. Quemadmodum igitur vna est æterna diuinitas, æterna illa & infinita Deitas: sic vna quoque est gloria & maiestas, videlicet infinita illa & immensa potentia, sapientia, & bonitas, ad cuius κοινωνίαν realem, seu vt Cyrilli verbis vtamur, ad cuius virtutem caro Christi conscendit.

175. Nec verò, si idiomata diuinitatis assumptæ naturæ omnia, quę nomine omnis plenitudinis Deitatis veniunt, cõmunicata sunt, διτλότης, hoc est, pluralitas Deorum, vel naturarum ταυτότης seu identitas sequitur: sic vt inflati quidam, & opinione eruditionis turgentes (minimè Theologi) Neophyti stultè argumentantur, qui heri & nudiustertius ad Ecclesiæ gubernacula accesserunt.

176. Cùm enim seipsa, ac proprietate essentiæ diuinitas sit omnes suæ proprietates, quas Apostolus nomine plenitudinis omnis Deitatis complexus est: humana autem natura assumpta, in persona Christi nihil horum sit, aut in æternũ fiat, sed in se habitantem hanc plenitudinem, habeat sibi realiter communicatam, & τῷ ἔχειν, hoc est, habendo sit (sicut corpus propter animam, quam sibi personaliter & essentialiter cõmunicatam habet, animatum dicitur, omnia habens, quæ anima ipsa est: siquidem nihil aliud quàm omnes suæ potentiæ est, quibus definitur, & iuxta naturam spiritus ἀμέρισ@) ideo non duæ naturæ diuinæ constituuntur per hanc communicationem, aut pluralitas Deorum introducitur sed vnus est Christus, iuxta diuinam naturam omnes suæ proprietates essentialiter existens, & iuxta humanam naturam easdem personaliter habens. Col. 2.

177. Qua ratione stultè & per ignorantiam excogitata διτλότης & ταυτότης explosa est.

178. Sic quoque, quam ex effusione totius ἐνεργείας diuinitatis, peruersè intellecta & studiosè deprauata, confusionem graduum præsentiæ diuinitatis colligunt, qua Christum gradibus donatum tantùm à reliquis sanctis differre nobis falsò & malitiosè impu-

imputant, nihil niſi petulantia & Sathanica calumnia eſt.

Affingunt enim nobis effuſionem proprietatum diuinitatis 179.
& totius ἐνεργείας in humana natura aſſumpta, qua humana natura in ſe ipſa formaliter, habitualiter, ſeu ſubiectiuè, vt ſcholaſtici loquuntur, proprietates & ἐνεργείας communicatas, & in ipſam effuſas habeat: perinde ac ſi quis ex vno vaſe in aliud vas, oleum, aquam aut vinum infundat, & illud impleat: quod nos ne per febrim quidem ſomniauimus vnquam.

Sic enim aut diuinitas ipſa euacuaretur, ſi proprietates eſſen- 180.
tiales hoc modo in aſſumptam naturam effuſæ eſſent: quod fieri
non poteſt, cùm ſit immutabilis: aut creata dona in humana na- *Malach. 3.*
tura eſſent, qua non θεάνθρωπος, verùm θεῖος ἄνθρωπος, hoc eſt, non homo Deus, ſed homo diuinus tantùm, ſeu diuinis dotibus & proprietatibus, non per naturam, ſed per gratiam exornatus eſſe crederetur: quod falſum eſt, hæreticum & Neſtorianum.

Quando autem nos vocabulo effuſionis in hoc myſterio vſi 181.
ſumus, quod non noſtrum aut à nobis excogitatum, ſed Scripturæ ſacræ verbum eſt, nihil horum vnquam cogitauimus aut docuimus.

Sed cùm Scriptura ſacra vocabulo effuſionis etiam de ſanctis 182.
vtatur, quod copioſam & abundantem donationem ſignificat,
ſicut ſcriptum eſt: Effundam Spiritum meum ſuper omnem car- *Ioel 2.*
nem. Et iterum: Effundam Spiritum meum ſuper ſemen tuum. *Iſa. 44.*
Et iterum: Effundam ſuper domum Dauid, & ſuper habitatores
Ieruſalem, Spiritum gratiæ & precum: Chriſto autem homini
Spiritus ſanctus non ſit ad menſuram datus, ſicut Ioannes loqui- *Ioan. 3.*
tur: Non ad menſuram dat Deus Spiritum: Pater diligit Filium,
& omnia dedit in manus eius. Item: In ipſo inhabitat omnis ple- *Col. 2.*
nitudo diuinitatis corporaliter. Item: De plenitudine eius acce- *Ioan. 1.*
pimus omnes: Quæ Grammatica, quæ Dialectica, quæ Rethorica, quæ Theologia prohibebit, & nos de Chriſto loqui, quòd Deus in aſſumptam & ad dexteram virtutis & maieſtatis omnipotentis Dei collocatam humanam naturam omnem plenitudinem diuinitatis effuderit?

Quam maieſtatem Chriſtus ſecundum diuinitatem nũquam 183.
depoſuit, ſed etiam in ipſa incarnatione vbique & ſemper exer-

Ioh. 5. cuit, sicut scriptum est: Pater meus ad hoc vsque temporis operatur, & ego operor. Et iterum: Quæcunque ille fecerit, hæc itidem & Filius facit.

184. Est enim diuina natura, & ratione eius Filius quoque Dei immutabilis, qui ab opere creationis seu conseruationis rerum omnium propter incarnationem nunquam cessauit, sed Patris opera cum Filio & Spiritu sancto perpetuò communia fuerunt.

185. Ideoque quæ de exinanitione Christi in Scripturis dicuntur, nequaquã de diuinitate intelligi possunt, nisi in castra Arianorum nos recipere velimus, sicut Leo ad Flauianum testatur.

186. Sed omnia de Christo secundum humanam naturam, omniũ orthodoxorum consensu intelligenda sunt & explicanda.

187. Ea enim natura & humiliari & exaltari realiter potest.

188. Summo autem & altissimo gradu exaltata est, quo altiore collocari aut exaltari non potuit, cùm in vtero virginis cum λόγῳ personaliter vnita est.

189. Cùm enim Filius Dei altissimus sit, cum quo vna persona effecta est, altiùs exaltari non potuit, nisi forte ipso altissimo aliquid altius cogitari possit.

190. Vbi etiam ipsis cælis altior facta est assumpta natura in Chri-
Heb. 7. sto, de quo Apostolus: Talis nobis decebat esse pontifex, sublimior cælis *factus*. Et Christus Nicodemo dicit: Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit, Filius *hominis qui est in cælo*.

191. Quia verò non vsurpatione maiestatis aperta, sed passione & morte genus humanum per eum redimendum erat: cùm in forma Dei esset *hic homo*, non rapinam arbitratus est, sese esse æqualem Deo propter diuinitatem, cum qua in persona τοῦ λόγου humanitas eius vnita fuit: sed seipsũ exinaniuit, ἐκένωσεν ἑαυτὸν, hoc est, Maiestatem per vnionem acceptam non ostendebat, sed sese ad tempus quasi abdicabat.

192. Idque non simulatione aliqua, qua coram hominibus tantùm sese ita gereret, sed reuera formam serui accepit: hoc est, excepto peccato omnibus miseriis subiectus fuit, maiestatis vsu ad tempus abdicato. Aliâs non tam contemptus & abiectus illius ortus
Luc. 17. in stabulo fuisset, sed clarior & magis illustris, quàm transformatio in monte Thabor facta.

Quin

Quin ipsius humanitas mori non potuisset, nisi maiestatem 193.
suam retraxisset, ne potenter mortem repelleret.

Quamdiu ergo hic humiliationis seu exinanitionis status du- 194.
rauit, Christus quidem secundum suam diuinitatem cum Patre
semper & in omnibus operatus est, secundum humanam autem
naturam minimè: nisi in his, quando huius suæ maiestatis gustū
aliquem vel amicis vel hostibus præbere voluit, quod in miracu-
lis conspicuum est.

Sic non simulauit, se ignorare diem Iudicij, sed reuera secun- 195.
dum humanam naturam tum ignorabat: siquidem humiliatio *Marc. 13.*
eius non simulatio fuit, sed realis abdicatio vsus diuinæ Maie-
statis.

Sic non simulauit se esurire aut sitire (quod si voluisset, potuis- 196.
set neque esurire, neque sitire) sed reuera esuriit & sitiuit.

Sic non simulauit se pati & mori (quod si voluisset, potuisset 197.
non pati, non mori) sed reuera passus & mortuus est.

Neque verò propterea personæ vnitas soluta est. Non enim ca 198.
ruit hac maiestate: sed eandem non vsurpauit. Erat in forma Dei, *Phil. 2.*
hanc nunquam deposuit in statu humilitatis: sed ita exinaniuit
seipsum, vt eam vsurpare noluerit, vt posset in forma serui nobis
famulari.

Hunc Christum D. Paulus in humana natura, nobis exemplo 199.
humilitatis proponit, ne propter dona superbiamus, aut efferamur: *Phil. 2.*
cùm ipse non recusauerit noster esse seruus, qui tamen pro-
pter sibi personaliter vnitam diuinitatem non superbiebat, pro-
pter quam Deo æqualis esset.

Postquam verò formam serui penitus deposuit (quæ in iam 200.
commemorato dicto D. Pauli nequaquam humanam naturam, *Phil. 2.*
vt veteres quidam scriptores interpretati sunt: sed seruilem formā
significat, vt Lutherus cum Ambrosio demonstrat. De qua Chri-
stus inquit: Non venit Filius hominis, vt sibi ministraretur, sed *Matth. 20.*
vt ipse ministraret. Et iterum: Vos appellatis me magistrum & *Ioh. 13.*
dominum, & bene dicitis: *sum enim.* Ego in medio vestrum, vt qui *Luc. 22.*
ministrat.) realiter exaltatus est.

Sicut enim in assumpta natura realiter exinanitus fuit in for- 201.
ma serui; ita, postquam hanc formam serui realiter deposuit (hu-

manam naturam in æternum nunquam deponens) gloriæ maiestas ei sic restituta est, vt qui priùs sola diuinitate omnia gubernaret, nunc etiam sua humanitate, ad dextram virtutis & maiestatis Dei collocata, omnia in cælo & in terra, vbique & semper gubernet, sicut scriptum est: Quapropter Deus exaltauit illum, & dedit ei nomen supra omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectat, cælestium, terrestrium, & infernorum. Et iterum: Sciat ergo tota domus Israël, quòd Dominum & Christum, *fecerit* Deus hunc Iesum, *quem* vos crucifixistis. Athanasius: Scriptura non intelligit substantiam Verbi exaltatam, sed *ad humanitatem* eius hæc spectat, propter *carnem* exaltari dicitur. Cùm enim ipsius sit corpus, meritò ipse, vt homo, ratione *corporis*, humanitùs exaltari & recipere memoratur, eò quòd corpus illa recipit, *quæ Verbum* semper possidebat, secundum suam ex Patre deitatem & perfectionem. Dicit igitur, se potestatem accepisse *vt hominem, quam* semper habebat vt Deus: dicitque: Glorifica me, qui alios glorificat: vt ostendat, carnem se habere istarum rerum indigam. Ac proinde, *caro suæ humanitatis* hanc glorificationem *accipiente*, ita loquitur, quasi ipse accepisset. Illud enim *vbiq;* animaduertendum (*notate* regulam Iesuitæ & Sacramentarij, vestræ contrariam) *nihil* eorum quæ dicit se accepisse, in tempore scilicet, ita se accepisse, quasi non habuisset. Habebat enim illa, vtpote semper vt Deus & Verbum. Nunc autem dicit, humanitùs se accepisse, vt *carne* eius in ipso accipiente, in posterum ea ex carne illius in nos firmiter possidenda traderentur. Idem: Verbum eius semper erat *Dominus*, neque post crucem primùm factus est *Dominus*, sed *humanitatem* eius, diuinitas fecit Dominum & Christum.

Phil. 2.

Alber. 2.

202. Quando autem Patres & scriptores Ecclesiastici proprietates humanæ naturæ, inprimis autem circumscriptionem corporis Christi, aduersus Marcionitas & Eutychianos vrgent, nequaquam hanc communicatam, in assumpta natura humana, maiestatem negant aut oppugnant.

203. Aliud enim est de veritate naturæ humanæ, eiúsque essentiali cere, quid per se & in se sit proprietate naturæ suæ, & aliud, quid per vnionē personalē à λόγῳ cōmunicatam acceperit. Quarum ne sententiæ patrū in speciem pugnātes, facilè conciliari possint

Sic quoque nihil, ad negandam communicationem huius ma- 204.
iestatis in assumpta natura, facit, quòd sancti patres ad diuinitatem Spiritus sancti probandam, à proprietatibus diuinæ naturæ argumentati sunt.

Verum enim est, quod illi dicunt: nulli creaturæ, adeoque nec 205.
humanæ naturæ Christi competere, quod Scriptura sacra Spiritui sancto tribuit: videlicet quòd seipso persona cùm sit, à persona Patris & Filij distincta, eidem ea, quæ Patri & Filio in diuinitate communia sunt, adscribuntur diuinitatis attributa.

Humanæ verò naturæ nequaquam hoc modo à scriptoribus 206.
Ecclesiasticis tribuuntur, aut tribui possunt: quòd se ipsa persona sit, à persona τοῦ λόγου distincta, adeóq; alius quàm λόγος. Sed quia cum λόγῳ vna persona sit, ei quoque hæc diuinitatis attributa, non simpliciter, aut in proprietate essentiæ: sed propter vnionem humanæ naturæ cum diuina natura in Christo adscribuntur.

Hinc iidem patres, Christi hominis æternam diuinitatem iis- 207.
dem propriis confirmarunt, quibus Spiritus sancti deitatem asseruerunt, à cuius κοινωνίᾳ personali assumptam naturam non excluserunt, nisi vnitatem personæ soluere, & duos Christos constituere voluissent.

Etsi verò ante resurrectionem Dominus quoque erat, non ta- 208.
men vbique cum Deo regnabat. Sed hac maiestate regnandi tantisper quasi exutum & euacuatum (vt Paulus loquitur) esse oportebat, donec per passionem (quæ ab exordio natiuitatis eius semper vsque ad mortem durabat) genus humanum redimeret.

Postquam igitur hoc modo post resurrectionem exaltatus est, 209.
secundum carnem (secundum enim diuinitatem neque exaltari, neque humiliari potuit) nunc etiam vt homo siue secundum humanam naturam, vbique præsens cum Patre & Spiritu sancto æquali potentia regnat.

Et huc pertinent dicta Christi: Ego, ego, ego, homo Iesus Chri- 210.
stus, frater vester, caro vestra, vobiscum ero semper vsque ad con- *Matth. 28.*
summationem seculi. Vbi duo vel tres in nomine meo congrega- *Matth. 18.*
ti fuerint, *ego, ego, ego sum* in medio ipsorum. Et Apostoli prædica- *Marc. 16.*
uerunt, *vbiq; Domino* cooperante.

Etsi verò hoc ipsius imperium visibile non est: non tamen pro- 211.

Hebr. 2. pterea negandum est, sicut scriptum est: Nõdum videmus ei subiecta omnia.

212. Quemadmodum autem supra de vnionis mysterio diximus, rectiùs nos, quid non sit, quàm quid sit, exponere posse: sic etiam de maiestate Filij hominis, eiúsque præsentiæ modo, rectiùs quid non sit, quàm quid sit, affirmare possumus. Quæ, vt vno verbo dicamus, non intelligitur, neque sensibus aut ratione humana comprehenditur.

213. Quapropter non sensibus aut ratione, sed verbo Dei expresso hæc ipsius secundum humanitatem præsentia definienda est. Quę non modò aperta Scripturæ testimonia habet: sed peculiari articulo Symboli Apostolici comprehensa est. Vbi confitemur, quòd Iesus crucifixus sedeat ad dexteram Dei Patris omnipotentis.

214. Dextra igitur Dei, cùm sedes sit humanitatis Christi glorificatæ, quid ea sit, videndum est.

215. Ea verò nihil aliud significat, quàm, vt vno verbo exprimamus, omnipotentiam Dei, quæ neque locus est, neque in loco, sed cælum & terram implet. Ierem. 23.

216. In hac sede cùm humanitas Christi collocata sit, nusquam dextera Dei monstrari poterit, vbi humanitas eius non sedeat, hoc est, regnet & gubernet. Id enim in hoc Symboli articulo Sedere significat.

217. Hinc ascensus Christi in cælum, non sicut aliorum sanctorum describitur, sed hac maiestate explicatur. Aliâs enim ad cælos dicitur ascendisse, aliâs in cælum, aliâs supra omnes cælos.

218. Ne autem illum in aliquo cæli loco à nobis remotissimum fingamus, D. Paulus nos omni errore & hæsitatione liberat, cùm in-
Ephes. 4. quit: Ceterùm illud ascendit, quid est, nisi quod etiam priùs descenderat in inferiores partes terræ? Qui descendit, idem ille est, qui etiam ascendit supra omnes cælos, vt impleret omnia.

219. Quod equidem de diuinitate Christi hoc loco non dicitur: siquidem secundum diuinitatem neque ascendere neque descendere dicitur.

220. Sed quemadmodum propter humanitatem ascensus Christo in cælum adscribitur, qui vt Deus semper in cælis fuit: ita etiam propter humanitatem eidem descensus adscribitur, qui etiam

nunc

nunc ſine deſcenſu in terris ſemper præſens eſt.

Ne autem Ieſuitæ aut Sacramentarij nobis obiiciant, hanc in- 221.
terpretationem, meum aut Lutheri figmentum eſſe, Oecumeniũ audiamus: Aſcendit ſuper omnes cælos, vt adimpleret omnia. Etenim nuda quoque diuinitate olim omnia implebat. Et incarnatus, *vt omnia μετὰ σαρκὸς*, cum *carne impleret*. Et Theophylactus: Vt omnia impleat dominatione operationeque, idque in *carne*, quandoquidem diuinitate iam antea cuncta compleret. Hæc autem aduerſus Paulum Samoſatenum & Neſtorium. Hactenus Theophylactus (quod Ieſuitæ bene notare velint, cum ſociis ſuis Sacramentariis.) Et Leo ſerm. 3. de paſsione: Hoc catholica fides tradit, hoc exigit, vt in Redemptore noſtro duas nouerimus naturas conueniſſe, & manentibus proprietatibus ſuis, tantam factam vnitatem vtriuſque ſubſtantiæ, vt *ab illo tempore*, quo in beatæ virginis vtero Verbum caro factum eſt, nec Deum illum *ſine hoc*, quod eſt *homo*, nec *hominem*, ſine hoc quod Deus eſt, cogitare.

Quum igitur non modò ad cælos, & in cælum, ſed etiam ſupra 222.
omnes cælos aſcendiſſe dicatur propter humanitatem, vt omnia impleret, quis non videt, Chriſto etiam ſecundum humanitatem hanc maieſtatem ab Apoſtolo tribui? Priùs enim ſua diuinitate ſola impleuit omnia: Nunc verò etiam humanitate, ſi D. Paulo, & eius interpretibus, Oecumenio & Theophylacto credimus.

Abſurda autem & violenta eſt interpretatio, quam Sacramen- 223.
tarij D. Pauli verbis affingunt: vt impleret omnia, ſcilicet Scripturæ ſacræ vaticinia.

Non enim hîc de Scripturæ impletione, ſed de locis ſuperis & 224.
inferis diſſeritur: quemadmodum contextus verborum Apoſtoli apertè docet: videlicet de inferioribus terræ (quæ vterum D. virginis ſignificant, ſicut pſalmus 139 etiam loquitur, Non eſt occultatum os meum à te, quod feciſti in occulto, & ſubſtantia mea in inferioribus terræ.) & de cælis. Et apertè dicitur: quòd qui in inferiora terræ deſcenderit, idem ſupra omnes quoque cælos aſcenderit, vt omnia impleret.

Hæc autem impletio non naturæ humanæ diffuſione defini- 225.
tur, quam improbè & malitioſè Sacramentarij nobis imputant:

qui ex Propheta suo Aristotele malè instituti & falsò persuasi, pro indubitato fidei articulo habent, cùm localiter, per diffusionem aut extensionem humanæ naturæ, fieri non possit: ideo nullo modo fieri posse.

226. Hinc blasphema, & omnibus verè Christianis execranda vox Sacramentariorum: Deum omni sua potentia efficere non posse, vt vnum & idem corpus, simul & semel sit in duobus vel pluribus locis.

227. Neque verò nos dicimus, Christi humanam naturam, per se personaliter, cùm se ipsa persona non sit, neque naturaliter, hoc est, proprietate naturæ suæ, quæ circumscripta & finita est, omnia implere. Sed ideò tantùm, quòd in vnitatem personæ à λόγῳ assumpta sit, & nusquam sit λόγος, vbi non sit homo.

228. Ex quibus omnibus manifestum est, eos toto cælo errare, qui à proprio humani corporis, seu ab humana nostra natura ad corpus Christi simpliciter argumentantur, & impiè negant, nouam corporis Christi ponendam definitionem, quæ corpori Christi peculiariter applicetur.

Talmanni.

229. Quemadmodum enim alia corporis animati, & alia inanimati definitio est, quæ proprietatibus longissimè inter se differunt: sic alia quoque est definitio corporis animati, alia Deificati (vt Patres locuti sunt) hoc est, in vnitate personæ τῷ λόγῳ assumpti, cuius proprietates non modò corporum animatorum & inanimatorum, sed etiam omnium creaturarum superant.

230. Sicut igitur ineptus disputator esset, qui à corpore inanimato ad animatum argumentatus, demonstrare vellet, oculum non videre, aurem non audire, corpus animatum non sentire: quoniam montes, lapides & stipites non vident, non audiunt, non sentiunt.

231. Eadem, non dico absurditate, sed maiore impietate Sacramentarij argumentantur: Petri & Pauli corpus non est simul in duobus locis præsens. Ergo nec corpus Christi.

232. Neque enim Christus simpliciter homo est, sicut Petrus, Paulus: sed talis homo est, qui Deus est in vnitate personæ τῷ λόγῳ.

233. Quemadmodum igitur Deus, neque locus est, neque in loco: sic etiam ratione huius vnionis in loco non dicitur esse corpus Christi:

Christi, quod tam verum est, quàm certum est, Christum Iesum à mortuis resurrexisse.

Et sicut Deus præsens est, proprietate essentiæ suæ, omnibus creaturis, non localiter: sic etiam propter vnionem personalem totus Christus, adeoque sua assumpta humanitate, non localiter, non proprietate essentiæ: sed suo quodam diuino modo, qui rationi humanæ incomprehensibilis est, tam verè & realiter præsens est, quàm verè & realiter à λόγῳ in vnitatem suæ personæ homo assumptus est. 234.

Hanc de loco cogitationem si sustuleris & remoueris ab hoc mysterio, omni quæstione, labore & disputatione te expediuisti. tribuens gloriam corpori Christi propter vnionem, quæ solius huius corporis propria est, & quam cum nullo sanctorum communem habet: nec interim veritatem humanæ naturæ, earúmque proprietatum negabis. 235.

Nec vlla hîc contradictionis implicatio est, cùm vni & eidem corpori Christi opposita, non eodem, sed diuerso respectu adscribantur. 236.

Quòd enim corpus Christi finitum, & circumscriptum, & in loco dicitur, id ei propter naturæ proprietatem rectè tribuitur. Quæ si ei adimatur, veritas naturæ negari & eidem adimi verè diceretur. 237.

Quòd autem eidem corpori etiam tribuuntur, quæ infinita sunt, & nullo loco circumscripta, qua ratione & ipsâ non in loco aut circumscripta dicitur: id ei propter vnionem cum persona τοῦ λόγου, & infinitæ naturæ κοινωνίαν ac communicationem, verè & iuxta Scripturas tribuitur. 238.

Neque verò hîc nos impediat, quod de duplici actu corporis dicitur. Corporis enim Christi actus primus, non tantùm æstimandus est exemplo aliorum corporum humanorum naturaliter: sed personali etiam vnione, qua ratione supra naturam (quatenus corpus τοῦ λόγου proprium) adeoque supra omnia omnium coporum actum primum collocatur, & infinitè exaltatur, eique tribuitur, quod nullis corporibus conuenit, nec cum illis commune habet. 239.

Vnde actus secundi in nos promanant, de quibus dictum 240.

Ioh. 1. Iohannis accipiendum est: Et de plenitudine eius accepimus omnes.

241. Actu primo ergo personali, priùs nobiscũ sit necesse est, quàm actu secundo plenitudinis eius participatio in nos deriuetur.

242. Quomodo autem id fiat, aut etiam fieri possit, id Scriptura non explicat: sed nos ad omnipotentiam Dei & verbum Angeli Luc. 1. ablegat: qui affirmat, apud Deum nullum verbum, hoc est, iuxta phrasin Hebræam, nullam rem esse impossibilem.

243. Hic mens & conscientia pia tutò requiescere potest, cùm habeat expressum Dei verbum, textum Dei, non glossam humanam de toto Christo: nec opus est glossa, quæ nobis dimidium Christum obtrudat, & conscientiam perpetuò dubitantem relinquat.

244. Quid enim illud Sophistarũ dictum aliud, quàm illusio quædam est, cùm dicunt: Christus est vbique *totus*, sed non *totum*.

245. Cùm enim vocabulum *Christus* non alterutram naturam, sed personam designet, quæ non vna natura, sed duabus, videlicet diuina & humana definitur: quisquis Christum adesse sibi credidit, is etiam eundem totum sibi adesse minimè dubitabit.

246. Quin si ad cogitationes simplicissimorum Christianorum descendamus, quos Christus *νηπίους*, hoc est, stultos appellat, si mentio fiat de præsentia Christi in verbo aut Sacramentis, prima cogitatio illis est de humanitate ipsius præsente: qua cogitatione minimè falluntur.

247. Quæ cogitatio propterea maiorem consolationem perturbatis conscientiis affert, quòd iuxta humanam naturam nobis magis cognatus sit, per quem tanquam Mediatorem cum Deo agimus, cùm nobis aliâs diuinitas non modò terribilis, sed etiam 1. Tim. 2. ignis consumens sit.

248. Quando igitur Sacramentarij hanc Christi præsentiam, secundum humanam naturam nobis prorsus auferunt, & eius loco diuinitatem, sine humanitate Christi præsente, proponunt: an non summa consolatione pios & fideles in summis tentationibus & periculis spoliant? Quo nomine ad omnes omnium piorum conscientias prouocamus.

249. Etsi enim Deus sua potentia præsens, nos ex omnibus perícu-

his liberare potest, nec præsentia humanitatis Christi eum potentiorem reddit: piorum tamen, magis de benigna ipsius voluntate erga nos, quàm potentia, cogitatio est: quam nobis Mediator homo Iesus Christus præsens vberrimè confirmat.

Neque ita Christus Spiritus sancti præsentiam promisit, vt vi- 250.
caria esset loco omni modo absentis Christi: sed vt eos consolaretur, ne propter visibilem discessum perturbarentur, qui nihilominus suam quoq; præsentiam eis promisit: Ego sum vobiscum semper. Matth. 28.

Quemadmodum autem monstrosam Vbiquitatem nũquam 251.
credidimus, nunquam docuimus, quam Sacramẽtarij apud suos auditores nobis falsò, & contra testimonium suæ ipsorum conscientiæ imputant. Id enim figmentum, tanquam portentum detestamur, quo fingitur humanitas Christi diuinitati coëxtensa, cùm nec ipsa diuinitas extendatur.

Sic vicissim Sacramentariorum figmenta, tanquam portenta 252.
& monstrosas absurditates damnamus, quãdo personalem vnionem duarum naturarum in Christo, nunc per similitudinem corporum planetarum, cum suis orbibus: nunc stipitis arborum, cum ramis: nunc capitis, cum membris: nunc Antuerpiæ, cum Oceano coniunctione describunt.

Ex quibus phantasmatis & absurdis deinceps, tanquam ab 253.
indubitata veritate, contra maiestatem Filij hominis ad dexteram virtutis Dei collocati, impiè & blasphemè argumentantur: Quòd humana natura nullo modo esse posit vbicunque diuinitas est. Sicut enim orbes cæleſtes maioris sint ambitus, quàm corpora planetarum: sic etiam diuinitatem maioris ambitus esse aiunt, quàm corpus Christi. Quos priùs probare oportebat, diuinitati reuera talem ambitum tribui posse, qualem de orbibus planetarum fingunt: & orbium atque corporum planetarum vnionem personalem esse, quàm ad exemplum Christi applicarent.

Constanter autem cum Augustino asserimus: Non esse conse- 254.
quens, quod in Deo est, sit vbique *vt Deus*. Deus enim naturaliter & essentialiter, proprietate essentiæ suæ, vbique & in omnibus est.

Corpus autem Christi naturaliter, essentialiter vbique esse, a- 255.
pertè negamus: sed personaliter constanter affirmamus. Quem

modum non definimus, non describimus: sed simpliciter credimus, vbicunque Filius Dei est, quòd ibi quoque sit homo.

256. Minimè verò ex Lacunis Sophistarum hausit Lutherus, quod de triplici consideratione corporis Christi produxit: sed quod alij verè dixerunt, Lutherus suo instituto recte accommodauit.

257. Prima est consideratio physica, qua locum occupauit, quamdiu in terris versatus est.

258. Altera glorioſa est, quæ corporibus conuenit glorificatis, de
1. Cor. 15. quibus D. Paulus scribit, eaque non physica, sed spiritualia affirmat. Quorum conditio cùm nobis ignota sit, non quid sint, sed quid non sint, definire possumus. Et quamuis in altero seculo locus physicus non est, quemadmodum & corpora non erunt physica, sed spiritualia: alicubi tamen fore corpora spiritualia, minimè dubitamus.

259. Tertia est maiestatis, qua vna hæc Massa ex vtero D. virginis assumpta, nec vllus alius hominum vel angelorum, ad dextram virtutis & maiestatis Dei collocata est: qua ratione extra & supra omnia loca, modo cælesti, & rationi humanæ imperuestigabili, omnibus rebus creatis, Christus iuxta humanitatem, simul & semel potuit præsens esse, & nunc verè præsens est, conscia mente, conformi voluntate, adeoque inenarrabili virtutis diuinæ κοινωνία, secundum promissiones: Vbi sunt duo vel tres. Item: Ascendit supra omnes cælos, vt omnia impleret.

260. Quæ & ipsa triplici ratione seu modo consideranda venit.

261. Primus modus vniuersalis est, quo humanitas Christi, cum diuinitate & λόγῳ, in gubernatione omnibus creaturis adest. Id enim est sedere ad dexteram Dei, hoc est, pari potentia cum Deo, omnia in cælo & terra gubernare, sicut catechesis nostra docet: ad quam maiestatem humana natura verè & realiter euecta est: sicut
Psal. 8. scriptum est: Omnia subiecisti sub pedibus eius, & constituisti
Hebr. 2. eum super omnia opera manuum tuarum.

262. Vbi Christus non instar regum & Principum huius seculi, vicaria opera vtitur: sed ipse Filius hominis præsens, omnia pro sua
Psal. 71. voluntate gubernat: sicut scriptum est, Dominabitur à mari vsq;
Psal. 2. ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terræ. Item: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem: & possessionem tuam terminos terræ.

Hoc

Hoc modo etiam hostibus Ecclesiæ suæ adest præsentissimus, 263.
quorum peruersas cogitationes videt, consilia nouit, & conatus
ipsorum mirabiliter infringit, sicut scriptum est: Dominare in *Psal.* 110.
medio inimicorum tuorum.

Alter præsentiæ modus est, quo Ecclesiæ suæ peculiari gratia 264.
adest, iuxta promissiones: Vbi duo aut tres congregati sunt in no- *Matt.* 18.
mine meo, *sum* in medio ipsorum. *Sum*, inquit, non [ero.] Perso-
nali enim præsentia nunquam recedit, qui gratia ad electos sub-
inde magis magisque accedit.

Tertius autem, isque singularis modus præsentiæ corporis i- 265.
psius est, quem verbis Testamenti sui definiuit: cùm inquit, Ac-
cipite, manducate, Hoc est corpus meũ, quod pro vobis traditur.

Quem præsentiæ modum Sacramentalem appellant, quòd v- 266.
nà cum visibilibus signis, inuisibilia dona, corpus & sanguis eius
distribuantur, vt infrà pluribus docebitur.

Ad hunc modum, si doctrina de persona Christi proponatur, 267.
articuli Symboli Apostolici non confunduntur, aut deprauan-
tur: contrà verò, hæreticorum errores facilè confutantur.

Ex vnione enim personali, & communicatione naturarũ ma- 268.
nifestum est, contra Nestorij hæresin in Christo vnitatem perso-
næ constanter doceri ac defendi.

Etsi enim Nestorius nequaquam contendit, duas in Christo 269.
personas esse: sed verbis constanter affirmauit, vnam in Christo
personam esse, & Filium Dei, esse quoque hominis Filium, neque
alium hominis, & alium Dei Filium: tamẽ quia communicatio-
nem idiomatum realem in persona Christi negauit: vnde natu-
rarum separatio & personæ solutio sequitur: iure à concilio Ephe-
sino eius erroris damnatus est.

Quisquis enim naturarum & idiomatum communicationem 270.
realem in Christo negat, is personam Christi diuidit, & Christum
soluit, adeoq; Nestorianus, &, iuxta doctrinam Apostoli, ex Deo
non est.

Pariter & Martionis impietas refutatur, qui contendit, λόγον 271.
phantasma, & non veram & naturalẽ carnem, veram humanam
naturam cum omnibus suis proprietatibus, in vnitatem suæ per-
sonæ assumpsisse.

272. Similiter quoque Eutychetis delirium refutatur, Christum in gloria humanam naturam cum omnibus suis proprietatibus nō retinuisse, sed humanam in diuinam naturam absorptam esse, sicut Ecclesiastica historia narrat.

273. Apollinaris quoque error apertè damnatur, qui negauit, λόγον perfectam naturam humanam, quæ anima & corpore constet, suscepisse: sed quòd diuinitas *loco* animæ fuerit.

274. Monotheletarum quoque error damnatur, qui in Christo vnam tantùm voluntatē fuisse contendebant, ex Eutychetis schola prognati, quòd humanam naturam in diuinam absorptam esse falsò arbitrarentur.

275. Et Christiano lectori iudicium permittimus, an nudis verbis, aut re ipsa & in veritate, commemoratos errores omnes à nobis nostrisque Ecclesiis depellamus: quos improbè ac malitiosè harum Ecclesiarum & Scholarum perturbatores nobis tribuerunt, quòd viderent, sanos doctores ipsorum improbis conatibus resistere: quos ad propagandum Caluinismum magno studio, omnibusque dolis & fraudibus conspirasse, reipsa deprehensum est.

276. Ex his fontibus etiam, apertè omnium Sacramentariorum, Carolostadij, Cinglij, Caluini, Schvvenckfeldij, & quocunq; tandem nomine veniant, doctrinam de persona Christi, tāquam impiam, & cum expresso verbo Dei pugnantem, damnamus: quam turarum, earúmque proprietatum communicationem realem negant, & hoc ipso manifestè errorem ac hæresin Nestorij probtentur.

277. Quamuis enim ore fatentur, naturas in Christo personaliter vnitas: id quod & Nestorium fecisse diximus: tamen cùm idiomatum communicationem realem negent: qui error Nestorij proprius fuit, eamque nihil aliud, quàm phrasin aut modum loquēdi, Ecclesiis proponant: luce meridiana clarius est, eos eandem planè hæresin propagare.

278. Quibus Iesuitas, nouum genus hominum in regno Pontificio adiungimus: de quibus Diuus Lutherus in libro aureo de Conciliis prophetauit, qui eandem cum Sacramentariis impietatem tuentur, & fundamenta hæreticæ doctrinæ Sacramentariorum de Sacramento altaris apertè confirmant. Genus hominum, Deo & hominibus inuisum & exosum.

Quo

Quorum impietas vt confutetur, non magno labore indiget, 279.
sed elleboro illis potiùs opus esse, omnes pij intelligunt, qui illorum blasphemã disputationem, thesin præsertim 15 confutatoriam legerint: qua vnionis & communicationis vocabula pro iisdem in explicatione verborum Pauli Coloss. 2. vsurpari non
esse, contendit disputationis autor. Cuius hæc sunt verba: Imò verò, cùm domos corporaliter inhabitemus, sequeretur etiã, nos illis ita communicatos esse, vt eisdem proprietatibus & perfectionibus domus affectæ dicantur, quibus nos affecti sumus. Qualis ergo est autoris huius explicatio, qua pro eodem inhabitationis & communicationis nomen audet vsurpare? Hactenus verba disputationis Iesuitarum.

Quos, vnà cum Sacramentariis, eò maiore studio sibi omnes 280.
pij cauendos & fugiendos cogitabunt, cùm intellexerint, quàm blasphema de Christo apertè scribere non erubescãt, crassis iltiusmodi similitudinibus fascinati: videlicet, diuinitatem in persona τοῦ λόγου, quemadmodum & maiestatem diuinitatis propriam, ne voce quidem, humanæ assumptæ naturæ communicatam esse. Et quod omnium maximè absurdissimum est: Christum sua obedientia vsque ad mortem, humanitatis suæ exaltationem & maiestatem promeruisse. Cui Athanasius respondet: Nihil absurdi, si quemadmodum semetipsum propter nos humiliauit: ita propter *nos* quoque dicatur exaltari: Dedit igitur illi, pro eo quod est, dedit nobis per eum, & superexaltauit eum, pro eo quod est, exaltauit nos in ipso &c. Contra Arianos, pag 273.

Quemadmodum autem commemoratorum hæreticorum im 281.
pij errores solidè refutantur & damnantur: sic genuina quoque cuiusque articuli Symboli Apostolici, eaque simplicissima sententia, sine omni confusione eorundem retinetur.

Nam de incarnatione simplicissimè docetur: quòd λόγος in 282.
vtero D. Virginis Mariæ, virtute Spiritus sancti, veram naturam humanam sibi in vnitate suæ personæ vniuerit, atque in seipso per vnionem ita exaltauerit, vt cùm ipse sit altissimus, altiùs euehi non potuerit. Propter cuius personæ vnitatem, Maria verè θεοτόκος sit, quæ Deum verè genuerit.

De passione & morte ipsius apertè docetur, quòd in vera & na 283.

turali carne, non ſimulatè, ſed verè paſſus ſit, & mortuus pro totius mundi peccatis. Et propter perſonæ vnitatem, non nudam aut ſolam carnem: ſed Filium Dei, adeoque Chriſtum in carne paſſum eſſe, & vnitatem perſonæ in morte non ſolutam eſſe, cùm ſpiritus in manu patris eſſet, & corpus in ſepulchro conſeruaretur à diuinitate, ne corruptionem videret.

284. De reſurrectione quoque eius ſimpliciter docemus & credimus, quòd corpus Chriſti, idem, quod in ſepulchro collocatum erat, & non aliud reſuſcitatum ſit, depoſita forma ſerui.

285. De aſcenſione eius in cælum hiſtoriam nequaquam in allegoriam conuertimus, aut duos putatiuos aſcenſus fingimus, vt recte à quibuſdam Lutherus, eiúsque fidi diſcipuli ſuggillati ſunt, ſed eam retinemus. Et aſcenſum eius, Spiritus ſancti verbis explicamus, vt inter ipſius & reliquorum beatorum hominum aſcenſum diſcrimen neceſſarium retineatur, quòd non ita aſcenderit, ſicut Enoch aut Elias, qui nobiſcum nō ſunt: ſed vt iam omnia impleret, & ſuis in toto terrarum orbe diſperſis adeſſet, iuxta verbum ſuum: Vbi duo aut tres congregati ſunt in nomine meo, ego ſum in medio ipſorum.

286. Et quemadmodum viſibiliter ad cælos aſcendit: ita etiam viſibiliter ad iudicium eſt venturus.

287. Refutanda hoc loco eſt etiam Sacramentariorum & ſociorum ipſorum atrox calumnia, qua nos in odium bonorum virorum adducere conantur, quòd impudenter & magna animi leuitate affirmant: doceri à nobis, quòd Chriſtus in die aſcenſionis ſuæ, ne latum quidem vnguem, pilum, aut pedem à terra ſurſum elementus ſit: quod turpiſsimum mendacium eſſe dicimus. Poſtquam enim hiſtoria piè explicata eſt de viſibili facto aſcenſu, refutatum eſt ipſorum figmentum, quod auditoribus ſuis propinant: Chriſtum cælos penetrare debuiſſe, donec per viſibilem aſcenſum ad Patrem ſuum perueniret. Quem inſtar regum huius mundi in cælo ſedentem fingunt, quaſi ad ipſum localis acceſſus ſit.

288. Contra hoc ipſorum commentum adhuc intrepidè affirmamus, quòd Chriſto in die aſcenſionis ſuæ ad latum vnguem aut pilum à terra recedendum non fuerit, vt ad Patrem veniret, cùm ipſe in Patre, & Pater in ipſo, cùm in terris eſſet, priuſquam viſibi-

liter

liter ad cælos aſcenderet. Hoc quiſquis negat, non Chriſtianus, ſed Neſtorianus & Arrianus eſt.

Hæc cùm vera ſint, eant nunc vaniſsimi Sacramentarij (de Do 289.
ctoribus & dogmatiſtis, non de ipſorum auditoribus & ſeductis hominibus, quorum ſortem ex animo dolemus, loquimur) & dicant, nos articulos Symboli Apoſtolici vel confundere, vel deprauare, aut in allegorias conuertere: quòd ipſorum figmenta, deliramenta, & impiam doctrinam non probemus.

De phraſi Doctorum Eccleſiæ, in doctrina de maieſtate Chri- 290.
ſti, ſicut & Scripturæ ſacræ, diligenter quoque ſtudioſa iuuentus monenda eſt, quando in perſona de Chriſto κατ' ἄλλο aliquid prędicari dicitur.

Non enim ſimpliciter, quod Chriſto propter alterutram natu- 291.
ram adſcribitur, alteri tantùm tribuendum eſſe naturæ volunt, cuius eſt proprium, ſine communicatione alterius: ſed ad oſtendendum diſcrimen prædicationis, quo vtrique naturæ, quod vnius proprium eſt, in perſona, per concreta vocabula, tribuitur.

Sic Cyrillus dicit: Caro Chriſti eſt viuifica, non καθ' ἑαυτὴν, non 292.
ſecundum ſe, ſed κατ' ἄλλο, δι' ἄλλο, καθ' ἕνωσιν, propter aliud, videlicet propter diuinitatẽ, cum qua vnita eſt perſonaliter. Sic & Scripturæ ſacræ dicta intelliguntur, cùm Iohannes ſcribit: Quod erat 1. Ioh. 1.
ab initio, quod audiuimus, quod vidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt, de Verbo vitæ. Quæ omnia de Verbo κατ' ἄλλο dicuntur. Cùm enim Verbum in ſua natura manibus contrectari non poſsit: quod proprium eſt corporis, Verbo tribuitur κατ' ἄλλο, propter corpus, cuius propriũ eſt contrectari: quod tamen non ſolùm tangitur, ſed Verbum vitæ cum corpore, in quo Deus vt eſt manifeſtatus, ſic etiam verè contrectabilis factus. Sic Dominus gloriæ crucifixus eſſe dicitur 1. Cor. 2.
κατ' ἄλλο, id eſt, propter corpus (cuius proprium eſt, vt poſsit crucifigi) ne ſola humanitas pro nobis crucifixa diceretur, quæ ſufficiens λύτρον pro peccatis totius mundi non potuiſſet eſſe.

Sic Chriſtum hominem omnipotentem dicimus κατ' ἄλλο, id 293.
eſt, propter diuinitatem, cum qua perſonaliter vnita eſt humana natura: quoniam omnipotentia non eſt humanæ, ſed diuinæ naturæ proprium. Quod Sacramentarij falsò ſic interpretantur, in

persona Christi diuinitatem ita omnipotentem esse, vt assumpti natura humana, nihil præter nomen & appellationem cum ea commune habeat. Ideoque vocabulis concretis, quæ sic nominant, simplicibus & incautis imponunt, sub quibus, cùm Orthodoxi vtramque naturam in vnione personali complectantur, illi de vna natura tantùm interpretantur, quod tamen de tota persona dicitur, & à κοινωνίᾳ eius prædicati alteram naturam penitus excludunt, cui nihil præter nomen & appellationem tribuunt. Quod & cum sanctorum Patrum, & Spiritus sancti mente & voluntate pugnat, & apertè Nestorianam hæresin sapit, sicut supra copiosè explicatum est.

294. Vnus enim hic homo Iesus Mariæ Filius, est verè & realiter omnipotens, non ideò tantùm quòd Deus, qui est omnipotens natura, sit in isto homine præsens: sed quòd humana ipsius natura cum omnipotenti λόγῳ personaliter vnita est, & per communicationem naturarum in Christo ita exaltata, vt ipsa quoque omnipotentię particeps facta sit, propter quam κοινωνίαν (per vnionem personalem factam) naturæ omnipotentis, cum ea quæ sua natura minimè omnipotens fuit, omnipotens λόγος nunc omnia suæ omnipotentiæ opera, in, cum, & per hanc assumptam naturam exerceat.

295. Vnde etiam discrimen conspicuum, quòd alia ratione λόγος alia ratione propter λόγον in persona Christi homo omnipotens dicatur: quamuis vna eademque sit vtriusque omnipotentia.

296. Nam λόγος seipso & proprietate suæ naturæ omnipotens est & dicitur: cuius potentiæ humana natura nihil addidit. Humana autem natura Christi proprietate suæ essentiæ non est, non fuit, nunquam erit omnipotens, sed κατ' ἄλλο, id est, aliunde habet: videlicet, quòd personaliter sibi habet cõmunicatam omnipotentem λόγον, quod nulli angelorum aut hominum contigit. Breuiùs dicam: λόγος τῷ εἶναι, humanitas τῷ ἔχειν est omnipotens, idque verè & realiter, quod Athanasius paucis verbis elegantèr complexus est: Sicut anima in corpore, ita Deus Verbum vnitus humanitati, edit prodigia, non separatus à natura assumpta: sed placuit ei *per ipsam, in ipsa, & cum ipsa* potentiam suam exercere.

Athanas. contra Apollinarist. lib. dial. 5.

297. Ideo rectè de Christo dicitur, quòd manus, quam imposuit a-

grotis,

grotis, omnipotens manus sit: & vox, qua Lazarum à mortuis
suscitauit, omnipotens vox sit: quod opus omnipotentiæ suæ λό-
γου, per hanc manum & vocem exercuerit.

Sed interim discrimen quoque inter actiones animæ in cor- 298.
pore, & actiones τοῦ λόγου in assumpta natura, diligenter notãdum
est. Anima enim sic à Deo creata est, vt organis corporis ad suas a-
ctiones exercendas indigeat: λόγος autem nulla necessitate vel
indigentia, naturam humanam, in operibus omnipotentiæ, sibi
adsciuit: sed liberrima voluntate assumpsit, cùm etiam sine ea o-
mnia suæ potentiæ opera exercere possit.

Hæc de persona Christi & humanitate eius ad dexteram virtu- 299.
tis & maiestatis omnipotentis verè & realiter exaltata doctrina,
Christianorum summa gloria est, consolatione plenissima, quòd
non modò supra angelos exaltata, sed in sede maiestatis diuinæ
propria caro nostra collocata sit, quòd in potestate hominis cæli
& terræ imperium, qui non modò vt Deus, verùm etiam vt homo
omnibus suis electis vbique locorum, non per ἀλλοίωσιν Zvvin-
glianam, non per communicationem Grammaticam aut verba-
lem, sed verè & realiter vbique locorum adest, ipsorum cogitatio-
nes suo humano spiritu aspicit, gemitus interiores nouit, exau-
dit, consolatur, & in omnibus periculis potenter conseruat.

Huic Deo & homini, vnà cum Patre & Spiritu sancto, sit ho- 300.
nor, laus & imperium per omnia secula. Amen.

REPETITIO DOCTRINAE ORTHODOXAE, DE PERSONA CHRISTI, ET COENA DOMINICA,

Zarbar. Vrsin. est ista commentatio.

Non ex Sophistarum lacunis, aut Vbiquitariorum somniis, sed ex limpidissimis fontibus Israëlis hausta, quam Apostoli tradiderunt, Martyres roborauerunt, & fideles nunc vsque custodiunt.

1. *Vitæ æternæ descriptio.*

VT verissima, ita consolationis plenissima est vitæ æternæ descriptio, quam Filius Dei fons illæ sapientiæ, ab agnitione æterni Patris, & officij sui deductam, inter ardentissimas pro sincera Ecclesiæ concordia preces, non absque sapientissimo consilio repetit. Hæc est vita æterna, inquit, Ioan. 17. vt te (qui me Filium tuum vnigenitum misisti generis humani Mediatorem) solum cognoscant esse Deum verum, & quem misisti Iesum esse Christum.

Consensio animorum & certitudo salutis nostræ confirmat, si unum fundamentum.

2. Enimuerò neq; in animis piorum firma coalescere consensio, neque salutis nostræ certitudo constare potest, nisi fundamentum hoc fixum stet, æquo immotum, vt & sacrosanctæ Trinitatis vnam Deitatem, æqualem gloriam, & coæternam maiestatem pie veneremur, & personæ Mediatricis officium fide mente amplexemur.

Error cum fundamento pugnans, damnat.

3. Neutrum certè sine animarũ tristissima iactura ignoratur, & in vtrum erres, nõ sine præsenti salutis discrimine erras, cùm nulla caueri ratione queat, quin in æternum seipsos damnationis periculum præcipitent, quicunque errorem cum hoc fundamento pugnantem, mordicus siue prudentes, siue imprudentes defendunt, nisi sententiam, antequam ex hac vita discedant, seriò emendent, inq; viam veritatis ac vitæ, se retrahi dociles tandem patiantur.

Athanasius fidei orthodoxæ asserter.

4. Id quod disertis verbis cũ Athanasio, grauissimo fidei orthodoxæ assertore, & confessore, tota Oecumenica Ecclesia in hunc vsque diem profitetur, & confirmat, constanti & vnanimi consensu asseuerans, necessarium esse omnibus ad vitam æternam aspirantibus, vt & Deitatis, quæ eiusdem æternæ essentiæ, in personarum inconfusa Trinitate, indiuidua est vnitas, & salutifera in-

carna-

carnationis Filij Dei, Domini nostri Iesu Christi, sacrosanctum mysterium rectè teneant, ac fideliter custodiant.

5. *Vt & illud dubium non est, quin vtrumque horum complectatur Apostolus, cùm inquit: Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Iesus Christus.* 1. Cor. 3.

6. *Vult enim vt agnoscamus, & ponentem, & quem posuit, & in quem finem posuit, húncq; plena fiducia nobis applicemus. Atq; ita demum vero nos fundamento inniti, piéq;, non in nobis, inquam, sed in Domino gloriaturos ostendit, nihil scire nos iudiantes, nisi Iesum Christum, & hunc crucifixum.* 1. Cor. 2. 1. Cor. 2.

7. *De quo est fides recta, vt credamus, & confiteamur, quòd Dominus noster Iesus Christus Dei Filius, Deus sit, & homo.*

8. *Deus ex substantia Patris ante secula genitus: & homo ex substãtia matris in seculo natus. Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali, & humana carne subsistens.*

9. *Aequalis Patri secundum Deitatem: minor Patre secundum humanitatem. Qui licet Deus sit, & homo: non duo tamen, sed vnus est Christus.*

10. *Vnus autem, non conuersione Deitatis in carnem, sed assumtione humanitatis in Deum.*

11. *Vnus omnino, non confusione substantiæ, sed vnitate personæ. Nam sicut anima rationalis & caro vnus est homo: ita Deus & homo vnus est Christus.*

12. *Hanc ipsam fidem Christianam & Catholicam, Orthodoxi Ecclesiæ doctores in Synodo Chalcedonensi iam olim congregati, exposuerunt huiusmodi edito decreto:* Sanctos itaque patres sequentes, vnum & eundem confitemur Filium Dominum nostrum Iesum Christum, & concorditer docemus omnes, perfectum in diuinitate, & eundẽ perfectum in humanitate, verum Deum & verum hominem, eundem ex rationali anima & corpore, coëssentialem Patri secundum diuinitatem, & coëssentialem nobis secundum humanitatem, per omnia nobis similem, demto peccato. Ante secula genitum ex Patre secundum diuinitatem: postremis verò diebus propter nos & propter nostram salutem, ex Maria virgine, & Deipara secundum humanitatem, vnum & eundem Iesum Christum, Filium Dei Dominum, & vnigenitum in duabus naturis, inconfusè, inconuertibiliter, indiuulsè & inseparabiliter manifestatũ. Haudquaquam differẽtia naturarum, propter vnitatem, sublata, sed magis vtriusque naturæ (in vnam personam & hypostasin cõ- *Verba Synodi Chalcedonensis.* *Hypostatica vnio est,*

duarũ naturarũ in vnam subsistentiam concursus.

currẽtis) proprietate seruata: non vt in duas personas bipartiatur, aut diuidatur, sed vt sit vnus & idem Filius vnigenitus, Deus Verbum, & Dominus noster Iesus Christus. Sicut de illo olim Prophetæ vaticinati sunt, & ipse nos Christus instruxit, ac patrum nostrorum Symbolum tradidit. Hanc expositionem Orthodoxæ fidei, quisquis vel improbat, vel labefactat, anathema sit.

Idem Synodus Constantin. 6.

13. Eadem autem & nostra, & totius Ecclesiæ Occumenicæ, omniúmq; sanctorum, qui per vniuersum terrarũ orbem sparsi, eundẽ nobiscum Mediatorẽ, Filium Dei crucifixum, rectè inuocant, doctrina, confessio, & fides, rata, recta, & indubitata semper fuit, est, eritq;, de duabus in Christo naturis, earúmque distinctis proprietatibus & actionibus, dcq; eiusdem personæ vnitate: qui non tantùm Lutherus, sanctum Dei organum, fidúsque eius Achates, ipso candore candidior, Philippus ille noster, communis omnium in repurgata Germaniæ Ecclesia præceptor, cuius gratam piis mentibus famam, quò magis ingrati culculi turpi liuore suo conspuunt, eò, nolint, velint, clariorem & illustriorem reddunt: verùm etiam horum successores, Theologi eruditione, pietate & innocentia grauissimi, quos iam exules inuidia & calumnia Sycophantarum, nec auditos, nec vllius erroris, sceleriſve conuictos, præter meritum, præter, inquam, fas & æquum, propter Orthodoxam hanc de personaChristi doctrinam, non ab ipso Principe solum, sed & ab vtraque Lipsensi & Misnensi Consistorio, iam antè graui iudicio approbatam, suis nidulis expulit, in hac VVittebergensi schola, Europæ quondam oculo, ex hac Orthodoxæ fidei cathedra, perspicuè, purè, atque constanter professi, quasi de manu in manum traditam, ad nos vsque suos auditores fideliter propagarunt, & contra profligatissimas omnis generis hæreses, quas hodie tanquã ab Orco reuocat, & blasphemo ore ex hac ipsa Lutheri cathedra, quam intrauit vt vulpes, occupat vt lupus, pseudochristianus, pseudeuangelicus, superlutheranus pseudopropheta, Lutheri nomen erroribus suis impudenter prætexens, & veritati Christianæ fucum illinens, D. Iacobus Andreæ, Faber ille nouæ & maledictæ Splingis, & publicum Ecclesiæ per Germaniam deformator, cum suo isto impubere nepote, re & nomine πολυχάρφῳ, pastore non pastore, mercenario supercilioso, & loquace, nõ absq; atroci in hanc Academiam & Ecclesiam iniuria, in publicum totius Saxoniæ dedecus, impiè, proh dolor, eructat, constanter & aeriter defenderunt.

Vera laus Schola VVitebergẽsis, ante dissipationem à Flacianis factam.

Iacobus Andreæ autor Splingis &c. Polycarpus mercenarius & loquax.

Huic autem vanissimo disputatori, cui nulla religio, nulla fides & conscientia, nulla denique orthodoxæ vetustatis veneratio est, omnibus, qui eum in his regionibus probè norunt, hoc vno ore testantibus, obiici non immeritò potest, quod

quod Ambrosius Apollinaristis obiicit: Etsi opinioni suæ prætexunt nomen Synodi Nicenæ, tamen noua dogmata in Ecclesiam important, de quibus maiores nostri nullam cogitationem susceperūt. Nam eodem modo hunc disputatorem, cum factionis suæ sociis, nomine Chalcedonensis Synodi abuti, ex Orthodoxis patribus, Leone Romano, Theodoreto, Gelasio, Fulgentio, Vigilio Martyre, Agathone Romano, Martino Papa, Rustico Diacono, itemq; ex duabus Constantinopolitanis, quinta & sexta, Synodis, à quibus recitata superius Chalcedonensis Synodi, de vnitate personæ Christi, in duabus naturis, fides & doctrina, luculenter aduersus omnes fraudes & corruptelas ipsius est explicata & asserta, manifestissimè demonstrari potest. Non igitur satis est, vt Synodus Ephesina inquit, fidem voce duntaxat confiteri, nisi rectè quoque eam interpreteris.

Iacobus Andreas falsò se tuetur Synodo Chalcedonensi.

14. Hanc verò fidem, vt sartam tectam custodiamus, & tanquam præclarum depositum, nulla vi, aut fraude nobis è mentibus euelli patiamur, vtq; nos ex omnibus labyrinthis disputationum, sophisticationum & argutiarum eò facilius expedire possimus, paulò iam diligentius, vt ex ore præceptorum hausimus, examinandam proponemus, neq; in verbis, neque in rebus, à sacræ Scripturæ Canone, & Symbolis receptis, atque Orthodoxæ antiquitatis explicatione discessuri. Sic enim perspecta veritate, in fidei simplicitate piè atque constanter perseuerabimus.

15. Principiò igitur accepimus à præceptoribus genus dicendi planum, purum, & perspicuum, adeoq; ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων, id est, formam sanorum verborum. Ad illam à pueris assuefacti, cùm præsertim fidelissimis præceptorum ὑποθήκαις, & commonefactionibus, aures nostræ etiamnum personent: decere nimirum moderata ingenia cum matre Ecclesia loqui, nec nouas loquendi formas gignere, quæ partim errores, partim suspiciones, & dissidia pariant: à leuitate vel comminiscendi, vel approbandi nouas phrases penitus abstinemus: memores grauissimæ comminationis Propheticæ: Ad Legem, & ad testimonium. Quòd si non dixerint secundum verbum hoc, non erit eis matutina lux. Item: Oues meæ, inquit Christus, vocem meam audiunt: peregrinam non agnoscunt, hoc est, nec sectantur, nec approbant. Item, Profanas, inquit Apostolus, vocum nouitates vitato. 2. Timoth. 2.

Quale genus dicēdi fuerit VVitebergense.

Iesa. 8.

Ioan. 10.

16. Vt enim fures mutatis signis, res abalienāt: ita grauissimè à Luthero dictum accepimus: Quicunque in sacris mysteriis nouas phrases fingant, ab iisdem nouas res fingi. Mutato enim genere dicendi, nouum genus docendi introducitur: vt nemini mirum videri debeat, corpus doctrinæ Christianæ vsitatum

Lutheri dictum.

Quale sit genus dicendi Flacio-brentiano-rum.

sordere hodie oratoribus nouis, qui in explicandis fidei mysteriis vtuntur genere dicendi, non tantùm affectatè barbaro, verùm etiam planè absurdo, & à verbi diuini puritate, & ab orthodoxæ antiquitatis simplicitate alienissimo.

Duo spectãda in mysterio incarnationis.

17. Ad ipsum verò quod attinet incarnationis mysteriũ, cùm in Christo vni. co nostro Seruatore duo præcipuè spectãda sint, quis sit ipse nimirum, & quorsum nobis datus à Patre, hoc est, & persona, & officiũ: de priore (posterius enim hîc nondum attingimus) sic ex verbo Dei, & vniuersalis Ecclesiæ perpetuo cõsensu statuendum esse, ab iisdem præceptoribus edocti sumus: Filiũ Dei coæternum, & coëssentialẽ Patri, τὸν λόγον, vnum quidẽ essentia Deum cum Patre, & Spiritu sancto: hypostasi verò siue persona ab vtroque re ipsa distinctum, postquam venit plenitudo temporis, humanam naturam totam ex virgine Mariæ substantia, virtute altissimi creatam, sibi ita vniuisse, vt vnica atque singularis persona sit Iesus Christus, verus Deus & homo.

1. De persona.

2. De officio.

Pernatur. humanam quid intelligatur.

18. Quoties ergo Christum redemtorem nostrum, Dei & Mariæ Filium ex duabus naturis, diuina & humana constare profitemur: per humanam quidem naturam, non personam, sed animam solummodo rationalem, seu mentem, & humanum corpus: diuinam autem nominantes naturam, ipsum λόγον intelligimus, qui cùm sit Patri ὁμοούσιος, alius tamen à Patre est secundum hypostasin, in cuius vnitatem, definito tempore, naturam humanam, vt nobis etiam fieret ὁμοούσιος, assumsit. Quæ massa non tantùm priusquam assumeretur, cùm nihil adhuc esset à matre virgine realiter distinctum, non fuit se ipsa persona: verùm etiam postquam assumta est, secundum se nequaquam rationem personæ sortitur, sed potiùs ab assumentis Verbi hypostasi dependet, in eáque personalem suam habet subsistentiam. Vnde, qui realem personæ communicationem, carni iam assumtæ tribuunt, eosdem, nisi principia fidei in dubium vocare libeat, cum Nestorio, τὸ τετρατὸν, hoc est, quaternitatem, in sacram Trinitatem inferre, nullo idoneo argumento negari potest. Etsi autem persona Christi ex vtraque natura constet, & quasi composita sit, sciendum est tamen, non eandem esse vtriusque naturæ, in constituenda hac personæ vnitate, rationem: siquidem vera personæ ratio sit in assumente Verbo, quod cùm ante assumtionem esset simplex, & incomposita, facta est per incarnationem composita hypostasis. Vnde etiam fit, quòd siue Deus, à diuina, siue homo, ab humana natura dicatur, semper sit vna eadémque vtriusque naturæ hypostasis. Proinde hanc secundum hypostasin vnionem sic definit Damascenus: Secundum hypostasin vnio est ex differentibus naturis subsistens res. Et rursus: Secundum hypostasin vnio est, quòd ex duabus

Quid per diuinam. Gal. 4.

Damasc. lib. 4. cap. 5.

Lib. Dial. cap. 64.

Vnio hypostatica.

duabus quidem rebus, in vna autem persona subsistit: & adhuc, *In Dialect.* secundum hypostasin vnio est alteri hypostasi accurrens natura: *cap. 81.* *eóque modo vnionem hanc à Nestoriana vnione discernit, quia videlicet animata Christi caro in præexistente Dei Verbi hypostasi subsistit: vnde vnio hæc hypostatica dicta fuit, per quam naturarum inconfusam differentiam seruari posse, dicit Damascenus, propterea quòd de vna eademq; hypostasi, ex duabus lib. 3. cap. 3. composita naturis, differentes vtriusque proprietates, diuerso naturarum respectu, κατὰ ἄλλο, καὶ ἄλλο, dici possint.*

19. *Ceterum tota licet cooperata sit Trinitas formationẽ suscepti hominis, Luc. 1. quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis ad extra: tamen vt non simpli- Fulgẽt. reciter verum, ita nec simpliciter falsum est, cùm dicimus: Diuina natura as- spon. ad 2. sumsit humanam naturam. Absolutè quidem accepta phrasis hæc, falsissima quæstion. Ferrandi est: quia Patripassianis patrocinaretur: sed relatiuè, proculdubio est vera. Etsi Diacon. enim vna eademque diuina natura competit Patri, Filio, & Spiritui sancto, Thom. Aq. nec alia Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti essentia est: tamen quæ in sese v- 3. part. sum. na, eademque, & simplicissima est, manétque, non eadem, sed diuersa conside- quæst. 3. art. ratur ratione in personis. Nec enim vel Pater, vel Spiritus sanctus, sed potiùs 4 & 5. solus Filius Dei ὁ λόγος, persona Trinitatis secunda, id quod erat permanens, " Concil. quod non erat assumens, suscepit humanitatem in singularitate personæ, non " Tolet. 6. in vnitate diuinæ naturæ, hoc est, in eo, quod proprium est Filij, non quod cõ- " cap. 1. mune est Trinitati. Atque ita vniuersa quidem diuina natura, sed in vna tan- " tùm sui ipsius hypostaseon, vnita est toti humanæ naturæ, non pars parti. Id quod toto cap. 6 & 7 lib. 3 Damascenus luculenter explicat & demonstrat. Et rectè scriptum est de hac re à Rustico Diacono, cùm ait:* Incarnatus est *Rusticus* Deus Verbum, & natura eius, sed ille quidem per semetipsum, & *Diaconus.* secundum quod ipse est, illa verò non ita, sed per Verbum: igitur Deus Verbum secundum semet ipsum quidem vnitus est carni: vna enim persona, & vna subsistentia facta est cum carne: secun- *Vnio hypo-* dum naturam verò coniunctus est potiùs, quàm vnitus, duæ e- *statica.* nim manere naturæ, & per comparationem Verbum potiùs vnitum carni est, quàm natura eius, & hoc istud potiùs, quàm illud vnitio est.

20. *Vt autem cum ipsis naturis complectimur Idiomata ἰδιώδη, id est, proprietates essentiales, quibus fit, vt natura quæque reuera sit, quod esse dicitur, & vna non sit altera, ne videlicet, inanibus titulis Ecclesiam ludificemur: ita nequaquam fingimus assumtionem momentaneam, aut instabilem, seu*

D. Simon Paulus in hi storia Emauntis: Christus (inquit) mirabilis est Protheus. Li. 1. de na. Deor.

mutabilem, qualem comminiscuntur, qui publicis editis scriptis in nescio qu Prothea (sic enim loquuntur) Christum transformant, tribuentes ei corp nunc locale, nunc illocale, modò finitum, modo infinitum, aliàs palpabile, a aliàs impalpabile, iam visibile, iam inuisibile, modò verum, modò imaginari seu phantasticum, hoc est, corpus non corpus. Quale apud Ciceronem Vellei iste Epicurus comminiscitur: fidenter sanè, vt solent isti, nihil tam verenti quàm ne dubitare aliqua de re viderentur. Quid enim hoc aliud est, ac fict dem vestem pro arbitrio vel induas, vel exuas, vel cum alia commutes? Co tra immotum illud fidei principium: Quod semel assumsit ὁ λόγος, nunqua deponit. Nec etiam de tali assumtione loquimur, qualem psalmus describit: ter meus, & mater mea me dereliquerunt: Dominus autem assumsit me. Dei enim adest Dauidi tantùm societate, nec cum eodem constituit vnum ὑφιστάμενον. Vnde etiam quæ de Deo prædicantur, de Dauide prædicari non possu nec è diuerso, quæ Dauidi congruunt, Deo tribui fas est. Quantum autem ab hac assumtione accidentaria, Vbiquitariorum commentum absit, res ip loquitur, & paulò pòst luce meridiana clariùs patebit.

psal. 27.

Assumtio Vbiquitariorum accidẽtaria.

21. Tenendum porrò & illud est, hac assumtione nequaquã misceri, vel co fundi, vel transfundi, vel effundi substantias ipsas, neque earundem veli mata, vel operationes, quæ portenta Eutychetica, non minùs quàm Nestor nam illam personæ diuulsionem, Vbiquitarij hodie magno cum scandalo in B clesiam important: sed potiùs ὁ λόγος humanam naturam assumsit tali vni ne, vt Filius Dei, & assumta natura, iam sint, maneántque vna & indiuisi lis persona, seu vnum ὑφιστάμενον. Neque propterea, vel humana Deitati, v humanitati diuina idiomata rectè tribuuntur: cùm natura, tum in sese, tu in suis proprietatibus essentialibus, & earundem operationibus maneant ni ipsa distincta: quæ tamen persona à quacunque tandem, siue ab vtraque, siu ab alterutra naturarum denominata, re & nomine competunt.

22. Etsi autẽ hac stupẽda siue vnio, siue assumtio, siue copulatio diuina humanæ naturæ in personam τοῦ λόγου, reuera est mysterium, omnem non mo eloquentiam, verùm etiam captum, tam angelorum, quàm hominum tra scendens, quod in futuro seculo cum admiratione, & oblectatione sempiter na contemplabimur: tantùm abest, vt in hac tanta caligine vitæ huius mortal lis plenè à nobis vel exhauriri mente, vel explicari oratione possit: tamen qua tum nobis perspicuo Dei verbo reuelatum est, reuerenter nos agnoscere, & grata mente amplecti, summóque studio inuestigare, & piè illustrare deb nec Pyrrhoniam confirmare siue dubitationem, siue leuitatem, atque, pro

lantem

tantem audaciam eorum, qui ambitionis & nouitatis ſtudio à recepta doctrina rectè explicatæ ſententia diſcedunt, vtq; omnia in contrariam partem diſputando labefactent, quid non ſit, commodiùs, quàm quid ſit, quod explicandum propoſuerunt, ſe dicere poſſe nugantur, donec omnem fidei certitudinem, quæ cùm aſſenſum & fiduciam requirat, ſaltem notitiam ſi minùs perfectam (perfectio enim in hanc vitam non cadit) minimè tamen ancipitem, aut dubiam, ſed firmam & certam præſupponit: vel otioſis ambagibus & perplexitatibus iſtis fanaticis, dedita quaſi opera tenebras proluce ſectantes, penitus euertant, vel imprudentes amittant.

23. Quanquam enim diuerſi ſint præſentiæ gradus, quibus Deus creaturis adeſt liberrimè: tamen cùm nequaquam vel coniungi, vel copulari, vel vniri creaturis ceteris Deus καθ' ὑπόστασιν propriè, imò ne piè quidem dici poſsit: vnus hic modus vnionis, quo humana natura, vnà cum eſſentialibus ſuis proprietatibus, à λόγῳ in vnitatem perſonæ ipſius aſſumta, & propria Verbi facta eſt, à ceteris præſentiæ modis omnibus, toto genere, & nequaquam tantùm ſecundum plus & minus differt.

24. Cùm ergo longè aliud ſit, quando apud Prophetam Deus exclamat: Nónne cælum & terram ego impleo? quàm ipſa vnio hypoſtatica: non poſſunt impietatis abſolui, qui propter infinitiſsimam illam Dei immenſitatem, qua rebus omnibus, nec incluſus, nec excluſus præſto eſt, ſcripſitarunt, nec vnquam hactenus retractarunt, ſed adhuc licet mutatis verborum ſtrophis defendunt: Filium Dei cum omnibus rebus creatis perſonaliter vnitum eſſe. *Item:* Naturam cuiuſuis hominis inſitam eſſe Filio Dei, & ipſi in vnitate perſonæ coniunctam. *Item:* Res omnes à Deo ſubſiſtentialiter ſuſtentari. *Et,* Chriſtum hominem hoc habere commune cum omnibus ſanctis, quòd cum eo Deus perſonaliter ſit vnitus. *Item:* In ſingulis creaturis (*quod in noua Sphinge diſcordiæ illius Concordia blaſphemè aſſerunt*) maximè verò in fidelibus & ſanctis habitare totam plenitudinem Deitatis σωματικῶς. Et in ſingulis creaturis, omnes illos ſapientiæ & cognitionis theſauros abſconditos eſſe, quibus etiam vniuerſaliter omnis poteſtas in cælo & in terra collata ſit.

Absurda Vbiquitariorum. Brent. de Maieſtate Chriſti. pag. 23. 24. Iac. Andr. aduerſus Ingolſtad. pag. 24. 32. Liber Concordiæ fol. 312.

25. Cumq; ſic coniungi, vt quæ coniunguntur, non tantùm ſint ἀχώριστα, verùm etiam vbiuis locorum ſemper ſimul ſint, & vbi ſit alterutrum, ibidem ſimpliciter etiam alterum eſſe neceſſe ſit, vnitatem non perſonæ, ſed naturæ conſtituat: id quod ſacroſanctæ Trinitatis τὸ ὁμοούσιον demõſtrat, quod efficit,

vt Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, licet re ipsa distincti, pariter tamen v. biq; sint, & immensi: fieri non potest, quin τὸ πανταχοῦ, hoc est, Vbiquitas illa, siue omnipræsentia, quam aduersarij naturæ assumtæ affingunt, vnionem hypostaticam aboleat, & cum Eutychianis personæ Christi vnitatem, in vnitatem naturæ conuertat.

26. Sicut deniq; quæ ex cõsensu, vel societate, vel copulatione, vel pacto vniuntur, ἕξεσι quidē vnū constituunt, & habitudine quatenus vnū constituunt, inter se mutuò iuncta sunt, saluaq; vnionis conditione, perpetuò manent ἀχώρισα, vbicunque sint, licet ratione loci distent: minimè verò καθ' ὑπόστασιν vnum sunt: ita cùm eiusdem dignitatis, seu maiestatis communicatio, non modò diuersis, verùm etiam separatis, seu distinctis personis contingere soleat, indicent omnes boni, quantum rursus à Nestoriana Christi diuulsione Vbiquitarij absint, qui nullam vnionis hypostaticæ differentiam specificam admittunt, præter maiestatis diuinæ in carnem effusionem, quam realem idiomatum communicationem appellant.

Brētius in lib. Recog. Iac. Andr. in protocol. collo. Manbrun.

31 thesi Tubin. 20. & 23.

27. Aut siquidem hac ipsa propositione, quæ sola dignitatis cõmunicatio propterea quòd diuersis & separatis, vt loquuntur, personis eadem contingere soleat, hypostaticam vnionem minimè perfici posse rectè cum Orthodoxis colligunt, Nestorianam personæ diuulsionem repudiasse videri volunt: consideret attentus lector, quàm sibi bene constent, qui paulò pòst Nestorianismum hac sola repudiatæ Maiestaticæ illius, quam ipsi flagitant, omnium Dei idiomatum ipsa etiam æternitate non excepta, siue participationis, siue realis cum carne assumta communicationis nota, seu charactere definient. Quomodo enim Nestoriani non sunt, qui id ipsum quo personam non vniri, sed diuelli asserunt, quódque diuersis etiam, atque separatis personis inesse posse fatentur, sic tamen in asserenda personali, quam ipsi docent, vnione, vbique vrgent, vt nisi hanc concesso, vnionem in Christo hypostaticam constare posse, negent?

Cyrillus in exp. Symb. Nicæni.

28. Et si ergo vtilissimā illam, plenámq; sapientiæ & consolationis doctrinam, de distinctis præsentiæ Dei gradibus Vbiquitarij passim ore iactitent, & verbis prolixè commendent: re ipsa tamen abolent ac confundunt, quo magis nobis tanta præceptorum fide inculcati, & explicati gradus illi præsentiæ perspecti esse debent, vt non tantùm verba, sed etiam verborum vim expendamus, atque discrimen inter vnionem hypostaticam, & reliquos præsentiæ Dei modos, sine hæsitatione aduersus tanti mysterij profanatores, quoties res postulabit, demonstrare, & Sophistarum nebulas quàm expeditissimè dissipare, lucemq; à tenebris vindicare discamus.

29. Prima

29. Primus gradus cõseruationis est, qua Deus pro suæ essentiæ immẽsitate, omnibus creaturis adest, non vt pars earum, sed vt liberrimus conseruator substantiæ, quam deserens destruit. *Vide Magist. sent. li. 1. dist. 37.*

Secundus est glorificationis, quæ competit beatis angelis, & electis in vita æterna. 1 gradus cõseruationis.

Tertius gradus est sanctificationis renatorum in hac vita. Et hi tres præsentiæ Dei gradus, vt toti competunt Trinitati, seruata tamen cuiusque personæ proprietate. secũdum operum Dei, vt Ecclesia cum Augustino loquitur, ad extra, quæ sunt indiuisa, modum seu ordinem diuinitus reuelatum: ita genere conueniunt, & constituunt παρουσίαν Dei assistentis creaturis, nonnisi accidentariam, χεπκλώ ἢ ἐνεργητικῶ, differuntque inter se, non κατὰ ῥώθ., sed κατὰ τὸ πλέον, id est, secundum plus, & minus, vel potius efficacitatis diuinæ quantitate & qualitate. Et si autem de his præsentiæ Dei modis, nullam disputator controuersiam esse simulat: tamen quàm id verum sit, & quomodo sibi in eo constet, vel inde pius & prudens lector æstimet, quòd paulò pòst vniuersalem illam, quæ soli Deo competit præsentiam, ad carnem Christi, quæ creatura est, transfert, eamq; in omnibus cantharis cereuisiariis (horresco referens) & in quauis braßica præsentem fingit. Quid? quòd alibi non aliam in Christo, quàm in creaturis reliquis omnibus, quo ad οὐσίαν diuinitatis præsentiam statuit, eámque sola ἐνεργείᾳ discernendam impiè docet: quin etiam inter inhabitationem Dei in sanctis, & in Christo hoc vnicum esse discrimen mentitur, quòd sanctis distribuat Deus sua dona, vt loquitur, dimensa: Christo autem im mensa. Quas quidem donec non reuocat sententias, quicquid prætendat, nihil præter vanitatem prodat oportet, ore aliud iactans, aliud sub pectore voluens. 2 glorificationis. 3 sanctificationis. *In disput. de Maiest. hominis, thesi 20. Aduersus Ingolst. ad. pag. 37.*

30. Ab hac igitur blaſphema in Filium Dei vanitate totis mentibus abhorrentes, non verbis solùm profitemur, sed planè, vt loquimur, ita sentimus, vtq; sentimus, ita fidem nostram perspicuè explicamus: quartum nimirum præsentiæ Dei gradum longè alium esse, quo tantùm hac sacrosanctæ, & indiuiduæ Trinitatis persona, ὁ λόγ., assumsit humanam naturam ex substantia Deiparæ virginis Mariæ, non solùm inseparabiliter, verùm etiam tali vnione, vt sit vnum ὑφισάμενον. Qua ratione, non videlicet ex donorum gradibus, aut numero, secundum maius, & minus, sed ex sola illa mirabili subsistentia, æterni Verbi propria, in qua naturam nobis ὁμούσιον assumsit, petita, si verè Christum hominem à reliquis, cum beatis hominibus, tum creatis rebus omnibus, toto, vt diximus, genere differre, quemadmodum loquitur, ita verè sentit disputator: frustrà profectò in posterum elicienda aliunde differẽtia specifica operã

impendet. Aut si totius generis differentiam aliunde, quàm ab hac iam inda
cata ratione, dependere somniat, hac discernendi vnionem hypostaticam, an
liquis præsentia Dei gradibus ratio, nullius omnino momenti fuerit.

31. Sed cum Orthodoxis hac ratio congruens cum sacra Scriptura Canon
planè satisfaciat, in eadem nos etiam acquiescimus. Hinc siquidem perspicu
ac solidum inter Christũ, & reliquos sanctos profluit discrimen. Cùm. n. sin
hanc individuam massam Filius Dei sibi personaliter vniuerit, propriámq
fecerit, fit inde, vt omnia, quæ vel Deo, vel homini propriè competunt, de tu
mirabili ex vtraq; natura cõposita hypostasi verè prædicẽtur. Verbi gratia D
nullo sanctorum Angelorum, vel beatorũ hominũ dicere possumus: Gabriel
Deus, Vriel est Deus, Raphaël est Deus. Aut Petrus est Deus, Paulus est Deu
quia nullus ipsorum talis est per hypostasin. Quamuis Deus sua essentia veri
lis adsit, diuina eos luce impleat, viuificet, & inseparabili virtute inhabit

Christus Maria Filius, est Deus.

32. De homine autẽ Christo, Maria filio, extãt aperta Scripturæ testim
nia: Psal. 45. Ipse est Deus tuus. Matth. 16. Tu es Christus Filius Dei viui. Is
1. Filius altissimi vocabitur. Ioan. 20. Dominus meus, & Deus meus. 1. Ioan.
Et sumus in Vero, in Filio eius, Iesu Christo, qui est verus Deus, & vita æter
Ierem. 23. Suscitabo Dauid germen iustum, & hoc erit nomen eius, Iehova
stitia nostra.

33. Et hactenus quidẽ non tantùm quid non sit hæc admiranda Filij D
cum assumta natura humana vnio, sed etiam quid sit, ex fontibus Israh
cunque delineauimus. Etsi enim vltrò fatemur, rationem & modum stup
di, veréque ineffabilis huius mysterij, non modò in hac mentium vestrarum
ligine, sed ne quidem in futura vita, nulla etiam angelica, nedum humana
quentia enarrari satis vnquam posse: tamen cùm tota sacra Scriptura in
mysterio explicando consumatur, & cardo æternæ salutis, in eodem fidei
stræ capite & basi versetur: si non manifestè impij, saltem ingrati sunt alio
sus Deum, qui tantùm quid non sit, de hoc sacrosancto mysterio, non aut
quid sit, piè tandem statuendum, & credendum, vt tutum scilicet recipi
habeant, quoties suis antilogiis impliciti, *sicut mus in pice hærent*, inani v
borum strepitu imperitiorum aures, animósque obtundunt & complent.

Genes. 3. Iesa. 7. 9. 11. Ierem. 23. Luca 1. Matth. 1.

34. Quorsum enim aliàs à Spiritu sancto hanc vnionẽ naturarum Ꝺ hu
& humana assumtæ per Prophetas iam olim descriptam, & aliis atque
typis, & reuelationibus veteri Ecclesiæ illustratam tam breui & perspicu
phorismo per Euangelistam Ioannem, diuinam illam aquilam, ὁ λόγος σὰρξ
ἐγένετο: Verbum caro factum est: quod oracularum Apostolus Hebr. 2. Phili
&

& alibi declarauit, totq; sanctißimi & constantißimi Martyres, profuso sanguine suo confirmarunt, repetitam dicemus, si tantùm quid non sit, non autem quid sit, explicari posse somniabimus?

35. Quid ergo sit, inquis hypocrita, quis nobis explicabit? Nisi verò Epicureo te more ludere, & receptam Ecclesiæ doctrinam ridere & conculcare, atq; immani odio persequi, toti iam Europæ constaret, & nisi sub ista modestia, quam simulas, hoc venenum occultares, vt tuis auditoribus hac ipsa, qua turpiter abuteris mysterij ineffabilis persuasione, stultam fidem instillares, hactenus forsan tibi astipularemur, additurí etiam aliquid amplius, quòd cæca nimirum ratio, diuinæ lucis expers, & sacri verbi radiis minimè illuminata, dum consilij Dei planè adhuc ignara est, sibíque relicta, nihil sapit eorum, quæ spiritus sunt, non tantùm quid sit, aut quid non sit, verùm etiam quòd sit, extétve tale aliquod mysterium (τὸ ὅτι, inquam, nedum τὸ διότι, ἢ τὸ τί ἐστιν ἢ τί ἐστι) nec curet, nec intelligat: cùm naturæ finitæ & infinitæ, creatricis & creatæ hypostaticam istiusmodi ἕνωσιν, ne quidem animo concipere, vel talem esse, aut futuram esse suspicari vnquam potuerit. Sed quisnam tu es, bone vir, qui, quæ ex arcano æterni Patris sinu, ab eo qui est λόγος, & fons viuus omnis sapientiæ & eloquentiæ, quíq; ideo apparuit, vt nobis arcanum Dei consilium enarraret: quæ iam à diuino, inquam, oratore illo tot concionibus, tot miraculorum testimoniis, tanta cum perspicuitate & simplicitate secundum Patris voluntatem, pro sua inenarrabili φιλανθρωπίᾳ, fidelißimè patefacta, repetita & illustrata sunt (vt interim silentio prætereamus ipsorum Apostolorum, Patrum, & Martyrum sacratißima Symbola, lucidißimas confessiones, fidei denique Orthodoxæ de hoc ipso salutis nostræ fundamento explicationes, siue ἐκθέσεις minimè obscuras) Quis tu es, inquam, præclare Disputator, & Ecclesiæ quam turbasti, reformator, vel potiùs deformator, aut qua tandem authoritate fretus, ista omnia quasi explodens, ignotum per æquè ignotum explicari scurriliter effutis? Quis enim irrisionem istam tuam plus quàm Lucianicam, quis, inquam, nisi tui quispiam similis, nec Deum forsan timeat, nec hominum iudicia reuereatur, sine stomacho ferat? At me ipsum colligo: Ignotũ, inquis, per æquè ignotum EXPLICAMVS. De te igitur, & tuo grege loqueris. Bene est. Assentior. Nimis enim tu audacter cum tuo grege, plana quæ sunt, tuis perplexitatibus inuoluis, & quæ vera nunquam fuerunt, nec vera sunt, nec vera esse possunt, pro veris, hoc est, fumos pro luce venditas: vera autem quæ sunt, insidiosè deprauas, & vt imperitioribus suspecta fiãt, calumniãdo tanquam falsa traducis; adeoq; ignota per ignotiora explicans, falsa falsis,

Smideliensis Ecclesia deformator.

Quæ sunt plana, suis perplexitatibus inuoluis.

Quæ sunt vera, insidiosè deprauas.

obscuris obscura, perplexitates perplexitatibus, calumnias calumnias, denique mendacia mendaciis cumulas, vt neque cælum ab inferno, neque amœnissimam illam sempiternæ beatitudinis regionem, omniũ sanctorum patriã, à damnationis sulphureo barathro distinguas.

36. Sed vt intra disputationis institutæ metas nos recipiamus, nec iustissimo dolori vltra modum indulgeamus, fatemur, vocabula illa, quæ pia antiquitas ad explicandum hoc mysterium, non quòd in Scriptura totidem expressa vel literis, vel syllabis extarent, sed quòd cum sententia Scripturæ planè congruerent, eámque rotundè, breuiter & perspicuè exprimerent, religiosè vsurpauit: qualia sunt: persona, ὑπόστασις & ὑφιστάμενον synonyma esse: atque etiam phrases illas: personaliter seu hypostaticè vniri, & esse vnum ὑφιστάμενον, idem significare libenter fatemur. Simul autem sancta & religiosa lege retinemus descriptionem vnionis hypostaticæ, extructam ex voce diuina, & congruentem cum testimoniis Propheticis & Apostolicis, ac traditam & recepta. *Vnio hypostatica quid sit.* ritam vnanimi consensu Ecclesiæ Orthodoxæ omnium temporum. Eam, inquam, damus esse nec transmutationem, nec confusionem naturarum, aut proprietatum, aut operationum inter sese, sed copulationem, vt scripsit tota antiquitas, verè ἄῤῥητον, seu ineffabilem, qua ὁ λόγος, qui est secunda persona Trinitatis, massam certam ex genere humano, in vtero virginis à Spiritu sancto sanctificatam, nobisq; ὁμοούσιον, habentem corpus humanum, & animam rationalem, omnésq; vires & appetitiones naturæ humanæ proprias, vnà cum omnibus infirmitatibus, quæ non sunt peccata, sed pœnæ, ideóque per mortem in sepulcro depositæ, iam euanuerunt, æterno fœdere assumsit, sibique copulauit non solùm inseparabiliter, verùm etiam secundum hypostasin, non quidem duabus naturis, humana videlicet & diuina, tertia coaluerit aliqua, quæ partim diuina sit, partim humana: aut quòd adiectionem personæ sanctæ Trinitas susceperit ex incarnato Dei Verbo: sed quòd vna in Christo hypostasis ac maneat, ipsius nimirum Verbi propria, quæ humanam naturam in vnam hypostasis & personæ vnitatem assumtam gestet, sustentet, ac foueat. Hinc

Lib. 3. cap. 13. ctè Damascenus ait: Ex vnione identitas facta est secundum hypostasin, non tamen differentia naturarum sublata. Non enim natura humana assumta in Christo personæ rationem habet, sed dependet à natura diuina assumente, tali ordine, vt non esset, nisi sic à diuina sustentaretur, & personali hac subsistentia conseruaretur. Et vt hæc persona λόγος æterna ita postea impossibile est, hanc massam ipsi insertam non simul manere. Nam quam enim ὁ λόγος naturam, quam semel assumsit, deserit. Imò ne quo

Fulgent. ls. 3. ad Trasimun.

in morte animam aut corpus deſeruit, etiamſi tum verè ſeparatio animæ à corpore facta ſit.

37. *Et ſuprà quidem ex ipſius Antagoniſtæ verbis demonſtrauimus differentiam ſpecificam, qua miranda hæc vnio à reliquis præſentiæ Dei gradibus diſcernatur, aliam conſtitui nec debere, nec poſſe, præter τὸ τῆς ὑποστάσεως μοναδικὸν, καὶ ἄτμητον, vt Damaſcenus loquitur, quatenus videlicet hypoſtaſis Dei Verbi facta eſt ſine cõuerſione ipſius aſſumtæ carnis hypoſtaſis. Cùm enim ſolus Filius homo factus ſit, reliqui autem præſentiæ gradus toti ſimul Trinitati cõpetant, non aliunde proculdubiò petenda eſt differentia ſpecifica, quàm ab eo, quod in ipſa vnione Filius à Patre, & Spiritu ſancto diſtinctum habet, hoc eſt, à ſingularitate perſonæ, in qua natura aſſumta, vt ipſius per hanc aſſumtionem propria facta ſubſiſtit, quæ per ſe, aut in ſe, neque vnquam habuit, neq; in ipſa vnione ſortitur ratione perſonæ, ſed potiùs ab aſſumẽtis Verbi Deitate tali ordine, vt dictum eſt, dependet, vt niſi hoc modo geſtaretur & ſuſtentaretur, ne eſſet quidem. Id quod Chriſti humanitas, quicquid tandem aduerſarij ogganniant, cum nulla alia creatura, cuius in omni indiuiduo propria ſuæ naturæ hypoſtaſis & ſubſiſtentia eſt, commune habet: tantùm abeſt, vt nobis magis quàm illi conueniat, niſi quot hominum indiuiduæ ſunt, tot veſano diſputatori Chriſtos conſtituere libeat. Verùm quia adeò præfracta eſt huius nugaciſſimi diſputatoris impudentia, vt non minore cum audacia & temeritate, quàm olim Neſtorius, cuius ſe diſcipulum & ſectatorem præſtat, omnem Orthodoxæ vetuſtatis conſenſum faſtuosè contemnat & repudiet, nec tamen vereatur, ad fucum lectori faciendum, in palliandis ſuis erroribus, alicubi ad Patrum teſtimonia & dicta prouocare, non exiſtimo ſine operæpretio futurũ, ſi hoc loco aliquot veterum ſententias referam, quibus in hypoſtatica illa vnione, carnem ſeu humanam naturam Chriſti à Verbo geſtari & ſuſtentari, eóq; modo vnum vtriuſq; ὑφιστάμενον eſſe, ſeu fieri, ſenſerunt & docuerunt. Ignatius in epiſtola ad Smirnienſes, Chriſtum vocat σαρκόφορον Θεὸν, hoc eſt, Carniferum Deum: quoniam enim non per ſe, & in propria ſua natura perſona ſubſiſtit humanitas Chriſti, ſed per vnionem à Verbo geſtatur, ideo Chriſtus Sarcophorus Deus. & non Theophorus homo vocatur. Athanaſius in oratione maiore de fide, eodem modo, quo Ignatius, vocat Chriſtum σαρκόφορον Θεὸν, Carniferum Deum, & non Deiferum hominem. Hinc paſſim λόγον carnem aſſumtam geſtare, & continere dicit: vnde & caro Verbi per aſſumtionẽ propria, & non alicuius ſeorſim hominis dicitur:* Verbum caro factum eſt, *ait*, id eſt, carnem geſtat. *Item*: Ex paſsionibus declarabat, ſe verum

Theſis 30.

Differentia ſpecifica qua ſit.

Formalis ratio vnionis perſonalis eſt geſtatio & ſuſtẽtatio humana in perſona ſeu hypoſtaſi λόγ.

Apud Theodoret. in Dialogis.

In maiore ora. de fide.

corpus gestare, quod illi proprium erat. *Epiphanius in Ancorato*: Passio carnis, quæ à diuinitate gestabatur, ipsi diuinitati est imputata, vt in diuinitate nobis salus contingeret. *Eustathius apud Theodoretum*: λόγος gestauit humanum organum, quod assumsit ex virgine. *Cyrillus lib. 6. de Trinit.* Filius Dei dispensatiuè gestauit simul cum humanitate, quæ sunt humanitatis. *Augustinus de fide ad Petrum cap. 2.* Semper incommutabilis manet humanæ naturæ Christi veritas, quam sibi vnitam diuinitas gerit. *Item*: Alios homines regit, hunc gerit Deus. *Damascenus*: Non in propria subsistentia sustentata est Dei Verbi caro, sed in hypostasi Verbi sustẽtata subsistit. *Hinc duas in Christo naturas discernens, aliam, hoc est, diuinam, connaturalem esse dicit suæ hypostasi, humanam verò vocat consustentatam.*

li. 13 de Trinit. cap. 18.

lib. 3. cap. 4 & 9.

Per hoc igitur quòd Patres carnem Christi à Verbo gestari & sustentari dixerunt, veram vnionis personalis rationem, quam Chalcedonensis & Constantinopolitana Synodi secundum subsistentiam, & non, vt Nestorius voluit, per assistentiam esse senserunt, exprimere & denotare voluerunt. Sicut enim vbi caro Christi à Verbo non gestatur, vel sustentatur, sed in propriæ suæ naturæ persona subsistit, personalis per hoc vnio necessariò in duas hypostases cum Nestorio dissoluitur: ita ex personali hac vnione carnem à Verbo gestari & sustentari, sicq; Verbi propriam, atque vnum cum eo ὑφιστάμενον, seu compositam ex vtraq; natura hypostasin fieri oportet. Huc pertinet, quod non ineleganter Scholastici dicunt: Verbum quod est hypostasis diuinæ naturæ, per naturam, se facit hypostasin humanæ naturæ, per vnionis gratiam. *Hoc igitur modo humanitatem Christi, non in suæ naturæ propria, sed in æterna Dei Verbi persona gestari & sustentari, sicut hominẽ Christum toto genere à reliquis hominibus discernit: ita quoque contra Disputatoris nostri futiles & ineptas argutias rectè ad specificam personalis vnionis differentiam refertur.*

Damasc. lib. 3. cap. 7.

Personalis vnionis modus.

Nec illum subleuat, sed potiùs tanquam ἰσαυτοφόρα deprehensum, magis magisq; confundit dictum Scripturæ, quod in suam malè contortum sententiam allegat: Qui cùm sit splendor gloriæ, & character substantiæ illius, sustinetq; omnia Verbo illo suo potente &c. vbi Græca phrasis dolum protinus aperit. Neq; enim gestari & sustineri omnia in λόγῳ subsistentialiter affirmat Diuus Apostolus, sicut Vbiquitatis iste Apostolus, sine prorsus colore persuadere lectori conatur: sed potiùs de absolutissima illa rerum omnium effectrice, & sustentatrice potentia τοῦ λόγου concionatur, secundum quam Filius æterno Patri

Hebr. 1.

Interpretatio dicti Paulini.

Patri ὁμοούσιος est, vtq; per λόγον omnia sunt condita, ita eiusdem τοῦ λόγου Verbo, hoc est, omnipotenti nutu, τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτοῦ, omnia sustinentur & conseruantur. Verbum enim, id est, ῥῆμα, non autem ὁ λόγος, vt accipitur apud Iohannem, hoc in loco nutum, voluntatem & ordinationem declarat. Et verborum Apostoli sensus est: Christum, qui solo nutu totum mundum conseruat, non tamen recusasse munus peragendæ nostræ purgationis. Quid autem totius mundi gubernatio, hoc est, gradus ille præsentiæ Dei vniuersalis, ad euertendam differentiam specificam vnionis hypostaticæ? Aut quomodo istius Disputatoris funiculi ex arenis contexti coherent, quando sic argumentatur: Negare non possumus, λόγον omnia sustentare & gestare. Ergo quòd humanitas Christi à λόγῳ sustentatur & gestatur in vnitate personæ, ita vt nisi hoc modo gestaretur, in nihilū redigeretur: id partim Christi humanitas nobiscum commune habet, partim verò magis nobis, quàm illi conuenit? En tibi qui nullam de tribus prioribus modis præsentiæ Dei controuersiam esse simulabas: siccine te persuasurū nobis somnias, vt idem esse credamus: quouis, hoc est, generali illo præsentiæ Dei modo sustineri, siue ab omnipotentis Verbi nutu pendere: & hoc ineffabili modo, in ipsa nimirum æterni Verbi hypostasi, ad efficiendum vnum ὑφιστάμενον, sustentari? O dignum elleboro cerebrum. Ambiguitas est in verbo sustentandi, quod aliàs generaliorem habet vsum, & ferè idem significat, quod Græcis est φέρειν, καὶ ἄγειν: aliàs specialiorem, quando respondet Græcorū substantiuo ὑφίστασθαι, vt in hoc mysterio, cuius tamen verbi proprietatem & vim minùs exprimit. Retinetur autem propter Latinæ linguæ inopiam. solius enim huius massæ assumtæ τὸ ὕπαρξιν ἐν τῇ τοῦ λόγου ἑνώσει γνωρίζομεν, secundum Athanasium. Ex quo ergo sustentandi verbum nudè positum, de primo gradu præsentiæ Dei vsurpatur: tamen in hoc mysterio longè aliud significat, nec ponitur nudè, sed vitandæ ambiguitatis gratia habet additam differentiam, vt sustentari in Verbi persona, sit idem, quod Græci significantiùs dicunt, ἐν τῷ λόγῳ ὑφίστασθαι, hoc est, in naturali Verbo subsistere, vel personari. λόγος enim, teste Damasceno, factus est hypostasis suæ carni, eique in se ipso præbuit ὕπαρξιν, id est, existendi rationem. Vnde veteres rotundè & eleganter dixerunt: ἅμα σὰρξ, ἅμα θεοῦ λόγου σὰρξ. Ipsum enim esse carnis assumtæ, est esse vnitū λόγῳ. Athanasius dicit, Ipsius carnis existentiam in ipsa vnione Verbi designo. Aliàs nec Deus verè ex Diua virgine nasci, nec Maria Dei mater seu θεοτόκος piè dici, nec blasphemia Nestorij solidè refutari potuisset. Proinde cùm omnes in vniuersum res, aut in sua natura propria, aut in aliena hypostasi, vt sint τόδε τι, subsistere

Dial. 3. de Trinit. & dial. 4. Sustentari est personaliter in Verbo subsistentiam habere.

Lib. 3. ca. 2.

& sustentari sit necesse: Sequitur, quòd si humana Christi natura, qua in ipsa vnione cum Verbo, vt esset, ὑπαρξιν, seu existentiam suam est consecuta, ab hypostasi Verbi non sustentaretur, sicut tunc absque vlla hypostasi existere non posset, ita nihil nisi metaphysicus cõceptus futura esset. Hinc Damascenus humanam Christi naturam *ἀνυπόστατον dici ait,* propterea, quòd ab altera hypostasi assumta, in ipsa suam habeat existentiã. *Quòd si quis eam in propria hypostasi subsistere posse dicat, is scire debet, hanc humana naturæ massam non esse sic ex Virgine assumtam: itaq; à propria sua hypostasi personata, non eadem, sed alia numero humana Christi natura, & eiusmodi quidem, qualem Nestorius Christo, vt homini seorsim & per se, hoc est, extra ipsius Verbi subsistentiam tribuebat, dicenda foret. Contra quod sic habet edictum Iustiniani:* Humana Christi natura per se absolutè nũquam dicitur, quia nec subsistentiam seu personam habuit, sed in subsistentia Dei Verbi initium, vt esset, accepit. *Hæc verò si non intelligit, magnus ille noster opinione sua Theologus, & peracutus scilicet disputator, non debebat propterea doctissimum Philippum, rectè de hac re cum Orthodoxis sentientem, flagellare, multò minus oportebat, egregios istos (si diis placeet) Candidatos & Doctorandos, ex hac immerita Præceptoris sui plaga, turpissima assentatione, ab hoste honoris titulum ambire.*

Damascenus in Dialectica cap. 42. & 44.

Vide Synodum Ephesinam. In Concil. 3. Constãt.

39. *Quæ verò, non inquam fronte, sed conscientia, nisi vt totam Orthodoxã fidem conuelleres, illam etiam diram vocem emisisti, qua Filium Dei naturam assumtã, non tantùm, si vellet, deponere posse, verùm etiam suam nihilominus Christum, qua homo est, hypostasin habere fingis, nec propterea indiuiduam illam assumtæ carnis massam, in nihilum redactum iri, sed potiùs superstitem fore, excepto tamen peccato nobis similem. Qua tamen ratione, non tantùm saluator humani generis esse non potuisset: verùm etiam, quemadmodum nos profectò Lutherus, sed tu simia Lutheri inquis, ipse saluatore indigeret. Quibus verbis non simplex inest blasphemia.* Primò, *ex omnipotentia Dei absoluta ita argumentando concludere videris, vt Filium Dei etiam contra voluntatem Patris, ea, quæ ne velle quidem potest, perficere posse, hoc est, abolito Patris decreto se ipsum abnegare, & quæ vera sunt, eo ipso, quo vera sunt, irrita facere, vtq; vera non sint, præstare posse somnies. Neq; elaberis, quòd liberrimæ voluntatis conditionem, binis illis vocibus insertis, si vellet, expresseris. Etsi enim nulla coactione, sed liberrima voluntate, & mera misericordia Mediatoris partes susceperit: tamen postquam in sacratissimo Trinitatis senatu, decretum nostræ reparationis hoc modo, vt Verbum caro fieret, sancitum est, idq; Filium*

Blasphema vox.

I.

Dei

Dei sua εὐδοκία propter nos homines, & propter nostram salutem ratum habuit & approbauit, eo ipso consensu voluntarias æterni fœderis nobiscum feriendi quasi leges, nulla vnquam neque diuina, neque humana vi & potentia abolendas, sibi vltrò circumdedit, vt talem aliquam vel vim, vel voluntatem, qualem disputator somniat, Filio Dei ascribere nihil aliud sit, quàm sub infinitæ omnipotentiæ & libertatis prætextu, gloriam ipsi veritatis & constantiæ adimere, adeóq; leuitatis, seu mutabilitatis maculam inurere: hoc est, æternæ deitatis proprietate spoliatũ, in creaturarum ordinem penitus redigere.

II. *Deinde eo ipso, quòd naturam assumtam etiam extra vnionem subsistere posse disputat, aperte in Nestorij castra transfugit, qui nihil minùs, quàm hanc disputatoris sententiam impugnaturus fuisset.*

III. *Tertiò ex eodem percontari libet, vnde illud tandem vel habeat, vel demonstraturus sit, quod addit: Qua ratione autem saluator humani generis esse non potuisset, sed ipse saluatore indigeret. Quòd si humanitas Christi etiam extra Verbi assumentis hypostasin subsistens, nobis similis esset, excepto tamen peccato, quorsum igitur peccati expers saluatore indigeret? Aut quomodo ista cum Messiæ officio congruunt, quod ex Angelo Ioseph us didicit: Vocabis nomen eius Iesus. Ipse enim populũ suum à peccatis saluum faciet? Qui verò peccato planè non obnoxius est, quorsum seruatore opus habebit? aut quid ei profuerit? Videris ergo, quàm impudenter Lutheri nomen polluas, cujus, ni fallor, patronus haberi vis. Quis enim Filium Mariæ, Saluatoris officio fungi non potuisse affirmat, nisi in se fuisset ἀναμάρτητον, & quidem Dei simul Filius in vnitate personæ, eius tu autoritatem suppresso testimonio, in stabiliendo tam absurdo dogmate, allegare non erubescis?*

Nestorianũ est, dicere naturã assumtã subsistere posse extra vnionem.

Matth. 1.

40. *Ad Scholasticorum Theologiam quod attinet, certum est, nonnisi à recentioribus, & inferioris classis glossatoribus potiùs, quàm Theologis, quasdam in mysterium incarnationis ἀκυρολογίας & barbaras, & erroneas inuehi cœpisse, tum cùm sacræ Cœnæ in opus toto genere diuersum ab institutione trãsformatæ vndecunque rationes colligerent.*

41. *Sicut autem isti ad saluandum panis consecrati, siue transsubstantiationem, siue annihilationem, siue desitionem, vt nouum Christi corpusculum, cuius se blasphemi sacrificuli creatores iactitabant, succedere posset, omnis generis absurda cumularunt: ita hodie Vbiquitarij, ad obtinendam prodigiosam suam, quam nudius tertius finxerunt, consubstantiationem, hoc est, localem illam corporis Christi, in, sub, & cum (quæ præpositiones, seu tria monosyllaba, tantas, proh dolor, in Ecclesia turbas dederunt, non nisi sacramentaliter in*

hos mysterio vera sunt) panis situ ac motu coëxistentiam, toti eruditæ antiquitati, quod ex Orthodoxo eiusdem consensu, nisi suis tantùm chartis incumberẽt, ne fortè meliores euadere cogerẽtur, discere poterãt, ignotissimã, omnia ima & summa loco mouent, ipsamq; historiam Symboli, quam Lutherus rectè nominauit historiam historiarum, in allegoriam transformant, vt non immeritò ab omnibus intelligentibus hoc nomine grauissimè accusentur & refutentur, quòd videlicet doctrinam de vnione personali, & communicatione Idiomatum, per philosophicas malè contextas speculationes petulanter corrumpant, & à phrasibus sanctorum Patrum, quos per contemtum, vt inter securos Epicuri de grege porcos risum moueãt, non sine pietatis & veritatis dispẽdio faceti, nunc Patres, nunc Matres salutant, recesserint. Qua fide autem Lutheri autoritatem allegent, vt tanti viri pallio tecti lateant, sub finem disputationis, adductis quibusdam eiusdem testimoniis, perspicuè docebimus. Nugatur autem, nec res, nec verba intelligens, nugatorius ille Disputator, quòd Scholasticos, propter aliquam erroris causam, Sustentationis verbum abiecisse, & in locum ipsius sustentificationis verbum ab iisdem substitutum esse fingit. Idem. n. Scholasticis vtrumq; significat, qui & magis adhuc barbaro vocabulo Suppositationis vsi fuerunt, quod ipsis nihil aliud est, quàm personalem naturæ dependentiam terminare. Quoniam enim nullum humanæ naturæ proprium ὑφιστάμενον est, ab aliena hypostasi dependere & sustentari eam est necesse. Proinde nulla est inter hæc sensus differentia: Humanam naturam in hypostasi Dei Verbi substitere: Vnum cum eo ὑφιστάμενον seu suppositum esse, & à λόγῳ per vnionem sustentari, quod qui rectè & propriè dictum esse negat, hunc necessariò quid verè sit vnio κατὰ ὑπόστασιν, flagitiosa insciticia ignorare oportet. Et hoc quidem satis de se ipso testatur infamis iste Sophista, cùm sic execranda cum impietate scribit: Si vnio personalis definiatur per subsistentiam Verbi, negari non potest, res omnes à Verbo Dei substantialiter sustentari, nisi velint dicere, subsistentiam Verbi rebus creatis nõ adesse. Ideo de creaturis omnibus diceremus, eas personaliter Filio Dei vnitas, à cuius hypostasi & subsistẽtia sustẽtantur. Item: In quolibet homine, imò etiam in qualibet creatura duæ concurrunt substantiæ, quarum altera est subsistentia Verbi, qua omnia sustentantur: alia est hominis ipsius, quã λόγος sustẽtat. Quæ sic pro euertenda Chalcedonensis & Constantinopolitanæ sextæ Synodi sententia, de vtriusque naturæ & proprietatum ipsius in vnam subsistentiam concursum, quo hypostatica seu personalis vnio definitur, non veritus

Orthodox. conf. cap. 2. & 7. & 9.

Scommata Vbiquitariorum in Patres.

Damasc. li. 3. cap. 2.

Verbum est hypostasis carnis assumta. Ergo eã sustentat.

Contra Ingolst fol. 25.

fol. 44.

ipse

est scribere hic Orthodoxæ fidei profanator & hostis, nec tamen à collegis suis in hoc blasphemo errore, vt fieri oportuit, reprehensus vnquam fuit.

42. *Interea verò nos genuinam & Orthodoxam admirandæ illius in Christo duarum naturarum inter se diuersissimarum, vnionis hypostaticæ sententiam ab Vbiquitariorum corruptelis vindicare pergamus. Vera igitur, hoc est, omnium rectè Filium Dei inuocantium calculis approbata fides procul dubio hæc est. In Christo est aliud, & aliud tum natura, tum proprietate essentiali, tum voluntate & operatione: at non est in Christo alius, & alius, quoniam Christus vnica est hypostasis. Hinc illud necessariò conficitur: Sicut ὁ λόγος non est homo alia ratione, quàm quia humanam naturam assumsit, non autem quasi Deitas Verbi sit facta humanitas, aut naturæ, aut essentialis vllius proprietatis, aut operationis in ipsam transfusione, ac proinde non in sese, sed in assumta carne: eadem prorsus ratione homo iste idcircò est ὁ λόγος θεὸς, quoniam hic illum assumsit, non quòd humanitas euaserit Deitas, aut essentiæ, aut essentialis vllius proprietatis, aut operationis in ipsam effusione, ac proinde non in sese, sed in assumente natura Verbi, quod apud Scholasticos gratia vnionis dicitur. His ita præmissis, consideremus iam obiter Disputatoris vanitatem: disputat enim de actu primo & secundo, vt persuadeat lectori, quicunque realem idiomatum κοινωνίαν negent, eosdem Christum non nisi actu secundo Deum constituere. Sed agè, quàm id verum sit, breuiter examinemus. Actus primus est omnium verè eruditorum iudicio, ipsa δύναμις φυσικὴ: sicut ἐνέργεια φυσικὴ est actus secundus. Vt igitur ἐνέργεια δύναμιν præsupponit φυσικῶς: ita δύναμις præsupponit veritatem naturæ. Vnde consequitur, nihil posse κατ' ἐνεργείαν tribui rei, quin eidem prius tribuatur eiusdem energiæ δύναμις φυσικὴ, adeoq; ipsius naturæ veritas. Vt ita nugatoriã esse Disputatoris, nisi impropriè loqueretur, consecutionem necesse foret. Sed cùm Vbiquitarij contendant, Christum propterea esse dicíque Deum, quia secundum vtramque naturam sit omnipotens, omniscius, omnipræsens: ne tamen exæquationem statuere videantur, æternam Verbi essentiam τῇ φύσει, naturam: naturam autem assumtam τῇ χάριτι, gratia, omnipotentem, omniscíam, & omnipræsentem esse clamitant. Cùm ergo ἡ χάρις tam ἐνεργείαν, quàm δύναμιν conferat ἐπίκτητον, ὑφυσικῶς, acquisitam, non naturalem: necesse erit, τὰ θεῖα Filium Mariæ, secundum Vbiquitariorum sententiam, non esse Deum τῇ φύσει, ἀλλὰ τῇ χάριτι. Atque ita, quam aliis maculam aspergere conantur, sibi ipsis inurunt, & ἐπ' αὐτοφώρῳ, quod aiunt, deprehenduntur, quòd ex Christo tantùm precarium, accidentarium, factitium, adeóque reuera secundarium*

Gratia vnionis quid sit Scholasticis.

Secundum Vbiquistas, homo est Deus, non per naturam, sed per gratiã. Vide Fulgent. de nat. & gratia cap. 3.

quendam Deum fabricent: id quod Nestorianum partim est, partim etiam A-
rianum. Rursus, cùm certum sit, Filium Dei factum esse hominem, assumendo
naturam nostri generis, substantia, proprietatibus, & energiis nobis consub-
stantialem: quam realis idiomatum κοινωνία in aliam speciem conuertit, ei
naturæ humanæ definitio, vt autor thesium inferiùs clarè affirmat, non com-
petat: sequitur, Filium Dei, per realem idiomatum suorum factam carni com-
municationem, propriè loquendo, neque actu secundo, neque actu primo es-
hominem nobis consubstantialem, sed potiùs tota specie à nobis diuersum: &
hominem titulotenus, non re: quod Marcioniticum est partim, partim etiam
Eutychianum.

Christus nec actu secundo, nec actu primo Vbiquitario est homo.

43. Huic explicationi nihil inest, vel obscuritatis, vel ambiguitatis. Præstigias enim istas otiosorum hominũ toto pectore repudiamus, & vt quouis Christiano homine, nedum Theologo indignissimas nugas planè abominamur & execramur, si quis ita ludat: Hic homo est Deus, id est, Deus est Deus, & homo est homo. Vel, Deus sustentans hominem est Deus. Et, Homo sustentatus à Filio Dei, est homo. Si quis vnquam, quod saltem demonstrari vellemus, ne ἀναπόδεικτα, indemonstrabilia proferrentur, ita vel sensisse, vel scripsisse conuincitur, vt per explicationem propositionis illius: Hic homo, Iesus videlicet Nazarenus, est Deus: aut Filius Mariæ est creator cæli & terræ &c. naturam assumtam à persona Verbi assumentis separaret, aut excluderet: eum cum Nestorio impiè delirare, & legitimo grauissimóque Ecclesiæ iudicio iam pridem anathemate percussum esse affirmamus. Sed è regione neque illos hæreseos absoluimus, qui Orthodoxas Ecclesiæ locutiones: Christus est Deus, omnipotens, omniscius, infinitæ sapientiæ, potentiæ, creator & conseruator cæli & terræ &c. cum Vbiquitariis ita deprauant, vt Christo secundum vtramque naturam prædicata hæc attribuant, Christus enim cælum & terram sustentat, non quà homo, sed quà Deus est. Et quanuis homo Deus sit, quia tamen hic homo non in suæ naturæ propria, sed in æterna Verbi persona subsistit, hinc est, quòd non humanæ naturæ, sed ipsius hypostasis, in qua homo est, ratione & respectu, Deus esse dicatur. Vnde etiam omnipotens, omniscius, infinitæ sapientiæ & potentiæ est, non quatenus matri, sed Patri ὁμούσιος esse intelligitur. Hoc qui negat, in hæreticissimam Eutychianorum sectam furenter se ipsum præcipitat. Et quid tandem est actu secundo, non primo (actum autem secundum hic τὸ ἐπίκτητον, acquisitũ, actum primum τὸ φυσικὸν nomine, vt in eo facilius Disputatoris commissam in hisce terminis ἀκυρολογίαν refutem) hoc est, per accidens, non per se, Christum Deum profiteri, quàm eundem

Præstigiæ Schmidelini.

à sancto

à sanctis, non nisi effusæ diuinæ maiestatis, seu ἐνεργείας ratione discernere? quam maiestatem cùm tempore humiliationis Filium hominis non vsurpasse, sed planè retraxisse fingant, vt & totus, & totum, hoc est, secundum vtramq; naturam Christus pati posset scilicet, ex hoc sanè principio, Christum ne quidem Deum fuisse tum, neque verum hominem, sequeretur. Optandum esset autem, Scholasticos Theologos ab hoc Aristarcho maiore cum diligentia & fide fuisse lectos, quod si fecissent, intelligere ex ipsis potuissent, in hac prædicatione, seu locutione: Homo est Deus, &, Deus est homo: subiectum non esse naturam, qua Deus vel homo Christus est, sed personam & hypostasin, quæ ab hac, vel illa natura Deus & homo est. Non igitur reprehendi hac explicatio potest: Homo est Deus: id est, hæc persona & hypostasis, quæ propter assumtam humanitatem homo est, est Deus. Quæ enim, inquiũt Scholastici, in vno supposito, seu ὑφισαμένῳ vniuntur, in concreto de se inuicem prædicantur, propter ipsius suppositi vnitatem & identitatem. Impium verò & execrandum est affirmare, humanam naturam in hac prædicatione prorsus excludi, nisi etiam ipsius ratione & respectu Homo Deus esse dicatur. Nõ enim alia ratione Homo Deus esse dicitur, quàm qua, vt Damascenus hoc explicat, etiam eodem locutionis sensu, increatus, impassibilis & incircumscriptus dici potest. Huc pertinet eiusdem Damasceni: Totus Christus Deus est, sed non totum Deus. Nam totum est naturæ repræsentatiuum, totus autem hypostaseos. Est autem totus Deus cum humanitate eius, & totus homo cum diuinitate. Iam verò, si secundum Antagonistæ nostri sententiã, Homo Deus esse dicatur, non κατὰ ἄλλο, sed propter aliquem in humana natura respectum, communicatas videlicet realiter Deitatis in illam proprietates, inter quas tamen æternum & increatum recenseri non poterunt, cur non potiùs totum in Christo Deus esse dicetur? Sic enim alibi in fanaticis suis scriptis delirat blasphemus iste Disputator, vt Christum hominem Deum esse dicat, partim essentialiter, diuinæ ipsius naturæ respectu, partim verò personaliter, propter communicatam videlicet humanæ naturæ à secunda hypostasi diuinitatem, secundum quam docet, Christum esse Deum, non essentialiter, nõ formaliter, non habitualiter, non subiectiuè, sed quasi per accidẽs. O verè execrandam hanc perditissimi hominis mateologiam! At cur non potiùs ex Augustino & Patribus, quàm ex hac vbiquitaria sua mateologia intelligere didicit, quomodo vsitatè in Ecclesia Homo Christus dicatur Deus? Sic enim hoc Augustinus intelligendum esse explicat: Quamuis in terra factus sit Filius hominis, diuinitatem tamen suam, qua in cælo manens,

Thom. Aq. 3 par. qua. 16. artic. 1. 2. & 7.

Vide Hessiandrũ cõtra omnipræs. carnis Christi. fol. 51.

lib. 3. cap. 4. in fine.

Lib. 3. ca. 7. & 18.

In assert. contra Bezam, & contra Ingolstad. fol. 25. & 35.

lib. 1. de remiss. pecc. cap. 3.

descendit ad terram, non indignam censuit nomine Filij hominis, sicut carnem dignatus est nomine Filij Dei, ne quasi duo Christi accipiantur, alter Deus, alter homo, sed vt vnus atque idem sit Deus & homo: Deus, quia in principio erat Verbum, & Deus erat Verbum: Homo, quia Verbum caro factū est, & habitauit in nobis. *Et Fulgentius:* Verbum dignatum est caro fieri, vt posset caro Verbi, hoc est, Dei nomine nuncupari. *Item*: Ex eo, quòd Deus author vitæ hominem in vnitatem personæ accepit, ex eo ille homo nomen vitæ authoris obtinuit. *Hinc Theodoretus:* Vnio communia facit nomina.

Damasc. li. 3. cap. 17.

Lib. de Incar. et grat. ca. 10. & li. 2. ad Thra.

44. *Rectiùs ergo sibi consulunt, qui vtrumq; scopulum declinantes, admiris Ecclesia linguam puram & vernaculam se assuefaciunt (cuius rei totius fidelissimis præceptoribus nos commonefieri etiamnum meminimus) in qua sanctos olim Patres, & Orthodoxæ fidei ac purioris doctrinæ assertores, hanc admirandam naturarum in Christo, quæ vnum ὑποστάμενον constituat, vocabulo κοινωνίας, seu cōmunionis, qua vtraq; natura in vna cōmuni hypostasi vnita subsistit, expressisse, nequaquā inficiamur: sed quòd realem diomatum communicationem hinc sibi fabricant Antagonistæ, qua Deitatis essentiales suas proprietates in carnem, quæ illas in se receperit, reali quadam participatione contulerit: id nullo veterum testimonio probari posse, totiúsq; dei Christianæ symbolo repugnare, adeóq; ineffabile hoc incarnationis mysterium euertere potiùs, quam stabilire, imò vtriusque naturæ veritatē in Christo delere, & in vnum tertium conflare, firmissimis adducti rationibus, affirmamus.*

Vnionē naturarū in Christo Orthodoxi vocant κοινωνίαν.

Natura nō sunt prorsus κοινώνητοι (vt), hoc est, naturas omni modo incommunicabiles esse, seu quod idem est, in vnam hypostasin prorsus non posse vnire, nec vnam vtriusque subsistentiā esse, vt Nestoriani docebant, fingimus: sed mediam inter vtrumque scopulum nauigationem eligentes, eam naturarum communicationem negamus, quam Vbiquitarij nostri cum priscis Eutychianis defendunt, quòd ea naturarum proprietates ac discrimen tollat, & confusionem efficiat: iuxta Lutheri axioma: Tollens proprietates, tollit naturas. Eam verò fideli atq; sincera mente, & sine verborum inuolucris approbamus, quam Nestorius improbauit, videlicet δύο φύσεις διῃρημένως ἐχούσας, id est, duas naturas in Christo per propriam cuiusq; hypostasin separatas, atque hoc modo ἀκοινωνήτους esse contendebat, quasi alius sit Christus, alius Deus Verbum in ipso inhabitans. Qua vi

Idem Synodus Constant. 6.

ba ex Theodoro Presbytero thesibus non ascripta esse miramur: cumq; Nestorium aliam illã ab Orthodoxa veritate, aui sui Pauli Samosateni (huius enim nepos fuisse scribitur) sententiam in Ecclesiam reuocasse constet: rogo ne molestum sit pio lectori, locum integrum considerare, vt refutare discat huius impostoris & spermologi insulsas nugas, quando negabit paulò pòst, à Nestorio aliam Christo, aliam Filio Dei personam esse attributam. Ascribam ergo locum integrum, vt palàm fiat, qua fide Patres Bergenses (qui eandem narrationem Pandoræ suæ inseruerũt) veterum testimonia partim deprauata, partim mutilata citent, inq; suam sententiam planè contra authorum mentem detorqueant. Theodori igitur Rhœtensis, recitantis opinionem Pauli Samosateni, hæc sunt verba: Paulus autem quidam, iisdem, quibus Manes, temporibus, Samosatenus quidem ortu, sed Antiochię Syriæ antistes, Dominum impiè dixit nudum fuisse hominem, in quo Deus Verbum, sicut & in singulis Prophetis habitarit: ac proinde duas naturas separatas, & citra vllam prorsus inter se communionem, in Christo esse, quasi alius sit Christus, alius Deus Verbum in ipso inhabitans. Et hinc quidem primùm orti sunt, qui tum vnam naturam, tum duas in Christo naturas esse perperam & impiè dixerunt, modò vt Deitatem, modò vt humanitatem abolerent. Hæc ille. Ista verò naturarum inter se κοινωνία, quam nos ex earum vnione fatemur, hoc efficit, vt in cõcreto de se inuicem (vt suprà dictum est) propter vnam & communem vtriusq; hypostasin, nunc ab hac, nunc ab illa natura appellationes dicantur. Hinc homo Deus, & Deus est homo: quod alioqui fieri non posset: si, quod Samosatenus & Nestorius volebãt, nulla prorsus naturarum κοινωνία, & mutua in eandem hypostasin περιχώρησις, sed cuiuslibet sua propria hypostasis & subsistentia esset: propter quod Nestorius hominem Christum dicebat tantùm per communicatam authoritatis & dignitatis æqualitatem connuncupari Deum, nec Deum ex virgine natum, sed nato coniunctum esse.

Nota hìc Lector.

Locus ex Theodoro presbytero.

Leo Romanus in epistam ad Flavianum.

46. Hinc aliquo modo intelligi potest, quomodo Ecclesiastici scriptores, ante Synodum Chalcedonensem, vocabulis κοινωνίας καὶ ἑνώσεως, id est, vnionis & communicationis, vel potiùs communionis, pro iisdem in hoc mysterio vsi sint. Cùm enim natura vtraque, saluis omnibus proprietatibus, in vnitatem personæ & λόγου concurrat, nec seorsim, aut separatim singulæ post ἕνωσιν factam subsistant: ideo rectè olim communicari naturas dixerunt, quod posteriores concinniori vocabulo vniri nominarunt. Vtq; in hac significatione realem na-

Κοινωνία naturarũ in Christo, est earũ in vnam hypostasin cõcurrentia.

Vide Apo-

turarum & proprietatum, addo etiam actionum communicationem, hoc est, inseparabilem vnionem, quæ Nestorianæ diuulsioni & distractioni opponitur, naturarum autem veritatem & differentiam non abolet, nullo modo negamus: ita combinationis & cõglutinationis, ac duorum quasi asserum, vt Pandora loquitur, ferrumentationis, aut id genus aliis prodigiosis siue vocabulis, siue phrasibus, si quis in explicatione huius mysterij abusus est, eiusdem luxuriosam nouandarum vocum temeritatem minimè excusamus, imò etiam serio detestamur & damnamus.

logiam Heshusiorũ cõtra Iacobũ Andr. fol. 73. cũ seq.

47. Communicatio autem hæc naturarum & proprietatum, non ea est intelligenda, quam somniant Vbiquitarij, qui ad palliandum suum errorem, & conflandam innocentibus inuidiam, quotquot suorum portentorum approbatores non habent, pro Christiana sua caritate, oppressos cupiunt, ideóque vt Sacramentarios calumniosè proclamant, cùm de præsentia corporis Christi Sacramentali ita interim differant, vt veritate corporis, quo nullus error Sacramentarius, vel crassior, vel deterior vnquam extitit, Christum, quo ad ipsa reuera spolient. Isti ergo talem somniant naturarum & proprietatum, siue idiomatum communicationem, qua caro Christi, vi eius vnionis, re ipsa particeps fiat omnium Deitatis proprietatum, adeo vt Christum, non tantùm quà Deus, sed etiam quà homo est, Deum esse æternum, omnipotentem, omniscium, extra vterum, etiam ante virgineum partum, vbique præsentem, & conseruatorem vniuersi: nec tantùm quà homo, verùm etiam quà Deus est, doloribus inferni, & agonem mortis degustasse, denique secundum vtramque naturam pro nobis in ara crucis expirasse, & morti succubuisse, dira voce contendant.

Vbiquitarũ error de communicatione naturarũ & proprietatum, & absurda, quæ inde consequuntur.

48. Contra quem planè execrabilem errorem, quibuscunque tandem coloribus pingatur, non dubitemus Hieronymi sententiam, totius Ecclesiæ Orthodoxæ calculo confirmatam, rectè vsurpari, qui ad Damasum scripsit: Illorum quoque execramur blasphemiam, qui nouo sensu asserere conãtur, à tempore susceptæ carnis, omnia, quæ erant Deitatis, in hominem demigrasse: & rursum, quæ erant humanitatis, in Deum esse transfusa, vt, quod nulla vnquam hæresis dicere ausa est, videatur hac confusione vtraque exinanita substantia, Deitatis scilicet & humanitatis, & à proprio statu in alium commutata. Hæc ille. Recitauimus enim verba, sicut ab authore scripta sunt. Noster autẽ Disputator, pro phrasibus Hieronymi, quæ erant Deitatis, quæ erant humanitatis, subdolè posuit, quæ erant Deitas, quæ erant humanitas. Si id factum est incuria librarij, saltem inter σφάλματα τυπογραφικὰ annotari debuisset. Sed nihil

In explanat. Symboli ad Damasum.

me animus fallit, quò facilius suum nobis commentum persuadeat, nouam etiam, non inquam distinctionem, sed potius diuisionem nunc parturit, inter ipsam videlicet Deitatem, & quæ sunt Deitatis, hoc est, inter essentiam & Idiomata. Id quod attentus lector ex sequentibus thesium ipsius strophis, etiam me tacēte, intelliget. Interea qua fide Orthodoxæ antiquitati subscribat præclarus ille Pantachus, cùm testimonia quæ citat, deprauet, vel ab hoc exemplo æstimare prudentis fuerit.

Distinctio noua Vbiquitariorū inter Deitatem & essentiam, & quæ sunt Deitatis idiomata.

49. Siquidem ergo naturarum nulla fingenda confusio, sed earum differentia etiam in ipsa vnione seruanda est: Cyrillū audiamus, qui sic, quæ de Christo dicuntur, intelligenda esse docet, vt nec quæ Deitati conueniunt, humanitati ipsius tribuantur: nec quæ humanitatis propria sunt, ad Deitatem ipsius detorqueantur. Vnus enim idemque Christus est, *inquit Fulgentius*, qui quod humanum est, habet Deus, in veritate humanæ: & quod diuinum est, habet homo, in veritate diuinæ naturæ. "Neque personam diuidunt in Christo naturarū propria, neque vnitas personæ potest vtriusque naturæ propria confundere, vel auferre. Manet ergo in hac inconfusa proprietatum differentia, caro & humanitas Christi visibilis, palpabilis, quantitate & loci spatio circumscripta, nec fit simul per vnionem inuisibilis, inpalpabilis & incircumscripta. Alioqui, quomodo ab istis humanæ naturæ proprietatibus, in vnitatē personæ coassumtis, Filius Dei, Verbum, dici posset factus esse homo visibilis, palpabilis, localis & circumscriptus?

Cyrillus li. 5. de Trinit. & Damasc. lib. 3. cap. 4. Ad Thrasim. lib. 3. Idem li. de incarnat. & gratia. cap. 2. "Aurea regula.

50. Hac igitur naturarum fixa & immota stante differentia, cùm nihilominus hæ ipsæ naturæ sint vnum ὑφιστάμενον, & vnus sit Christus Deus, & homo, fit vt natura vtriusque propria de tota persona verè & realiter prædicatur. Eam loquendi formam nominarunt κοινωνίαν ἰδιωμάτων, id est, communicationem proprietatum. Nec eādem planè vim habet hoc in loco vocabulum κοινωνίας, cum vocabulo ἑνώσεως. Sed cùm pro ἑνώσεως vocabulo, ante Nestorij & Eutychetis certamina, Patres Orthodoxi vterētur voce κοινωνίας: postea ἑνώσεως tanquam concinniore vocabulo inuento, factum est, vt non amplius συνωνύμως ambo pro mysterij illius re ipsa vsurparentur, sed alterum quidē rem, alterum verò quasi Canonem seu regulam enuntiandæ rei describeret. Atque ita verè quidem & realiter, addo etiam essentialiter duas illas naturas in vna indiuulsa Verbi hypostasi vnitas subsistere profitemur: communicationem autem Idiomatum dicimus esse formam loquendi minimè fictitiam, aut imaginariam, sed veram, quam etiam, si fortè placari se paterentur Antago-

Quomodo hæc cõmunicatio Idiomatum sit realis.

nista, non recusabimus appellare realem, hoc est, rei ipsius veritati congruentem, qua proprietas, aut operatio vni naturæ cõueniens, attribuitur, non quidem alteri naturæ (id enim rei veritatem euerteret) sed potiùs personæ, à quacunque tandem natura denominatæ. Etsi enim hæ propositiones veræ non

Propositiones falsæ in abstracto.

sunt, Caro Christi est creatrix cæli & terræ, omnipotens, omniscia, vbique præsens. Item: Deitas & λόγος, passa, mortua, sepulta est: tamen non sequitur illas propterea esse falsas, aut imaginarias, vel per easdem otiosos tantùm, vt

Veræ in Cõcreto.

quidam nugantur, Christo titulos conferri, cùm dico: Christus, filius ille Mariæ, qui est caro de carne nostra, & os ex ossibus nostris, est Deus æternus, omnipotens, omniscius, vbique præsens, replens cælum & terram, creator & sustentator omnium. Item: Christus vnigenitus ille Dei Filius, benedictus in sæcula, pro nobis passus, mortuus, sepultus est. Addimus autem exemplo vocis diuinæ his propositionibus declarationem per particulam distinctiuam, κατὰ, secundum, vel iuxta, vt ostendamus non factam esse confusionem naturarum, aut physicam transfusionem proprietatum, neq; ad vtramque naturam accommodandum esse idioma, quod personæ secundum alterutram naturam tribuitur. Nequaquam enim diuina natura propterea passibilis existimari debet, quòd Christus Deus & homo passus esse rectè dicitur. Nec ideo naturæ humanæ, æternitas, aut infinitas tribui potest, debétve, quòd Christus homo, & Deus æternus atque infinitus est. Hoc qui non admittunt, quid faciunt aliud, quàm quod eo ipso, dum à Nestorianismo sibi cauere volunt, simul in Nestorij & Eutychetis foueam se dent præcipites, adeoq; non solùm Apollinaris deliramentũ, verùm etiã Manichæorum, Marcionis, Basilidis, Valentini, & aliorum furores, plus quàm Diabolicos, qui δοκήσει ἢ φαντασίᾳ Christũ hominem factum esse

Impostura Iac. Andr. & absurda quæ ex impostura eius sequũtur.

dixerunt, quasi ab Orco, proh dolor, in agrum Domini reuocent. Obseruetur autem illa etiam aduersarij impostura, quòd cùm vocabula κοινωνίας καὶ ἑνώσεως simpliciter pro iisdem vrgeat, adeo vt paulò pòst etiam mixtionis vocem his faciat συνώνυμον: hîc tamen realem insuper nescio quam naturarum communicationem in hac ipsa vnione fieri dicat. Exponat ergo nobis, cùm planè idem esse contendat vnionem & communicationem, atque ipsam etiam mixtionem: quàm igitur statuat vnionem, seu communicationem, seu mixtionẽ, in illa mirabili vnione & communicatione seu mixtione? Miscetúrne in Christo mixtio mixtioni? an vnitur vnio vnioni? an communicationi communicatio communicatur? Idémne sibi ipsi inest, aut potéstne in se ipso idem reabter existere, & denuò simul in semet ipso fieri? Et cùm illa ipsa naturarum sine vnio, siue communicatio, siue mixtio conſlituat Christi hypostasin, explicet

ergo

ergo se ipsum Pantachum, quam tădem, siquidem Nestorianus haberi non vult, Christi hypostasin in eiusdem hypostasi fingat. O plus nimis sibi confidentem, parumq; sui memorem veritatis corruptorem!

51. Agnoscimus autem, gratăq; mente prædicamus pias, quas nauarunt Ecclesiæ operas, grauissimi iam olim scriptores illi Ecclesiastici, Iustinus, Augustinus, Basilius, Damascenus &c. qui si controuersiæ huius siue arbitri, siue iudices, in libera Synodo secundum sacræ Scripturæ canonem, pari vtrinque veritatis stabiliendæ, & cōcordiæ ineundæ studio (ad quod pietatis officium, Deo, conscientiis & posteritati debitum, toties cùm præceptores nostri, tum alij Doctores Ecclesiæ Orthodoxi vltrò, gementes & supplices, addo etiam cum deuotione capitis, & oppignoratione vitæ, qua ferè nihil mortales carius habent, sese obtulêre) ferri possent, iam pridem omnis procul dubio sublata, & composita lis esset. Quorum tamen & sapientissimas gnomas, & illustres illas similitudines, δὶς διὰ παντῶν, à putidis Vbiquitariorum commentis discrepare constăter asseueramus. Verbi gratia: Quòd Sol, mundi oculus, radiis suis (sufficiat enim exemplum vnicum pro multis) totum horizontem illustret, omnésque res nascentes calore suo vegetet, & quasi viuificet, nemo sana mente præditus, inficias ibit. At is ipse tamen suam essentiā in totum terrarū orbem, aut quamuis brassicam minimè propterea diffudit. Quantò igitur minùs Soli illi Iustitiæ, Iehouæ Deo nostro, Iesu Christo, qui omnia potenti nutu suo regit, collustrat, vegetat, sustentat, nobísque membris suis ex plenitudinis suæ abundantia Spiritum vitæ impertit, & viuifica carne sua ad sempiternam salutem nos pascit, adeoq; æternæ suæ beatitudinis quasi prægustu, & radiis in hac ipsa peregrinatione languentes nostros animos suauiter reficit: Quantò igitur minùs, inquam, Soli illi Iustitiæ, Dei & Mariæ Filio, seruatori mundi, necessitas hæc imponenda est, contra æterni Patris decretum, vt nisi corpus suum, quàm latè orbis patet, inuisibili illo, nescio quo maiestuosa Vbiquitatis modo, sistat scilicet, & creaturas diffundat in omnes, promissis suis stare, hoc est, Ecclesiæ præsto esse, omniaq; illa, quæ enumeraui nobis beneficia conferre posse negetur? Et quid tandem ferri candentis, aut carbonis igniti, aliísve id genus similitudinibus, quibus ad faciendum fucum veritati contra conscientiam abusi estis hactenus, vestram illam portentosam πανταχουίαν, quæ reliquorum, quos circumfertis, errorum mater est omnium, iuuari somniatis? toties præsertim confusi & refutati. Pudeat vos, cramben plus millies coctam & recoctam, planeq; vt iam fœteat, decoctam, perpetuò in impurum os resumere. Respondebo tamen propter Lectorem. De ferro igitur ignito res ipsa

Similitudo Solis qua abutitur Smidelinus, illustrata.

Illustratio similitudinis de ferro ignito, non patrocinantur Vbiquitariis.

breuiter sic se habet. Non tantùm ad explicandam aliquo modo, ineffabilem illam duarum naturarum in Christo vnionem: sed etiam ad declaranda vtrunque actionum eiusdem, quas in vtraque natura, & secundum vtramque naturã, citra tamẽ confusionẽ & separationẽ perficit Christus ὁ Θεάνθρωπος, ἀποτελέσματα, seu effecta, similitudine illa vsi sunt Patres Orthodoxi: quanquam ad probãdam siue omnipræsentiã, siue omnipotentiã carnis assumtæ ad nihil proficit, vt vel maximè isti portento aduersetur. Ferrum.n. non per se, sed per accidens vrit: quia vim vrendi aliũde, nempe à calore ignis habet per accidens: cùm caro Christi nec per se, nec per accidens sit omnipotens, & omnipræsens. Si enim per se, non esset creatura: sin per accidens, necessariò illarum proprietatum Dei essentialium, quæ à creatoris essentia nunquam separantur, fieret subiectum, atq; ita omnipotentia & omnipræsentia fierent adventitiæ carnis Christi, quæ creatura est, qualitates: vt ferrum admotum igni fit caloris subiectum, recipiens intra se, & sustinens calorem, qui iam est acquisitia ferri qualitas. Christus autem, Filius ille Mariæ, cùm sit ipse λόγος Dei Filius, non est omnipotens, & vbique per accidens, sed essentialiter, & per se, quia omnipotentia & immensitas est de ipsius substantia. Atque ita fere candentis similitudo, siue ad personam, siue ad carnem Christi accommodata, planè ex diametro Disputatori aduersatur: cuius si astipularemur opinionem, non iam in Christo vnio καθ' ὑπόστασιν, sed vnio κατὰ προσθεσιν, ἢ κατὰ τάσσασιν, qualem Nestorius somniabat, emergeret.

Caro Christi nec per se, nec per accidẽs est omnipotẽs, omnipræsens.

Similitudo ferri candentis non potest applicari ad actiones Θεανδρικὰς, id est, Dei virtutes.

Eadẽ est ratio exempli illius, si ad actiones Christi Θεανδρικὰς applicetur in quarũ confusione Disputator apertè Eutychæis patrocinatur: cùm res ipsa longè se aliter habeat. Sicut enim propriè loquendo, non ipsum ferrum, sed calor, qui inest ferro, vrit corpora admota: sic non caro dat Spiritum sanctum aut operatur vitam æternam, sed λόγος, qui in carne illa habitat. Et tamen caro etiam suo modo viuificat, cùm tangitur, id est, fide apprehenditur, & nobis unitur. Sic enim Spiritus in illa habitans nos viuificat, sicut calor ferri vrit, cùm ferrum tangitur. Vrit autem non ferrum, sed ferrum candens, per calorem, quem habet sibi vnitum subiectiuè: sic non humanitas, sed homo Christus est omnipotens per Deitatem, quam in se habet, vnitam carni suæ personaliter. Vtq; si focus igne luceat, & ea luce totum illustretur cubiculum, neque focus, neque ligna, neque carbones, ad totum pertinerent cubiculum: sic etiam diuinitas in corpore Christi, per totum quidem mundum commeat: corpus autem à throno cælesti, quem Deus Pater Filio suo constituit, minimè auellitur. Viden', amice Lector, quàm nihil iuuent Disputatorem adducta similitudine.

rudines. Caueant tamen sibi aduersarij, ne se ipsos carbone Cyrilli ita denigrent, vt qui iam tum ab omni candore alienissimi videntur, toti paulò pòst in denigranda fide Orthodoxa atri conspiciantur, & radiantis veritatis splendore occæcati, cauterioq; conscientiæ combusti, miserè olim succumbant.

52. Neq; verò mixtionis tantùm, verùm etiam craseos voce vsa est religiosa antiquitas olim in explicando hoc fœdere, donec Eutychetis φρενοβλάβεια, dementia, cautiores Ecclesiæ doctores reddidit.

53. Fidei enim expositione, inquit Basilius aduersus Eunomium: ex simplicibus & indefinitis vocabulis composita, nonnulli etiam Patrum aliquando vsi sunt, vt qui in eas, quæ suberant quæstiones minimè respicerent, sed ita simpliciter suis temporibus integro corde colloquerentur. Et solebant iam olim hæretici non minùs, quàm nostri Vbiquitarij, quæcunque in suam facilè sententiam contorqueri posse intelligebant, auidè arripere, & quasi opinioni suæ cõsentientia duplici occasione prætexere: quarum vna est, vt fidem Patrum tanquam rectè se habentem, recipiendo, nouationis suspicionem effugerent: altera: vt omnes istorum verborum simplicitati perperam credentes, ex improuiso in cauillorum suorum casses pertraherẽt. vt non immeritò illud vulgari sermone tritum hìc locum habere meminerimus: Duo cùm idem dicunt, non est idem.

Basil. lib. 1. aduersus Eunom. fol. 204.

Hæretici duplici de causa ssi sunt Patrũ phrasibus.

54. Cùm ergo res de qua disserimus, sit omniũ maxima, & arcanum reuera omnem humani ingenij captum excedens, καὶ τὸ ὄντι ἄῤῥητον, seu, vt Apostolus loquitur, δυσερμήνευτον, Heb. 5, nihilque facilius sit, quàm Sophistarum argutiis circumuentos decipi: rectissimè nobis consulemus, si ad formam loquendi receptam & approbatam grauissimis Patrum suffragiis in Orthodoxis illis Synodis nos ita strictè obligemus, vt vel nouas comminisci, vel quaslibet imitari religio nobis sit: inprimis verò sicut iam olim à Præceptoribus edocti sumus, phrases illas veneremur & magnificiamus, quibus in Symbolo vsus est Diuus Athanasius: qui & sententiarum pondere, & verborum sanorum delectu, & pictura illa vel maximè accommodata, quam à constitutione hominis sumsit, tremendum hoc mysterium omnium significantissimè expressit atque illustrauit.

55. Etsi enim exemplum huius vnionis nullum est in creaturis, quod prorsus congruat: tamen vetustas cum Athanasio & aliis Patribus Orthodoxis, vt aliquo modo declararet vnionem personalem, monstrauit hominem. Sicut anima hominis & corpus sunt vnum ὑφιστάμενον completum, & corpus dissoluitur desertum ab anima: ita λόγος, & assumta natura sunt vnum ὑφιστά-

Exemplum Athanasij sumtũ ab homine.

μενον, & redigeretur in nihilum humana natura, tanquam propria sua sub-
sistentia carens & destituta, si non sic gestaretur & sustentaretur in λόγῳ.

Iustinus Martyr. De hoc exemplo verecundissimè dixit Iustinus Martyr: Aliqui vnionem velut animæ ad corpus cogitantes, sic declarauerunt. Et quidem concinnum est id exemplum, quia secundum aliquid saltem congruit, tametsi non simpliciter congruit.

56. Cùm igitur simile non sit idem, prudenter obseruandum est, quæ parte congruant, quæ non cõgruant, vt vnio duarum naturarum in Christo ita explicetur, ne vel Deitati derogetur, vel humanæ naturæ affingatur aliquid, quod eius substantiam destruat, aut naturas & earum proprietates confundat. Nec alio sensu aut ratione facienda est applicatio, quàm Symbolum facit, ex quo constat, Orthodoxos hanc similitudinem non nisi ad duarum naturarum in eadem persona vnitatem ostendendam vsurpasse. Hactenus enim congruit, in ceteris infinita est discrepantia. Verbi gratia: Ex anima rationali & corpore, quædam tertia natura, seu essentia, quasi ex duabus partibus composita est, quæ homo dicitur. I. In Christo autem etsi duæ naturæ concurrunt, diuina & humana: non tamen concurrunt, vt constituentes tertium quiddam, quod nec Deus sit, nec homo. Et cùm anima in eum finem condita sit, in corpore humano sit, habitet, viuat, adeo vt sit alterum sine altero quodammodo imperfectum: de diuina natura in Christo idem vel sentire, vel dicere absurdum esset. II. λόγος enim etiam ante incarnationem æquè perfectus fuit, atque post assumtam humanitatem: nihilq; prorsus ab assumta natura in assumentem vel perfectionis, vel infirmitatis redundat: licet ab hac dici, perfici, hoc est, locupletari, vt iam donorum numero & gradibus omnem creatas superet, solaq; Deitate inferior sit, quod apud Scholasticos gratia habitualis non ineptè appellatur, minimè dubitemus.

Accommodatio exempli hominis, quatenus valeat, quatenus non. 57. Eatenus ergo valet accommodatio, quatenus personæ Christi vnitatem illustrat, & naturarum distinctionem vtcunque adumbrat. Etsi enim anima & corpus perficiunt vnam hominis essentiam: tamen non nisi persona respectu quam constituunt, ad hoc mysterium accommodantur, & quatenus in illa ipsa licet essentiali, physica partium hominis copulatione, seu vnione, nulla tamen anima & corporis, earúmque proprietatum & actionum fit confusio.

58. Vt enim anima est manétq; spiritus ratione præditus, inuisibilis, partis expers, & nulli corruptioni obnoxius: corpus verò etiam in gloria manet organicum, ex membris vt partibus conflatum, visibile, & in se rationis expers, neque vnquam vel corpus in spiritum, vel spiritus in corpus transmutatur: e

mus

manet nihilominus persona hominis indiuulsa, etiamsi in hac vita dicamur, simul mortales & immortales.

59. *Ita rectè inquit Theodoretus*: Nos diuinitatis & humanitatis in Christo talem prædicamus vnionem, vt intelligamus, vnam personam indiuisam, & eundem agnoscamus Deum & hominem, visibilem & inuisibilem, circumscriptum & incircumscriptum: & alia omnia, quæcunque diuinitatem & humanitatẽ designant, vni personæ accommodamus. Sicut enim eundem Dei Filium, & redemptorem nostrum secundum Diuinitatem inuisibilem & incorporeum, sicut & Patrem & Spiritum sanctum non credere impium est: ita eundem Dei Filium in homine assumto visibilem, corporeum atque localem, etiam POST RESVRRECTIONEM non credere & profiteri, est prophanum, *teste Augustino.*

Theodor. dial. 3.

Augustin. de essentia diuinitatis, circa finem.

60. *Idem sibi volunt similitudines ferri candentis, & carbonis igniti. Ferrum enim applicatum igni fit candens, & totam ipsius essentiam penetrat ignis, sed non permutat ferri naturam arctissima vnio.* Quòd si in corporibus inuenire licet inconfusam temperationem (*inquit Theodoretus*) manifesta amentia est, in natura syncera, & omnis alterationis experte confusionem cogitare, & assumtæ naturæ abolitionem, & quidem assumtæ ad benefaciendum generi humano. *Hanc memorabilem Theodoreti commonefactionem, seu ὑπόμνησιν, Vbiquitarios, qui per realem Idiomatum communicationis figmentum, reuera naturas in Christo confundunt, quoties ad huiusmodi similitudines, ne penitus obmutuisse videantur, confugiunt, simul expendere, vel saltem non omittere, & silentio præterire decebat. Etsi enim aliquas qualitates ignis, eas nimirum, quæ ferri naturam non destruant, vt calorem, molliciem & fulgorem ab igne acquirit & adsciscit ferrum candefactum: tamen raritatem & leuitatem ignis, ac motionem sursum non adsciscit. Aliàs enim non iam amplius ferrum ignitum, sed omnino ignis esset. Sic multa ineffabilia dona communicantur humanæ Christi naturæ à Verbi assumentis Deitate, sed non ipsam destruentia, & in aliam naturam commutantia. Differunt enim toto genere ea, quæ ornant, ab iis, quæ destruunt naturam assumtam: sicut aliud est, ferrum candefacere, aliud comburere, aut in ignem mutare. Vrit prætera, lucétque, seu splendet, & candet ferrum, non per substantiam ignis, sed per calorem contactu ignis subiectiue sibi inditum. Quòd si eodem modo carnem Christi omni-*

Explicatio ferri candẽtis, & carbonis ignitis.

Dial 2.

Differunt ornãtia & destruẽtia naturam humanã.

potentem esse fingunt: necessariò sequitur, aliam esse carnis omnipotentiam, acquisititiam nimirum, καὶ ἐπίκτητον, aliam δ λόγυ essentialem. Vt iam olim Vbiquitarios duplicem Christo Deitatem, & omnipotentiam duplicem affinxisse constat: cuius iam portenti ipsos autores, non inquam pœnitet, sed pudet. Idem enim adhuc sentiunt, sed propter monstrositatis crassitiem profiteri non audent, & noua iam cerussa pingunt. O portentosæ fidei fabricatores! Est autem hoc loco circa illud candentis & igniti ferri exemplum ex Damasceno annotandum, cùm ait: Non tamen necesse est omnimodè, & sine quocunque defectu, exemplas imaginem referre: quandoquidem in exemplis necesse est, & simile & dissimile contemplari, alioqui non esset exemplum. Impossibile enim est, in omnibus simile inuenire exemplum, siue in sermone, qui de Deo fit, siue in dispensatione carnis assumtæ.

Brentius de vnione personali, & Iac. Andreas in Apol. contra Iesuitas Ingolst. lib. 3 cap. 26.

61. *Nimis ergo verè is, quem alioqui veritate parcissimè vti compertum est, hoc in loco subiicit*: Quando autem naturarum vnio dicitur, circùmspectè in explicatione agendum est, *cuius vtinam sibimet à se ipso præscriptæ memor esset regulæ: nisi fortasse eiusmodi circumspectionem requirere videatur, quæ ad errorem anteceptum quoquo modo excusandum, tegendum, & reclamante etiam conscientia, defendendum, vniuersam historiam Symboli labefactet, atque ipsa fidei principia conuellat.*

62. *Etenim qua nam aliâs circumspectione delectari posse sperabimus, qui rem sic explicat, vt implicet: neque quid sit, neque quid non sit vnio hypostatica, dextrè euoluit? Quid enim disputando proficit, nisi quòd inani verborum strepitu lectoris aures obtundat, neq; desiniens, neque diuidens, quo decebat ordine, dicit, & non dicit? quodq; vno largitus est loco, retrahit altero, & quod abstuliisse videri vult, vltrò largitur. Vt iam dudum huius me operæ pertæsum esse fatear, qua per inuia sequi cogor ἀμεθόδως, quocunque vesana me vanissimi Disputatoris garrulitas rapit. Sed cùm Augiæ stabulum nihilominus purgandum sit, monendum est priùs, minùs periculosè vnionem naturarum dici, quàm diuinam naturam assumsisse humanam, licet fatemur & veteres & recentiores doctores non absurdè interdum sic loqui, quòd natura diuina naturam humanam assumserit. Eo ipso autem, quòd assumtio hæc siue vnio, non absolutè in natura, sicuti disertè testatur Damascenus lib 3. cap. 6, sed in persona δ λόγυ facta esse intelligitur, commentum de reali Idiomatum communicatione vltrò corruit. Omnino enim ex naturarum vnione, communicatio Idiomatum æstimanda est. Cùm igitur naturarum Christi vnio*

Propositiones Ia. Andreæ stabulum.

non

non facta sit in naturis, ita vt vna mutata sit in alteram, aut vnius proprietates in alteram transierint, & factæ sint vtriusq; communes, sed in Verbi assumentis hypostasi: irrefragabili consequentia infertur, ipsam etiam communicationem Idiomatum tantùm in hypostasi seu concreto veram esse. Talis enim est communicatio, qualis est vnio, & prædicatio, eatenus vera est, quatenus res est vera. Falsissimæ sunt ergo Vbiquitariorum propositiones in abstracto: cùm dicunt: Caro Christi est Deus: Natura humana est omnipotens, omniscia, vbique, in quauis brassica, & quolibet cantharo cereuisiario. Item, Diuina natura & λόγυ suo modo passa est, nec passionis in cruce planè expers manfit. Ad quas blasphemias Diuus quõdam Athanasius (quem hunc præclarum Disputatorem aliquando Sathanasium, vt Vigilium, Dormitium, pro sua grauitate, qua est pluma leuior, nuncupasse accepimus) dubio procul respõdisset, vt ad Epictetum scribit: Hæc verò vnde exierunt, qualis infernus hæc euomuit: Quis vnquam talia audiuit, quis docuit, quis didicit? sicut & D. Ambrosius iam olim exclamasse legitur: Qualis infernus talem blasphemiam eructauit?

Theodoret. Dial 1. pag. 65.

Theodoret. Dial. 2. pa. 169.

63. Inæstimabilem autem huius mysterij altitudinem & dignitatem, vel hinc aliquo saltem modo æstimemus licet: quòd cum Patris, Filij, & Spiritus sancti vna sit Deitas, æqualis gloria, coæterna maiestas, adeo vt ne cogitatione quidem inter essentiæ Dei Patris, Filij, & Spiritus sancti simplicissimam illã vnitatem diuisio, aut partitio concipi vlla vel possit, vel debeat: nec dicere fas sit, partem diuinæ naturæ incarnatam esse, partem verò non incarnatam permansisse: nihilominus tamen solum λόγον, secundam videlicet Trinitatis personam, non Patrem aut Spiritum sanctum incarnatum esse, iuxta indubitata Spiritus sancti oracula firmiter credimus, & constanter profitemur. Iohan. 1. Verbum caro factum est. Iohan. 3. Sic Deus dilexit mundum, vt daret Filium suum vnigenitum. Esai. 9. Puer natus est nobis: Filius datus est nobis. Vnde rursus immota consequentia colligimus: Siquidē Patri, Filio, & Spiritui sancto eadem competit gloria & maiestas, propter essentiæ identitatem: Caro autem assumta eiusdem cum Verbo non est essentiæ. Ergo eadē ipsi carni assumtæ maiestas & gloria non competit. Et per consequens: Communicationis Idiomatum realis, qualem docent Vbiquitarij, vanum est commentum. Scriptum enim est: Ego Deus, & non mutor. Item: Gloriã meam alteri non dabo. Quod si ne hac quidem demonstratione conuicti, ab errore se abduci patiuntur, illud saltem nobis explicent: Quomodo realis Idiomatum communicatio, in mysterio incarnationis non euertat potiùs, quàm cõstituat vnionem hypostaticam,

Fulgent. in respons. ad 2. quæstion. Ferrandi Diaconi.

Communicatio realis euerti vnionē hypostaticã.

nisi pari ratione Sabellianis patrocinari velint, qui ex eodem fundamento suum τειώνυμον idolum elicient. Cùm enim Patris, Filij, & Spiritus sancti secundum Athanasium, vna sit Deitas, æqualis gloria, coæterna maiestas, vt & vna eadémq; immensitas, omnipotentia, sapientia, & quæcunque inter Idiomata Dei censeri, aut reputari solent: si iam horum omnium realis (Idiomatum, inquam) communicatio vnam hypostasin constitueret, vt hic impostor vanè fingit, non iam tres, sed vnam tantùm personam in Deo esse, cum impio Sabellio fateri prorsus cogeremur. Ex eodem porrò principio, cùm proprietates illæ Dei essentiales in sacrosancta Trinitate vnum & idem omnino existant, apertè deduceretur ab hac reali proprietatum communicatione, Patrem, & Spiritum sanctum æquè incarnatos ac passos esse, atque Filium. Siquidem vnio facta sit in re toti Trinitati ex æquo communi, & testimonia Scripturæ, quibus hanc realem proprietatum communicationem probant, de maiestate, gloria & potentia à Patre Filio data, loquantur. Quam absurditatem cùm Sabellius effugere non posset, suis asseclis omnibus Patripassianorum nomen promeruit. Hinc rectè Scholastici, Vnio facta est in persona, non in natura.

a Fingit vnã tantùm personã in Deo esse.

b Deducit Patrem & Spiritũ S. æquè incarnatos & passos sicut Filium.

64. Consideretur illud etiam, siquidem in hac simplicissima vnitate diuinæ naturæ, personarum reale discrimen existit, vt alia sit persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti: vnde etiam rectè colligitur, quòd simplicissima illa diuinæ essentiæ ταυτότης, seu vnitas nihil impediat, quò minùs solus λόγος (nõ item Pater aut Spiritus sanctus) incarnatus sit & credatur. Hæc ergo cùm procul dubio vera sint: quî fit ergo, quòd Trinitatis inter se personæ re ipsa quidem, non autem secundum essentiam differant? Non opinor, aliam à quoquam Theologorum rationem adduci posse, præter τὼ τῆς ἁγίας τειάδος ὁμουσίαν, quæ facit vt Pater sit in Filio, & Filius in Patre, & vt Pater, Filius, & Spiritus sanctus vnum sint: sed in Christo non sunt ὁμούσιοι natura diuina & humana. Ergo qui realem fingit idiomatum in Christo κοινωνίαν, fingit idem essentialem, quæ naturarum identitatem infert, atque ita nihil differt ab Eutychiana confusione, quæ est mysterij incarnationis seu vnionis hypostaticæ delectio, & salutis nostræ fundamentum euertit.

Ioban. 14. Ioban. 5. Κοινωνίαν realem fingens, fingit etiam essentialem, quæ infert identitatem naturarum.

65. Omnino igitur mysterij huius amplitudinem simplici potiùs fide adorandam, quàm curiosè scrutandam esse profitemur, ne à maiestatis gloria opprimamur. Sed eos tamen ab Orthodoxa fidei simplicitate quàm longissimè aberrare dicimus, qui vtrumque & Trinitatis & incarnationis mysterium ita explicant, vt inter se confundant, aut aboleant & euertant vtrumque. Id cùm Orthodoxi plus millies, & quidem firmissimis hactenus argumentis, ab autho-

authoribus prodigiosæ illius communicationis Idiomatum fieri demonſtrauerint: non patiamur nobis pro fide ſimplici & Orthodoxa, fidem vagam, errantem, ac ſtultam perſuaderi, neque ita nos credulos præbeamus cuiuis impoſtori, vt ne quidem ad principia fidei reuocemus, quæ credenda proponit, neque cum veteris Eccleſiæ certaminibus renouata iſta certamina comparemus. Id enim planè eſt obbrutescere, adeóq; hominis naturam exuere, quem Deus eſſe voluit animal λογικὸν, *vt & ὁ λόγος ipſe vim ratiocinatricẽ in diſcipulis minimè voluit extinctam, aut deletam, ſed iubet illos prudentes eſſe, ſicut ſerpẽtes. Opponamus ergo grauiſſimã Apoſtoli admonitionem, qua ſeuerè prohibet, ne perpetuò ſimus pueri, qui fluctuemur & circumferamur quouis vento doctrinæ, in hominum alea: in veteratoria (inquam) ad inſidioſè fallendũ verſutia: Sed veritatem ſectantes cum caritate, prorſus adoleſcamus in eum per omnia, qui eſt caput, nempe Chriſtus.*

Vide librũ Benedicti Talmanni de perſona Chriſti.

Eph. 4.

66. *Quicunque enim, teſte Athanaſio, fidem Orthodoxam, cuius certitudinem nequaquam ex cæca ratione, ſed potiùs ex lucerna ſacri verbi, inuocato Chriſti Spiritu, petendam aſſirmamus, non integram, inuiolatamq; cuſtodierit, ſed craſſis illis erroribus, qui fundamentum euertunt, credulas temerè aures præbuerit, atque ita ſeſe illis addixerit, vt contradicentes planè oppreſſos velit, neq; priuſquam ex hac vita euocetur, in viam ſe reduci patiatur, is iam tum, vt Paulina phraſi vtar, circa fidem naufragium fecit, atq; viam perditionis incedit, in qua, ſine dubio (niſi maturè, vt dictum eſt, & ſeriò tandem pedem retrahat) in æternæ damnationis barathrum ruet, ac iuſto Dei iudicio, citra tamen Dei culpam, peribit.*

67. *Quapropter, qui me ſtudioſum Theologiæ profiteor, non tantùm ſuperioris, quam modò recitaui, verùm etiam huius Paulinæ commonefactionis, Dei beneficio, memor ſum, quam ſuis Corinthiis Apoſtolus inculcauit, optarimq; omnibus ſacrarum literarum ſtudio, in hac præſertim addictis Academia, quæ olim cùm fuerit Europæ oculus, Theologiam nunc profitetur nimis cæcam, idem mecum curæ eſſe, videlicet, ſibi vt quiſque noſtrum diligenter cauеat, ne quo modo, ſicut Serpens ille antiquus Euam ſeduxit calliditate ſua: ita captioſa & inſidioſa ſua blandiloquentia nouus iſte coluber, ingenium patris ſui, authoris omnis mendacij & homicidij, expreſsè referens, nos ſeducat à ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto, vt corruptæ mentes noſtræ degenerent ad ſtolidam ipſius fatuitatem & fanaticam illam perplexitatem, qua reuera, cum ſanioris & amœnioris philoſophiæ, quæ ſingulare Dei donum eſt, iuratus quaſi hoſtis ſit, auditores ſuos (quos vt credulos habeat, omnis vult rationis & iudicij*

Vitebergæ olim Europæ oculus.

2. Cor. 11.

Col. 2. expertes esse, imò stupidos asinos, seu rusticos, quàm ingeniosos scholasticos esse mallet) per incultam & malè dilutam deprædatur philosophiam, & inanem deceptionem, κενὴν ἀπάτην, verbis pomposa, rebus bonis ac veris destituta: secundum traditionem hominum, secundum elementa mundi, & non secundum Christum: terrore exilij, carceris, infamiæ, anathematis, captivam ducens omnem religionem in obsequium brachij secularis.

68. Sed ne cum Antagonista loco disputationis, concionem, in quam, quotiescunque suis implicatus tricis hæret, digredi solet, instituere videar, ad rem ipsam orationis vela, vnicum si adhuc adiecero, reuocaturus sum. Iure enim à prodigiosa ista, & plus quàm temeraria mysteriorum Dei profanatione, quorum nudum quasi κατ' ὄψιν inquirere & demonstrare conatur, abstineret præstigiator iste, inq; se ipsum descenderet, vt se rectius nosse, & prima Theologiæ elementa cum illo audaciß imo pariter, & vaniß imo vano, fraterculo suo, deliscere inciperet, priusquam nec missus, nec vocatus, illotis adeo manibus irruens blasphemis suis in Filium Dei fabulis inquinaret cathedram Lutheri & Philippi, de quibus optimus noster Poëta, cuius ingenio, præter ipsius meritum, per hanc ipsam bestiam orbamur, sic iam olim quàm præclarè, tam verè cecinit:

Lutheri & Philippi cathedra inquinata blasphemiis à Smidelino & socijs.

Diuisæ his operæ, sed mens fuit vnica: pauit
Ore Lutherus oues: flore Melanthon apes.

69. Etsi autem omnes angelicæ & humanæ mentes obstupescunt admiratione multarum arcanarum rerum, quæ in verbo Dei traduntur: tamen sic sentire de Deo, & rebus diuinis necesse est, quemadmodum Deus in verbo suo docet. Quia de Deo sentiendum est, quemadmodum se patefecit. Sicut enim infantulus in aluo materno nutrimentum attrahit ex vmbilico & cotyledonibus, ac ptiq; fasciis, quibus inuolutus, gestatur, miserandum sit ἔκτρωμα: ita nos quoque sedemus incluſi verbo, ex quo veram Dei agnitionem attrahimus, & vitam, vt eum inuocemus, sicut se patefecit. Quanquam igitur omnia arcana non penitus perspicimus, quæq; de Dei vel essentia, vel voluntate, perspicuis verbi testimonijs reuelata non sunt, iis curiosè inquirendis animos nostros tu-

De Deo sentiendum, sicut se patefecit.

1. quere non debemus: tamen quæ certo Dei verbo patefacta sunt, ea vult Deus
2. nobis reuerenter disci, pieq; ac sobriè considerari: vult inchoari in hac vita vi-
3. ram sui agnitionem: vult inuocationem nostram discerni ab impijs aliarum
4. sectarum inuocationibus: vult per hæc initia se communicare nobis in hac vita.
5. præterea vult in nostra infirmitate conspici sapientiam & potentiam suam
6. contra mundi sapientiam, & potentiam Diaboli. psal. 8. 1. Cor. 1. Denique vult nos his elementis præparari ad Academiam æternam, ad quam nemini patet aditus,

aditus, nisi qui in hac vita conuersus est ad Deum, & in quo initia eternæ sapientiæ ac iustitiæ perpetuæ in hac mortali vita accensa sunt.

70. Reuerenter ergo agnoscamus, & grata mente prædicemus huius etiam admirandæ Filij Dei cum carne nostra vnionis, quam Ecclesia hypostaticam nominauit patefactionem, perspicuis testimoniis in verbo Dei propositam, sobriéque cum Prophetis & Apostolis, adeoq; cum ipso Christo cogitemus & loquamur de stupenda ista maiestate, ad cuius quasi fastigium massam illam assumtam, per vnionem cum Verbo personalem, & nos in illa massa, cuius membra sumus, per nouum hoc, & vt Ecclesia canit, planè admirabile creatoris cum creatura commercium, Deus exaltauit, atque euexit.

71. Rursus autem hîc consideret pius lector istius circulatoris strophas, cui perpetuò synonyma sunt vnio & communicatio naturarum, quam hactenus nonnisi ex communicatione illa Idiomatum, seu proprietatum naturalium definiuit, ita vt aliunde differentiam huius vnionis specificam, adeóque ipsam formam constituentem stupendum hoc vnionis hypostaticæ mysterium omnino peti nollet. Nunc verò istorũ quasi oblitus, ex vnione illa hypostatica, suam istam realem Idiomatum communicationem consecutam esse contendit, denique ex hac ipsa, quam fingit, reali idiomatum communicatione summam illã maiestatis gloriam, quæ ex gratia vnionis in humanam naturam profluxerit, deriuat. Multiplicem ergo tam breuibus vnius propositiunculæ verbis imposturam complexus est. Primùm enim inter naturas & naturales proprietates distinguit, cùm ex reali naturarum communicatione (hac enim voce, propter æquiuocationem, magis, quàm vnionis voce delectatur) realem proprietatum κοινωνίαν consequi contendat. Vt ex hoc quidẽ principio necesse sit statui, essentiam Dei priorem esse essentialibus eiusdem proprietatibus, hoc est, in Deum cadere aliud, & aliud, quo nihil magis impium cogitari potest. Deinde, si in posteriore membro, quod de proprietatibus loquitur, communicatio idem significat, quod in priore, in quo communicationis, id est, vnionis naturarum fit mentio, non immeritò quærimus, quomodo alterum altero sit posterius? An igitur idiomatum vnio ab vnione naturarum excluditur? Si verò posteriori, à priore phrasi diuersam vim tribuit, cur non explicat? cur ex disputandi lege, quod ambiguũ est, non distinguit? qua conscientia rem tantã obscurat, suisq; cothurnis inuoluit? Tertiò, cùm negari nõ possit, aliam esse maiestatem essẽtiæ essentia & λόγυ, secũdum quã Patri & Spiritui sancto est ὁμοούσιον: iuxta Symbolũ, & λόγυ, Patris, Filij, & Spiritus sancti vna Deitas, æqualis gloria, coæterna maiestas. Aliã verò œconomiæ, quæ simul complectitur gratiam vnionis, gratiã capitis,

Smidelinus sibi non constat, ager enim animus semper haret.

Essẽtia Dei prior essentialibus proprietatibus secundum Smidelini opinionem.

Alia est maiestas qua Patri & S. sancto

ὁμοούσιον: & gratiam prærogatiuarum seu donorum, quam Scholastici habitualem, alij χαριτικὴν, seu ἐνεργητικὴν nominarunt: de quánam igitur realem istam Idiomatum communicationem intelligi velit, erudiri cupimus. Quòd si maiestatem essentiæ & λόγου naturæ assumtæ realiter communicari intelligit, simul Trinitatis euertet τὸ ὁμοούσιον, & in Christo naturarum identitatem statuet, cui portento realis naturarum Christi distinctio, καὶ τὸ ἑτεροούσιον non minùs, quàm vniuersus incarnationis & λόγου finis reclamat. Sin de maiestate vnionis intelligi vult, fatemur, maiorem creaturæ, qualis caro Christi est, nunquam desiit, nec desinet, gloriam tribui non posse, quàm quòd cum Verbi vnam constituat hypostasin, propter quam ex hac gratia vnionis, Filius hominis, vt Fulgentius loquitur, nascitur ex Deo, & Filius Dei ex homine. Sed huius gloriæ non congruit realis idiomatum communicatio, quam hîc inter ea, quæ vnionem hypostaticam secuta sunt, numerari audimus. Sin de capitis maiestate loquitur, quæ est officij, fatemur, dignitatem illam, hoc est, appellationes officij competere Christo secundum vtramque naturam: propterea enim vnionem diuersissimarum illarum naturarum factam esse constat, quòd nuda Deitas sola, nec sola humanitas Mediatoris officio defungi potuisset. Sed inter idiomata & appellationes officij infinitum esse discrimen, quis ignorat? Eadem modo, neq; de maiestate donorum, seu prærogatiuarum, realis illa, quam fingit Disputator, communicatio idiomatum accipi potest, cùm idiomata Deitatis ipsam Dei essentiam constituant, in quam minimè cadunt istæ qualitates, dotes creatæ, quibus caro Christi secundum Spiritus sancti plenitudinem pro mensuram, etiam in seipsa, verè inquã hyperphysicis, sed non antiphysicis locupletata & quasi inuncta, omnes non tantùm consortes, verùm etiã angelos archangelos inenarrabili modo superat, planeq; transcendit, vt sola iam Deitate inferior sit: à creatis verò ceteris rebus non quidem κατὰ χώραν, sed tamen κατὰ τὸ πλέον quàm longissimè differat. Atque ita ex sufficientibus numeratione, siue partium, siue graduum, totum illud realis Idiomatum communicationis idolum subuertitur.

Maiestas officij competit Christo secundum vtramque naturam.

Caro Christi hyperphysicis, sed non antiphysicis dotibus locupletata.

Damascen. lib. 3 cap. 4.

72. Ne igitur hos tetros errores, & vel maximè Eutycheam naturarum confusionem, vnà cum Nestoriana personæ diuulsione, qua hæreses inter se contrariæ à patronis & παντα χοῦ simul renouantur, stabilire videamur, nõ abnuimus idiomatum communicationem agnoscimus, quàm quæ est prædicatio seu forma loquendi, qua proprietates vtriusque naturæ tribuuntur personæ in concreto, eò quòd λόγος, & natura assumta sunt vnum ὑφεστὼς. Est itaque hinc Idiomatum hæc communicatio mutua ipsorum in vnitate personæ by

hypostasis retributio & permutatio. Sicut enim communicatio seu κοινωνία naturarum, quam perpetuò insidiosè inculcat Sophista, in vnione facta est sine confusione, propter vtriusq; naturæ in vna communi persona subsistentiam: sic etiam idiomatum communicatio fit, seruata nihilominus cuique naturæ differenti & inconfusa proprietate, propterea quòd & naturæ & earum proprietates salua hac ipsarum differentia, in vnam concurrant, seu componãtur hypostasin, vt Oecumenicæ hac de re Synodi loquuntur. Itaque per vtriusque naturæ κοινωνίαν & communionem, etiam proprietates ipsarum personæ sunt communes. Quò spectat, quod Theodoretus ait: Omnes vtriusque naturæ proprietates Christi persona susci*pit*, vnicuique autem naturæ sua conuenientia assignantur. *Eaq; est vera naturarum & proprietatum in vnitate personæ, per compositionem & concursum in eandem hypostasin κοινωνία, per quam neque naturæ, neque proprietates earum confunduntur, de qua ex Chalcedonensis sententia sic Agatho Romanus docet:* Vnũ Christum, vnamque eius personam, ac subsistentiam, propter vnionem videlicet naturarum, quæ facta est secundum subsistentiam, docuerunt Patres, differentiam tamen ipsarum, quæ in eo ordinatæ sunt, naturarum, post admirabilem & inseparabilem adunationem, vsque ad intelligentiæ contemplationem nos cognoscere, & prædicare tradiderunt. Sic itaque proprietates naturarum, in vno eodemque Domino nostro Iesu Christo, propter differentiam earũ conseruantur. *Quod si verum est, vt sanè est verissimum: falsum est econtrario, naturarum & proprietatum differentiam seruari, quoties quod vni naturæ proprium est, vtrique verè competit & tribuitur, quamuis hoc alio atque alio modo fieri per sophisticationem dicatur.*

Causa communicationis Idiomatum.

Vera naturarum κοινωνία.

Vnio secundum subsistentiam, quam nesciũt & ignorant Vbiquistæ.

73. *Hanc autem Idiomatum communicationem & non aliam, Lutherus eximius ille Dei seruus, auditoribus suis biennio ante felicem ex hac vita emigrationem ipsemet dictauit, & commendauit, in luculenta illa enarratione cap. 53 Iesaiæ, vbi inter cetera sic scribit:* Non distrahenda & diuidenda est persona Filij Dei & Dauidis, sed debemus credere & confiteri, quòd illæ duæ naturæ sint vnus Filius, quia iam sunt vnitæ vnione hypostatica. Ergo caueamus Nestoriana & Stenckfeldiana deliria, quæ personam distrahunt, & faciunt duos Filios: & teneamus firmiter, non esse duos Filios, sed vnum Filium.

N. B. Lutherus affirmat, Nestorium finxisse duos Filios: Patrachus negat. Arguit ergo mẽdacij Lutherũ.

Porrò autem, Patres hoc communicationem Idiomatum appellarunt, quòd communicet suas proprietates vtraque natura

illi personæ, quæ est Filius Dei. *Et addit*: Sic Spiritus sanctus seruat Ecclesiam in hoc articulo, qui quidem præcipuus est in nostra religione. *Item*: Rectè & diuinitus opinor factum in Grammatica, vt quædam vocabula dicantur concreta, quædam abstracta. *Hæc Lutherus, quæ nouæ Vbiquitariorum sententiæ ex diametro repugnant.*

Descriptio realis communicationis prodigiosa, & perpetua implicatio contradictionis.

74. *Suam enim nobis idiomatum, quam fingit, communicationem, Disputator iste tot hactenus thesibus plenis nugarum præmissis, ita tandem describit, quòd sit quiddam in assumta humana natura conspicuum, & quidem magis conspicuum, quàm vnio ipsa, tanquam ipsa vnione, seu communicatione naturarum, quiddam ratione ordinis posterius, etsi cum ipsa vnione sit tempore simul: quodq; nequaquam sit prædicatio tantùm, aut phrasis, seu modus loquendi, sed res verè existēs, quæ hac phrasi seu prædicatione, seu modo loquēdi exprimitur: videlicet non ipsa naturarum vnio, vel cōmunicatio, sed proprietatum communicatio, quæ ipsam vnionem personalem sequitur. Hæc igitur prodigiosa descriptio, quæ nihil omnino cum Luthero cōmune habet, quid est, nisi perpetua contradictionis implicatio, & planè quiddā ἀσύστατον, inani auditorem τερατολογίᾳ, quasi transuersum rapiens, vt verborum nouitate factus attonitus, incertior multò discedat, quàm accesserit? Hactenus autem definitionem tam egregiam reticuit, atque in hunc vsque locum reseruauit, ne fortè in vestibulo disputationis iuxta Legem artis posita, in plurium animaduersionem incidisset. Sed agè, siquidem rei grauitas ita postulat, paulò diligentiùs eam secundum definiendi regulas examinabimus. Definitum est κοινωνία Idiomatum, seu communicatio proprietatum, quæ vnionem personalem, quam & ipsam communicationem, sed naturarum, non proprietatum appellat, secuta est: hoc est, non quid sit naturarum communicatio, sed quid communicatio proprietatum sit, definire constituit. Priusquam autem ea (quam sic vocat) definitionem proponat, non immeritò definitionem nominis requirimus, ne in vocabulis hæreamus. Explicet ergo prius, quæ sit vnius, eiusdemq; vocis τῆς κοινωνίας, cùm aliter naturas communicari, aliter proprietates fingat, æquiuocatio. Illarum enim communicationem hic non describit, hanc definit. Quid verò inter naturas, & naturales proprietates discriminis parturit? Aut quis vnquam in Orthodoxa Ecclesia, ad hanc sectam vsq; sic locutus est, vt aliam naturarum, aliam proprietatum communicationē, realem tamen vtramque, fingeret, præter Monotheletas, qui licet duas distinctas naturas personaliter in Christo vnitas esse concedere viderentur: tamen cùm proprietatum identitatem vrgerent, vel quod idem est: realem idiomatum commu-*

Examē definitionis falsæ de cōmunicatione Idiomatum.

cõmunicationem statuerent, non minùs quàm Eutychiani hæreseos propterea damnati sunt, quòd eandem prorsus naturarum, & proprietatum naturalium rationem esse oporteat, & quia ab inconfusa proprietatum differentia, etiam ipsa naturarum essentialis differentia probetur. Proinde aliam ipsarũ naturarum κοινωνίαν & vnionem, & aliam vicissim Idiomatum seu proprietatum communicationem constituere, est crasso & nefando errore delirare. Nunc ad definitionem ipsam accedimus, in qua primùm omnium definiti genus occurrit. Sed qualenam hic Dialecticus idolo suo, ex quonam prædicamento petitum genus assignat? Non est, inquit, prædicatio tantùm, aut phrasis, seu modus loquendi, sic ergo tandem omnẽ à se & assectis suis remouere suspicionem voluit, ne vel micam tueri nobiscum viderentur, antiquæ religionis, quam Reuerendi præceptores nostri (quibus nisi per vim ejectis, & in extremas angustias redactis, hic Draco suum virus ex hac Orthodoxæ fidei cathedra euomere nunquam ausus fuisset) ex Lutheri & Philippi ore hausiam, ad nos quoq; fideli opera propagarunt. Rationem tamen fidei antiquæ tam confidẽter explosæ & abrogatæ, à Disputatore Theologo peteremus, nisi prætoria authoritate ista omnia dictitari, & simplici, hoc est, rustica fide, sine omni rationis adminiculo, tãtùm credi oportere, admoniti essemus. Sed quid tandem est, cùm quid non sit præmiseris? Hoc enim saltem cognoscere licebit, ne fidem reuera nullam, quod facis, plantare videaris. Res est, inquis? Bene. Sed quid rei? Rem enim qui simpliciter nominat, nihil omnium excluisse putatur, cùm id nominet, quod vulgò inter transcendentia numerant, quæ τοῖς ἅπασιν ἐπόμενα, omnes sequentia, dicuntur. Audiamus ergo, vt si quis meliora proponat, quàm hactenus ex verbo Dei hausimus, appareat, nos dociles fore. Communicatio idiomatum, inquit, est res verè existens. Substantiam ergo definit.

Res transẽdens nihil excludit.

Quæramus posthac in arbore substantiæ, sub quónam ramo nidulum suum tam diu occultarit communicatio idiomatum. Ne autem disquisitio nimis miserè nos torqueat, vtamur aurea ista noui Mercurij virgula, esse rem conspicuam. Magno iam labore inquirendi subleuati sumus. Si enim inter substãtias incorporeas, quæ conspicuæ non sunt, latitaret, quis vnquam rei hactenus nec visæ, nec cognitæ, se compotem futurum sperauerit? Quid? quòd rem illam communicationis idiomatum realis, arbitrati fuimus hactenus, esse carnis assumtæ, nescio quam omnipotentiam, omniscientiam, vbique præsentiam. Sed decepti sumus, ni fallor. Præterquam enim quòd carnem Christi in diuersis locis simul existentem nemo vnquam conspexit, nec, opinor, conspiciet: sunt ista omnia inuisibilis essentiæ inuisibilia idiomata, quæ in hac rei conspicuæ

Realis communicatio idiomatũ quid sit secũdum Visibiles.

definitione locum deinceps nullum inuenient. Ceterùm iam etiam compendio nos instituere videtur. Est enim res non tantùm conspicua, sed etiam magis (inquit) quàm vnio ipsa, quæ Christi personam constituit, conspicua. Ersi in quam classem mysticum vnionis, & augusta illa Iesu Christi appellatio, quæ Saluatoris officium describit, referri debeant, non ignoremus: tamen cùm in Vbiquitariorum schola, quæ fidei Orthodoxæ, & eruditæ antiquitatis, fidem rusticam præfert, omnia ῥητῶς accipiantur, & definitionum lex phrasin priam requirat, figuratam non facilè admittat: loquamur sanè cum iis, quibuscum disserimus, & conspicuum intelligamus, quod incurrit in oculos, ut fortè διάνοιαν sectantes, contumelia afficiamur: ab iis præsertim, qui nouos istos nouæ fidei, quam fabricant, articulos, ad oculum, vt loquuntur, demonstrari posse iactitant. Cùm ergo communicatio idiomatum sit res magis conspicua, quàm vnio ipsa, palàm est, vnionem, licet minùs sit conspicua, nihilominùs conspicuam esse. At in vnione illa hypostatica nihil est conspicuum, præter corpus, partem illam humanæ naturæ exteriorem, visibilem, palpabilem, circumscriptam. Quòd si ipso Christi corpore res ista, quam communicationem vocant idiomatum, magis est conspicua, magis etiam palpabilis, magisq; circumscripta fit, oportet: atq; ita miram profectò chimæram in theatrum producent. Nisi illud fortasse excipiant, corpus Christi depositâ iam sui forma, vt impiè nugantur, simul τὸ ὁρατὸν, καὶ τὸ ἀπτὸν deposuisse, nec amplius esse conspicuum, nisi quatenus pro arbitrio, scilicet, modum illum essendi circumscriptum, qui tamen salua corporis veritate nunquam mutatur, iterum resumat. Sed quorsum nos monstrosæ definitionis examen rapit? perpendum tamen. Habemus definitum, habemus genus, habemus, vt sic loquar, differentiam generalissimam. Sed quam tandem communicationis Idiomatum differentiam specificam, quæ ipsam rei formam constituet, proferet? Audiamus ergo. Est res verè existens, inquit, quæ hac phrasi, prædicatione, seu modo loquendi exprimitur. Habes iam totam definitionem, sed qua vel Delphicus Apollo nihil potuisset intricatius proponere. Differētiam sumit à genere, quæ prius à definitione excluserat. Sed ne simpliciter excluſisse videretur, reflectionem addit, vt aliquo saltem modo prolenitate sua rigorem mitigaret, & iussus olim respōdere, cur doctrinam vsitatā abrogaret, receptum haberet, non abrogatam esse, sed illustratam & auctam. Cùm ergo communicatio Idiomatum non sit prædicatio tantùm, sed etiam res verè existens: erit itaque prædicatio simul, & re ipsa prædicata. Sed quis hæc capiet? vel quis non ridebit potiùs, nisi res tanti momenti profusum lacrymarum flumen magū, quod

Vbiquitariorū schola fidei Orthodoxæ præfert fidē rusticam.

Differētia specifica cōmunicationis Idiomatum secundum Disputatorem.

Sardoniũ risum sanctis Christi mẽbris exprimeret? Eant nũc insani dogmatis vesani approbatores, & viuum Lutherũ in suam cathedrã è sepulchro reuocatũ glorientur, cui viuo ne quidem febricitanti per somnum phantasiæ absurdiores offerri potuissent. Vtinam verò definitionis tam perplexæ saltem esset hæc sententia: Communicationem Idiomatum esse prædicationem, non tamen sictam, aut nudos tantùm titulos conferentem, aut rei minimè existentis, solâq; imaginatione concepta, sed potiùs rem ipsam exprimentem, vt est, adeóq; veritati congruentem. Hæc enim si esset sententia, non esset, qui contradiceret, modo verborum monstra declinarentur. Si enim Idiomatum illa κοινωνία non est prædicatio, seu forma loquendi, certa regula, ceu legi inclusa, quorsum igitur à Nazianzeno nominatur Epizeuxis appellationum, à Theodoreto Enallage nominum, à Cassiano Synechdoche, à Damasceno Antidosis & ἀλλοίωσις ὀνομάτων? Sin res ipsa est, quæ hoc modo loquendi exprimitur, erit ipsa vnio hypostatica. Aliud enim in Christo nihil occurrit, quod per communicationem Idiomatum exprimatur, nisi rem in re fingere libeat, quo nihil potest de Christo monstrosius dici. Vt iam definitionis appendicẽ illam, quæ quasi quædam epexegesis, enarratio, attexitur, vt totam sententiã illustret, scilicet, ne quidem attingere libeat: dum rem istam verè (vt loquitur) existentem, ita explicat, quòd sit videlicet, non ipsa naturarum vnio, vel communicatio, sed proprietatum communicatio, quæ ipsam vnionem sequitur. Quid enim hoc monstri est, quando in circulum redit oratio, & definitum sui ipsius sit definitio, vt principium peti dixeris? Iudicent enim vel bini isti νήπιοι, fatui, qui se ab hoc circulatore in cathedram collocari passi sunt, vt rubro pileo deformarẽtur, iudicent, inquam, ipsi, & liberè iudicent, qualisnam hæc definitio sit: Communicatio Idiomatum non est ipsa naturarum vnio, vel communicatio, sed proprietatum communicatio, quæ ipsam vnionem personalem sequitur. Perinde est ac si diceremus: νήπιοι nondum vtuntur ratione, sed sunt νήπιοι, quos noui interpretes vocant stultos, daturi nimirum operam, vt suos auditores, ne rudes atque inertes, hoc est, simplices, adeóq; apti ad capiendam cabalam vbiquificam esse definant, ad mentis sanitatem peruenire nunquam sinant. Vel, asinus non est bos, sed est asinus, boui tamen, quàm homini affinior. Et, lignum non est Mercurius, sed est lignum: non enim ex quouis ligno fit Mercurius. Hactenus ergo de præclara ista communicationis Idiomatum definitione, in qua vel maximè illud expendamus, cùm tota Antiquitas constanter asseueret, vnionem hypostaticam esse vnionem in subsistẽtia, non in aliqua essentiali proprietate tati Trinitati communi: Idiomatum verò κοινωνίαν in persona, v-

Monstrosa verborũ explicatio.

Communicatio Idiomatũ quomodo dicatur à Patribus.

Principij petitio.

nione illa personali naturæ ordine posteriorem esse, eámque iam factam necessariò consequi, Disputator ipse concedat. Qua igitur ratione alibi contendit, quòd hæc ipsa, quam fingit, realis Idiomatum communicatio personalem vnionem efficiat? quomodo enim posterius quod est, efficiet illud, quod ordine saltem naturæ, licet non tempore, antecessisse, atque prius extitisse fatetur? Sequuntur iam Idiomatum diuisiones.

Idiomata essentialia duplicia in Christo.

75. Non enim Idiomatum, seu proprietatum in personæ Christi eadem ratio est: sed quædam dicuntur essentialia, quædam personalia, quorum illa essentiam, hæc personam constituunt. Vt ergo in Christo duplex est natura, seu essentia, ita duplicia eiusdem sunt essentialia Idiomata. Est autem Idioma essentiale, quod sic essentiam describit, vt eo sublato, res desinat esse, quod erat, id est, sine quo natura, cuius proprium est, constare non potest. Iuxta Lutheri *Quid sit essentiale Idioma. Lutherus in lib. de Concilijs.* axioma: Negans proprietates, negat naturam. Quid enim esset homo ille, cum quo Deus sese personaliter vniuit, si non haberet vera humana Idiomata? Necesse esset ipsum esse phantasma, sicut Manichæi docuerunt. *Hæc ille. Astipulantur autem Luthero etiam sequentia Patrum dicta: Theod. dial. 3.* Proprietatum deletio, vtriusque naturæ negatio est. *Vigil. lib. 4.* Vnde Christus erit verus Deus & verus homo, nisi per veritatem & proprietatem vtriusque naturæ.

In epistola Synodica aduersus Monotheletas: Amputata proprietate naturali & essentiali, ipsa etiam natura cum illa perimitur. Nec enim cognosci natura vllo modo potest, nisi per essentialem designantem eam proprietatem.

Diuina natura propria.

76. Diuina itaque naturæ propria sunt: Esse ab æterno, omnipotentem, omniscium, immensum, infinitum, loco nullo circumscriptum, vbique præsentem, nusquam excludi, nusquam includi, penetrare omnia, replere cælum, terram, & id genus alia, quæ soli diuinæ essentiæ competunt, sunt{q;} inseparabilia. Cuicunque igitur vnum horum attribueris, eidem non tamen singula & vniuersa, sed ipsam Dei essentiam tribuas, necesse est. At caro Christi, cùm sit creatura, neq; ab æterno fuisse, neq; ipsa Deitas esse dici potest. Nec omnipotens, nec omniscia, nec vbique præsens est. Atq; ita vanissima vanitatis conuincuntur Vbiquitarij, qui per realem, quam fingunt, Idiomatum communicationem ista Deitatis attributa de carne Christi impiè prædicant.

Humana natura propria.

77. Humanæ verò naturæ propria partim animam respiciunt, partim corpus, vtrique tamen competunt generalia illa, initium habere in tempore, creatum, non vbique esse &c. Sed animæ proprietates essentiales sunt, esse spi-

ritum, inuisibilem, incorporeum, non ex partibus compositum, intelligentem, immortalē. Seu, vt Theodoreti verbis vtar, τὸ ἀσώματον, τὸ ἀόρατον, τὸ ἀσύνθετον, τὸ ἀθάνατον, τὸ λογικὸν. Corporis autē Idiomata essentialia sunt omnia illa, quibus corpus à spirituali essentia distinguitur: verbi gratia, partiū humani corporis ordine dispositā συμμετρία, commensuratio, loci circumscriptio, tres dimensiones, contactus, τὸ σύνθετον, τὸ περίγραπτον, τὸ ὁρατὸν, τὸ ἁπτὸν &c: quæ Idiomata ne quidem in vita æterna, nisi destructa corporis humani veritate, tolli poterunt. Sicut Dominus ipse hoc eodem argumento corporis sui post resurrectionem iam glorificati veritatem probauit: Videte, & contrectate me, Spiritus carnem & ossa non habet, sicuti me videtis habere. Cùm ergo Vbiquitarij tribuant Christo corpus ἀσώματον, ἀόρατον, repleus cælum & terram, adeóq; ab omnibus corporis organici proprietatibus abstractum, fieri non potest, quin Ecclesiam talibus somniis credentem, quantum in ipsis est, vera eiusdem corporis essentia spolient: tantum abest, vt veram eius præsentiam in sacra Cœna, cuius horrendi profanatores sunt, stabiliant.

Corporis proprietates essentiales quæ sint.

78. Propria personæ sunt, quæ personam constituunt, non quæ eam sequuntur, vt, Verbi idioma προσωπικὸν, personale, est ab æterno ex æterni Patris substantia nasci. Hæc enim proprietas Verbi hypostasin, non tantùm à rebus creatis omnibus, verùm etiam à Patre & Spiritu sancto discernit. Vt autem idē noster redemtor & Messias, hoc est, Christus esset, assumsit quidem humanam naturā, in personæ suæ vnitatē, καὶ ταυτότητα, identitatē: atq; ita nunc consubstantialis est, non tantùm Patri, verùm etiam nobis, si distinctè secundum naturas consideretur: sin vnitè, ne habet quidem, cum quo comparetur, vel in cælo, vel in terra: sed nihilominus tamen iam post incarnationem, nec magis, nec propter aliam rationem persona est, quàm ab æterno fuit. Etsi igitur absolutè consideratus tātùm est Deus: Christus autē & Immanuel dicitur, respectu œconomiæ, qua nostram salutem acquisiuit, ad quod beneficium haud dubiè vtraque natura requirebatur: Tamen totum hoc mysterium planius erit, si intra metas explicationis receptæ & approbatæ nos contineamus: atque omne id, propter quod homo factus est, vt esset nimirum Messias, & redemtor, & iustificator, & Seruator noster &c. (quibus appellationibus incarnationis τὸ λόγου finis potiùs, quàm persona describitur) ad officiū referamus, quo secundum vtramque naturam, conferente qualibet, quod suum est, Christus defungitur: quàm si cum proprietatibus personæ, qua post incarnationem nec alia, nec perfectior euasit, impropriè misceantur. Quod qui non obseruant, faci-

Propria personæ quæ sint.

Dam. isc. lib. 3. cap 3.

limè eò redigentur insaniæ, vt τῷ λόγῳ, in quantum persona est, vel auctioni affingant per incarnationem: vel eundem propter aliam rationē nunc, quàm ab æterno fuerit, personam appellari comminiscantur: quorum illud Arianum, hoc Nestorianum est.

79. Quando igitur Idiomata, seu propria diuinæ naturæ de Filio hominis prædicantur, & è contrario, propria humanæ naturæ de Filio Dei dicuntur, id per κοινωνίαν ἰδιωμάτων, hoc est, per communicationem Idiomatum fieri, cum sanctis Patribus, & Ecclesiæ purioris doctoribus, omnibúsq; fidelibus, nos quoque constanti voce profitemur, & nisi hanc ipsam aduersarij aliò detorquere velint sententiam, facilè transigi posset. Quis enim non videt, hanc explicationem prodigiosè isti definitioni ex diametro repugnare? Si enim communicationem Idiomatum nominauit Antiquitas, cùm proprietas alterius naturæ prædicatur de persona, cuius interdum quidem ab vtraq;, plerumq; tamen à diuersa natura denominatio sumitur: quæ ergo consequētia negabitur, quòd communicatio Idiomatum sit prædicatio, seu phrasis, seu modus loquendi? An non synonyma sunt, cùm dico: Communicatio Idiomatum est prædicatio, qua vtriusq; naturæ proprietates tribuuntur personæ Christi, siue ab humanitate, siue à diuinitate denominatæ? Aut communicatio Idiomatum dicitur, quando Idiomata diuinæ naturæ de Filio hominis, & humana natura Idiomata de Filio Dei prædicantur. Quid, inquam, differunt, communicatio Idiomatum est prædicatio: & communicatio Idiomatum dicitur, quando proprietates naturarum de Christo, ita vt modò dictum est, prædicantur: & ci? Spiritu vertiginis rapiatur oportet, qui hæc superiori definitioni ex diametro repugnare non animaduertat.

Communicatio Idiomatum veteribus quid.

80. Quòd autem Orthodoxi, quibus audacissimus iste Orthodoxæ veritatis de persona Christi, & Sacramentorum profanator, suam affricando scabiem apud imperitos inuidiam conciliare conatur, Theodoreti regulam vrget: Quòd vnio faciat communia nomina: tum demum ad introducendos tantùm, vt calumniatur, titulos fieri demonstrabit: Si propositiones Apostolicas, quæ præsertim distinctiuam etiam particulam habent additam: Quòd nimirum Filius Dei sit factus ex semine Dauidis, secundum carnem. *Item*: Quòd Christus sit ex patribus, quo ad carnē, qui est supra omnes Deus laudandus in secula. *Item*: Quòd passus & mortuus sit carne. Si inquam, propositiones istas, vel nudos tantùm titulos Filio Dei tribuere, vel de vtraque Christi natura intelligendas esse, probauerit. Quin proprietates alterius naturæ ideo tribuuntur personæ, denominate

Regula Theodoreti conuenit cum propositionibus Apostolicis.

Rom. 1. Rom. 9. 1. Pet. 3.

nata ab altera natura, quia persona vtramq; naturam complectitur, atq; ita
prædicatum verè inest subiecto: vt, Filius Maria est creator & conseruator ca-
lis ac terræ, non titulotenus, sed verè: nec tamen respectu humanæ naturæ,
quæ ipsamet est creata, & aliunde sustentatur, sed respectu diuinæ naturæ, quæ
sibi humanam naturam, à qua denominatur Filius Mariæ, qui idem est Filius
Dei, hypostaticè vniuit.

Filius Mariæ est creator cæli & terræ, non titulotenus, sed verè, & spectu videlicet naturæ diuinæ.

81. *Nisi enim hanc nostram, hoc est, omnium rectè inuocantiũ Filium Dei,*
sententiam veram esse, vt immutabiliter vera & immota est, concesserit An-
tagonista, nolit, velit, alteri naturæ alterius naturæ idiomata, vt subiecto, tri-
buat necesse erit. Sin id rursus neget, vt hic præ se fert negasse, cùm inquit,
Non autem eo modo, quòd alteri naturæ per se consideratæ, tanquam subiecto insint, communicatas dicimus: *totidem verbis rea-*
lem suam Idiomatum communicationem ex fundamento euertit: cùm perpe-
tuum sit axioma, quòd de subiecto, cuiuscunq; tandem generis sit, nihil omni-
no dici rectè possit, nisi prædicatum eidem inesse constet. Dici enim de aliquo,
requirit inesse. Siquidem ergo Deitatis idiomata, omnipotentẽ, omniscium, v-
bique, æternum esse &c. naturæ humanæ non insunt, perinde atque τὸ παθητὸν, patibile, in Deitatem neque cecidit vnquam, nec cadere potest, qua igitur
ratione fieri posse dixeris, vt istæ propositiones veræ sint: Christus est Deus, o-
mnipotens, omniscius, vbique, æternus, item passus, mortuus &c. secundum v-
tramq; naturam?

Idiomata Deitatis nõ insunt naturæ humanæ, & contrà.

82. *Propria enim desinunt esse propria, si diuersis naturis re ipsa fiant com-*
munia: secundum regulam Orthodoxæ antiquitatis: ἡ γὰρ ἰδιότης ἀκίνητον, ἕως ἂν μένοι ἰδιότης κινουμένη, καὶ μεταπίπτουσα. Cumq; propria subiectum
suum non egrediantur, neq; de alio, quàm suæ naturæ, cui insunt, subiecto ve-
rè & propriè dicãtur, atq; essentialibus quidem idiomatis naturæ substernan-
tur, vt personalibus hypostasis: sequitur, Deitatis idiomata, quæ ipsam Patris,
Filij, & Spiritus sancti nulli vnquam creaturæ communicabilem essentiã de-
finiunt, non minùs carni assumtæ tribui verè posse, quàm ab æterno ex Patris
æterni substantia nasci, vel ipsi Patri, vel Spiritui sancto, nedum vlli rerum
creatarum competit.

Nazianzenus & Damascenus.

83. *Quoties ergo de naturis in Christo loquimur, suum cuique tribuamus,*
& sciamus, quædam esse diuinitatis, quædam humanitatis propria. Cùm au-
tem de persona verba facimus, communicanda sunt naturarum propria, &
hæc atque illa Saluatori Christo tribuenda sunt, & idem appellandus est, &
Deus & homo, & Filius Dei, & Filius hominis, & Filius Dauidis, & Dominus

Theodor. Dial. 2.

Dauidis, & semen Abrahæ, & conditor Abrahæ. Idem de aliis appellationibus omnibus dictum putemus, vt Theodoretus piè monet. Et quidem rei veritate conuictus author thesium, clara tandem voce idem confitetur. Propriæ enim Diuinitatis (*inquit*) solius diuinæ naturæ propria sunt, ac permanent: & ne quidem in ipsa vnione hæc suum subiectum egrediuntur, neque in æternum proprietates assumtæ humanitatis fiunt. Et contrà. *Quod si, vt loquitur, ita sentit: quæ igitur fronte, vel potius conscientia turbat Ecclesiam reali isto suo figmento, ne dicam blasphemia, de carnis assumtæ Vbiquitate, & Verbi impatibilis passibilitate? Aut quousq; ruet tandem, securus iræ diuinæ, & contemtor seuerissimæ comminationis?*

Gal. 5. Qui enim perturbat vos (*inquit Apostolus*) portabit iudicium suum, quisquis sit.

Argutia primum à Kemnitio inuenta.

Et si autem Sophista noster hac argutia se confusionem naturarum effugere posse confidat, quòd diuinæ naturæ proprietates sic humanæ communicari dicit, vt tamen ipsius proprietates in æternum non fiant, mera præstigiatorum illusio est. Sicut enim Orthodoxæ Synodi hoc modo vtriusq; naturæ proprietates in vnione saluas esse docent, quòd videlicet in vna persona & subsistentia cõcurrant, aut quòd vna eademq; Christi persona in duarum naturarum differentibus proprietatibus subsistat: sic econtrario confusionem introduci fatentur Patres, quoties per diuersas vtriusque naturæ proprietates differentia ipsarum non posset cognosci, sicut cognosceretur, si quælibet natura, exinanitionem, in sua propria hypostasi subsisteret, atq; sic differentes hæ naturarum proprietates non in vnam personæ subsistentiam, sicut per vnionem fit, non coirent, & coniungerentur. Hinc Ambrosius confusionem introduci ait, si in Christo, quod diuinum & humanum est, per diuersas naturæ proprietates non discernitur. Theodoretus ex vnione confusionem fieri dicit, vbi finem actu differentiæ naturarum, non consideratur, quid conueniat diuinitati, quid accommodatum est corpori, ita quod nec de Deo, vt Deo, nec de homine, vt homine rectè cogitare & sentire possemus. Agatho Romanus, propter eandem in vnitate personæ Christi naturarum confusionem, omnia in ipso deficia esse ait: duas videlicet naturas, & duas differentes proprietates & actiones: diuinam enim habere omnia quæ diuina sunt: & humanam, omnia quæ humana sunt. Iam verò si humana natura etiam omnia quæ diuina sunt, communicationem realiter in se habere dicatur, certè per hoc non erit confusa, sed potiùs introducta confusio. Neq; enim verum erit dicere, duas differentes naturarum proprietates in vnam personæ subsistentiam concurrere. Di-

Synodus Chalcedonensis & Constant. 6. & Agatho Romanus.

lib. de Incarn. Verbi cap 9.

In Dialog.

Agatho Romanus.

Damascenus, nisi diuersæ proprietates istæ, increatum & creatum, inuisibile & visibile, in vna sint & existant hypostasi, Christum per hoc diuidi, & duas ex ipso hypostases fieri, aut si non in hac hypostasi duæ vtriusque naturæ differentes sint atq; maneant hæ proprietates, hoc est, Si Christus secūdum vtramque naturam increatus, inuisibilis & incircumscriptus esse dicitur, naturarū differentiam per hoc negari, & versionem seu confusionem fieri oportere tradit: Manserunt enim, inquit, & post vnionem naturæ inconfusæ, & proprietates illæsæ: quod equidem de inuisibili, impalpabili & incircumscripta corpoream existentia cum veritate dici non potest. Denique Cyrillus in epistola 30 in Actis Synodicis, ideo in vnione, neque confusionem, neq; commixtionem factam esse dicit, quia videlicet caro Christi sit, vt est ex muliere assumta caro: qualis certè non est, quæ non in sua, sed in diuinæ naturæ proprietatibus, vt inuisibilis, impalpabilis & incircumscripta existit. Ad hunc modum per vnionem secundum subsistentiam confusionem naturarum excludi, quatenus videlicet sua cuiq; natura distinctim ab alia, proprietas, voluntas & actio manet, ex perpetua Oecumenicorum Synodorum sententia, in Decretis suis docet Martinus Papa.

lib 4 cap 3.

lib 3. cap 3.

Vbiquitarierum portentosa hæresis.

84. Quòd verò suspicionem Physicæ Idiomatum communicationis, qua alterutra natura per se & in se considerata, subiectum proprietatum alterius naturæ constituitur, quasi anteuertens argumentum, quo vrgeri poterat, hoc cauillo eludere conatur, quòd idiomata Deitatis carni assumtæ realiter communicata, nihilominus maneant solius diuinæ naturæ propria, nec fiant propria naturæ assumtæ, etiamsi huic realiter communicentur: præstigiæ sunt, vt suprà ostensum est, aleatore & vanissimo Sophista, non Theologo digna, propriaq; conscientia αὐτοκατάκρισιν produnt. Primùm enim id manere proprium diuinæ naturæ, quod humanæ realiter communicatum fuerit, tum demum verum esse docebit, cùm proprium & commune, hoc est, extremè contraria & inter se oppositæ, simul stare posse demonstrauerit. Sin excipere pergat: Realiter alicui communicari, & fieri eiusdem proprium, idem non esse, sed diuerso respectu dici: eo ipso nostram rationem, proprium videlicet & commune: vt & appropriare, & pluribus communicare, simul non posse consistere probauerit, tantum abest, vt suum delirium defenderit. At quid denique hoc monstri est, quòd vnum & idem diuersis attributum naturis, in altera quidē, vt proprium considerat: in altera verò non vt proprium, sed vt quoddam reale, aut rem, sicut in definitione loquebatur, verè existentem. Quòd si humana natura subiectum est prædicationis, cui diuina natura proprietates prædicando

Proprium & cōmune simul stare nō possunt.

competunt & tribuuntur, quomodo non erit etiam subiectum ipsarum proprietatum? Qualis enim res est, talis est prædicatio. Ista ergo prius inter se componat præstigiator, quàm intelligentibus persuasurum se speret, dogma illud de reali idiomatum communicatione, diuersum esse à physica proprietatum communicatione, quæ, ipso teste, confusio est naturarum.

35. Sicut enim omnipotentia Dei (qua appellatione notemus, aduersarium omnes naturæ diuinæ proprietates complecti, vt, quoties carnẽ Christi omnipotentem efficere conatur, toties suis verbis conuincatur, æternitatem eidem assignare, quodq; creatura sit, quæ in tempore, id quod est, esse cœperit, impiè abnegare) tanquam accidens humanæ naturæ inesse nequit: quoniam nihil, quod ad Dei essentiam spectat, accidentis rationem sortiri vnquam potest: ita nec accidere potest, vt Deitatis proprietates naturæ Christi assumtæ, vllo loquendi modo, vel per se, vel per accidens tribui rectè possint, aut debeant. Siquidem vt essentia Dei omnium in se accidentium prorsus expers est, & simpliciter ἀτρεπτος: ita nec essentiales proprietates suas in carnem Christi, aut vllam rem aliam creatam per accidens transfundit, nec vlla reali earundem communicatione, vt in illis habeant accidentalis cuiusdam, si non idiomatis, saltem axiomatis, & quidem realis, vt Vbiquitarij somniant, rationem, committit. Vnde necessaria consequentia concludimus.

Demonstratio firmissima ad euertendã realem Idiomatũ communicationem

Quæ nec per se, nec per accidens carni Christi competunt, nulla ratione competunt (nisi forsan inter hosce dicendi modos aliquid tertium, cuiusmodi nihil in rerum natura extat, ex sensus sui abundantia comminisci, vel potius Antagonistis, vt pro libidine ista fingendi quodlibet ex quolibet liceat, vltrò concedere, hoc est, cum ratione insanire libeat) Sed idiomata Deitatis, vel omnia, vel aliqua, nec per se, nec per accidens carni Christi competunt, vt hactenus Disputator ipse, seq; suósq; candidatos inextricabilibus contradictionibus implicauit præter animi sententiam fassus est. Ergo realem Idiomatum communicationem, cui iam ἐνθεωσιν, Deificationem fabricant, vt inter articulos fidei recipiatur scilicet, vel ipsis Antagonistis arbitris, in quibus saltem adhuc sanæ mentis gutta reliqua est, vanam esse sequetur.

Et iam se ipsum colligat præclarus iste notorum Theologorum promotor, quidq; in eadem non ita pridem disceptatione scripsitarit, atque defenderit reputet: hisce verbis dogma suum quàm absurdum, tam impium, nonnihilum olim mitigare studens: Neque verò (inquit) hac reali plenitudinis omnis Diuinitatis communicatione, natura humana cum diuina miscetur, aut sicut quibusdam videtur, planè aboletur, sed quæ diuina

Thes. Tubingensi 22.

diuinæ per essentiam est, id humanę suo modo per accidens communicatur. *Idem contra Ingolstadienses:* Omnipotentiam & infinitam perfectionem homini Christo personaliter communicatam esse dicit, quasi per accidens. *En tibi, quod hic negare videri vult, tuma pertè docuit, nec quòd perperam docuerit, etiamnum agnoscit. Vnde non absurdè Ingolstadiani collegerunt, quòd hac ipsius ratione fieret,* Vt Christus Deus esset per accidens, *& ipsa quoque Diuinitatis plenitudo accidens quoddam esset, & reliquæ etiam diuinæ perfectiones, quæ cum plenitudine Diuinitatis idem prorsus existunt, accidentia quædam haberentur. Sed hæc tam impiè, quàm absurdè dicta, cùm nouis subinde coloribus pingat, pallietq;, quibus vnquam verbis, quo gestu, quo suspirio reuocasse, aut reuocaturum sperabimus?* Fol. 32. &

86. *Propria diuinitatis, non nisi tribus personis* Trinitatis *ratione essentiæ, & naturæ diuinæ, hoc est, propter τὸ ὁμοούσιον, naturaliter & essentialiter, atq; ita re ipsa communia sunt. Quidquid ergo sacrosanctæ* Trinitati *non est coessentiale, vt caro Christi cum reliquis creaturis omnibus: eidem, quæ solius diuinæ essentiæ propria sunt, salua vtriusque, tam naturæ creatricis, inquam, quàm eius, quæ creata est, veritate, tribui nulla ratione possunt. Atque ita realis Idiomatum communicationis fabrum suo ipsius gladio iugulamus.*

87. *Constat ab Orthodoxa antiquitate contra eos, qui Christum vel* δοκήσει *saltem, ἢ φαντασίᾳ, hominem esse fingebant, atque ita vnicam tantùm in eo naturam statuebant: vel personam diuidentes, duas naturas separatim subsistentes docebant, vnionem in Christo etiam essentialem dictam esse, respectu scilicet duarum naturarum, non κατὰ δόκησιν, neq; κατὰ σύγχυσιν, sed essentialiter concurrentium, seu ὑσιωδῶς, vt* Theodorus presbyter loquitur, *ἡνωμένων. Respectu autem eius termini, vt sic dicam, in quo vtraque natura concurrit, nimirum in personam τοῦ λόγου, constituitur vnio, nec essentialis, aut physica, qualem Eutyches fingebat: nec accidentalis, qualem Nestorius somniabat: sed hypostatica, cuius mysterium reuera omnem humani ingenij captum excedit ac superat: Ideoque nullis humani ingenij speculationibus subiectum est, gratia, multò minùs κατ' ὄψιν demonstrari à quoquam potest. Vt ergo à veritatis scopo quàm longissimè aberrant, qui vnionem naturarum hypostaticam, vel in vnitatem essentiæ, vel tantùm in ποιότητα ἀδιστάντως ἐνεργητικὴν conuertunt: ita non sunt audiendi, qui propterea, quòd modus vnionis hypostaticæ omnes regulas Physicas transcendit, ipsum etiam Christi corpus φυσικώτατον à Physicis regulis eximunt: cuius tamen veritatem Dominus ipse, & qui-* Fulgent. cap. 3. lib. de incar. &

dem post resurrectionem, aduersus phantasiam τῶν δοκητῶν argumento plane physico defendit, cùm inquit: Palpate, & videte, quia Spiritus carnem & ossa non habet, sicuti me habere videtis. Rursus autem hac ipsa thesi non tantum crassam committit contradictionem, verùm etiam suum ipsius dogma iterum iugulat Antagonista. Primùm enim expressis reiicit verbis, quòd vnius naturæ propria, altera natura per se, vel per accidens habere dicatur. Sed huic repugnat, quòd inferiùs vrgentem audiemus, naturam humanam omnipotentem esse τῷ ἔχειν. Deinde si seriò ita sentit, vt hîc quidem præ se fert sentire, nimirum vnius naturæ proprietates alteri naturæ, neq; per se, neque per accidens tribui posse. Aut igitur tertium ostendat modum, secundum quem caro Christi realiter vbique sit, cùm neque per se, neque per accidens sit vbique: aut suam ipsemet αὐτοκατάκρισιν agnoscat, quòd videlicet in natura quidem humana Eutychismum: in persona autem Christi Nestorianismum impiè asserat.

Thesi 296.

Qualis est vnio, talis est proprietatum communicatio. Nazianzenus apud Theodoretum.

88. Porrò etiã huius, quam Disputator illi subtexuit, propositionis mira perplexitas. Ex eo enim quòd talis dicitur esse communicatio Idiomatũ, qualis est vnio, malè videtur inferre, communicationem Idiomatum, quam alii realem vocat, esse personalem. Cùm hæc potiùs sit sententia: Sicut vnio duarum naturarum in Christo nequaquam sit in aliqua essentiali proprietate toti Trinitati communi, sed potiùs in vnitate subsistentiæ & λόγῳ: ita etiã naturarum proprietates nequaquam aliter de Christo, quàm in concreto, est, vt subiectum propositionis sit vocabulum, non alterutram tamen naturam, sed integram complectens personam, prædicari posse. Nam alioquin ipsius personæ realem aliquam communicationem fingeremus, vt inde communicatio personalis dicenda sit, tolleretur ex definitione personæ, quòd sit ἑτέρου ἀκοινώνητον, atque ita veritas personæ in Christo destrueretur. Falsa ẽt consequentia planè præposterа: quia sequeretur, communicationem Idiomatum prorsus esse idem, quod est vnio hypostatica: cùm tamen hæc illam ordine naturæ præcedat, & vnio personalis τῆς τῶν ἰδιωμάτων κοινωνίας fundamentum sit. Deinde hanc ipsam ob causam, quia vnio hypostatica communicationis Idiomatum fundamentum esse rectè dicitur, fieri non potest, vt hæc illam efficiat, hoc est, illius differentiam specificam constituat. Nec enim ideò duæ illæ naturæ in vna Christi persona sunt vnitæ, quia vtriusque naturæ idiomata de vna eademq; persona Christi affirmantur: sed ideò potiùs vtriusque naturæ idiomata de vna eademq; persona Christi affirmari dicimus, quia duæ naturæ in vna Christi persona & hypostasi sunt vnitæ & subsistentes. Ita

nisq; ad Leonis dictum quod attinet, nihil illud omnino realis Idiomatum communicationi, quam potiùs euertit, patrocinatur, sed modum describit, quo vtraque in Christo natura, mutuis quasi traditis operis, & suum qualibet, vt sic loquar, ἀμβάλλον μέρος conferente, redemtionis humanæ opus, propter quod vnionem illam factam esse constat, perficiat. Excludit ergo Leo Episcopus hoc aureo suo aphorismo personæ diuulsionem, quando vtranque naturam cum alterius communicatione agere dicit. Ne tamen Eutychæam quandam confusionem, aut quod idem est, realem Idiomatum communicationem stabilire videretur, prudenter addidit: Quod suum est, Verbo nimirum, quod Verbi est, operante: & carne exequente, quod carnis est. *Verbo enim totius operis directionem tribuit, carnem verò quasi ministram constituit.* Nec Verbo executionem eorum, quæ carnis sunt, videlicet passionem, mortem &c: nec carni operationem eorum, quæ Verbi sunt, vt in morte sustentationem, ex mortuis resuscitationem &c: quod Vbiquitarij faciũt, designat. Vnde & à Dionysio vtriusq; naturæ in persona Christi ad vnum ἀποτέλεσμα concurrentes actiones, piè, doctè & appositè θεανδρικαὶ, id est, Dei viriles appellantur. Iam verò si ex hac Leonis sententia vtraque natura, in hac ipsarum κοινωνίᾳ, agit, quod sibi tantùm est proprium. Ergo caro Christi non agit, nec efficit, quod non sibi, sed Verbi est proprium, id quod sequentia Leonis exempla declarant: Vnum, *inquit*, horum coruscat miraculis, aliud succumbit iniuriis. *Vbi igitur hîc realis illa proprietatum communicatio? Porrò vel ex hoc aphorismo emendare linguam discat Antagonista, quando Leonem Orthodoxum clamare audit, quòd vtraque forma agat: per formas vtramque Christi naturam intelligens: nec pro forma serui seruilem tantùm conditionem, seu habitum substituens.*

Dictum Leonis.

Forma serui naturã significat.

89. Eo ipso igitur, quia communicatio Idiomatum est vnione hypostatica posterior, mysterium vnionis nec constituit, nec definit, sed tanquam consequens, commodè effando, seu certa lege enuntiando id, quod per se est inenarrabile, vtcunq; declarat. Hoc est, vnionem ipsam, etsi perspici modus illius à nulla creatura rationali potest, verè esse factam ostendit, & regulam tradit, quomodo de ea sit loquendum, vt media & recta via incedamus, & non declinemus à veritate ad mendacia, vel Nestoriana, vel Eutychiana.

Communicatio Idiomatum declarat mysterium incarnationis.

90. Cùm autem Magister ille noua fidei, non tantùm communionem Idiomatum cum vnione hypostatica confundat, verùm etiam Leonis Episcopi regulam ad suum delirium malè detorqueat, nullo modo reprehendendi sunt, sed vtilem potiùs Ecclesiæ operam nauarunt, quicunq; monstrata distinctione,

quam inter vnionem personalem, & κοινωνίαν ἰδιωμάτων, vt inter rem & phrasin, iam inde ab initio Ecclesia Orthodoxa hereticis opposuit, tam absurdum dogma confutarunt.

91. Nec enim ad rem facit, quòd specificis rerũ differẽtiis destituti, ad accidentia confugiant Dialectici. Quid enim hoc ad euertendam vnionis hypostaticæ definitionem, quam eo ipso à reliquis præsentiæ Dei gradibus toto genere differre ostendimus, quòd immensa Dei essentia reliquis creaturis omnibus tantùm adsit effectiuè, non vt sit vnum σῶμα, vt in Christo cum assumta carne, ὁ λόγος constituit vnum σῶμα, id est, vnum ὑποκείμενον. Quod qui non vult, prius, quomodo hinc personalis vnio definiatur, intelligũt, hos, fieri non potest, vt qualis sit illa, quæ ex hac personali vnione descendit, Idiomatum communicatio, rectè intelligere queant.

92. Qui autem differentiam vnionis duarum naturarum in Christo specificam, non quidem ab ipsa subsistentia Verbi incarnati vnitate, in qua vtraque natura concurrit, vnde hypostaticè vniri propriè dicuntur, sed potius à reali Idiomatum communicatione, seu quod idem est, ex reali totius energia diuinæ in naturam assumtam transfusione, petendam clamitant, illi ipsi mysterium vnionis hypostaticæ in accidentariam quandam Dei Verbi iuxta carnem Christi assistentiam conuertunt, quæ παράστασις à reliquis præsentiæ Dei gradibus nequaquam toto genere, sed tantùm secundum plus & minus differt, in naturásque in proprietatibus exæquat, in persona verò diuellit: totum denique, vt iam ante diximus, & infrà latiùs demonstrabitur, sacrosanctæ Trinitatis mysterium cum blasphema Sabellio incarnat.

Vide Damascenum in Dial. ca. 61. & Syn. Chalced.

Explicatio loci Pauli ad Col. 2.

93. Huic blasphemiæ opponamus luculentum illud dictum Pauli: In Christo habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter. Cuius dicti naturam primùm sententiam explicabimus: posteà soluemus Antagonistæ monstrosam prauationem. Summa autem sententiæ Paulinæ hæc est: Discernit Apostolus hoc dicto vnionem personalem ab aliis modis præsentiæ Dei, vult agnosci discrimen inter personam Christi, & alios beatos & sanctos. In his enim habitat Deus separabiliter & effectiuè, accendens nouam lucem & nouos motus, sed in Christo habitat inseparabiliter: & sic vt vnione hypostatica vnitæ sint in natura, persona secunda diuinitatis λόγος, & humana natura assumta. Non vt nos nunc dicimus ὑποκείμενον seu personam: ita veteres dixerunt ἐνυπόστατον, quod non est imaginarium, aut accidentale. Quod autem inquit: Plenitudo diuinitatis, discernit & hoc modo Filiũ ab aliis beatis & sanctis. In aliis habitant particularia dona, vt in Mose, Helia: sed in Filio est substantia, quæ est fons

da persona diuinitatis immensa perfectionis, omnipotens & efficax in aliis, vt Iohannes inquit: Ex plenitudine eius omnes accepimus. Hoc sensu iuxta Cyrillum & Orthodoxos Patres sic plenitudo diuinitatis habitat in Christo, sicut per hanc Deus est ab aterno, & homo per vnionem est Deus ante secula.

94. Sed Vbiquitarij cum Schwenckfeldio natiuam huius dicti Apostolici sentẽtiam falsis interpretationibus tetrè corrũpunt, & ad stabiliendam realem suam, quam fingunt, Idiomatum communicationem, quæ est mera confusio naturarum, intempestiuè detorquent. Eius deprauationis specimen etiã noster Disputator hîc edit, qui sic argumentatur: Omnis plenitudo Deitatis significat omnia, quæ de Deo dici possunt. Humana autem naturæ Christi communicata est omnis plenitudo Deitatis, secundum Pauli testimonium iam citatum: Coloss. 2, vbi de humana natura, de carne, de corpore & anima Christi loquitur, tanquam templo diuinitatis proprio, in quo omnis plenitudo diuinitatis habitet. Siquidem in seipsa corporaliter habitare non potest, cùm diuinitas non sit corpus, sed Spiritus. Ergo humanæ naturæ Christi realiter communicata sunt omnia, quæ de Deo dici possunt.

Argumentum Iacobi Andreæ de realis cõmunicatione idiomatum Deitatis.

Maiorem concedimus, si tamen per ea, quæ de Deo dici posse intelliguntur, non separentur proprietates Dei ab ipsa Dei essentia. Hoc enim monstri alere præclarum istum Disputatorem, non vno iam loco deprehendimus. Deinde in Minore varias occultari insidias dicimus. Primùm, quia dictum Pauli, quod est descriptio personæ Christi, non rectè detorquetur ad ipsam naturam humanã Christi, in se consideratam. Non enim in abstracto loquitur Paulus, sed vtitur voce concreti: In ipso, inquit, videlicet in Christo, in quo necesse est, duas naturas agnoscere, & quidem distinctas, sed vnitas vnione hypostatica.

Responsio. Proprietates Deitatis ab ipsa essentia sunt inseparabiles.

Consideretur autem totus contextus, & liquidò patebit, non alium sibi scopum eo in loco propositum habere Apostolum, quàm vt ostendat, qualis sit Christus: nimirum, ita verus homo, vt simul sit verus Deus: & tamen vt in his duabus naturis vnus sit Christus, qui omnia in omnibus perficiat, & ex cuius plenitudine omnia nos haurire necesse sit, quæ ad salutem nostrã pertinent. Sicut mox addit: In eo completi estis, qui est caput omnis principatus ac potestatis. *Non igitur describit, qualis sit humana natura Christi secundum sese, alioquin per istam diuinitatis plenitudinem hanc Deum esse, fateri oporteret, sed docet, quid de persona Christi nobis sentiendum sit, & quomodo ab aliis sanctis ac beatis discerni debeat.*

Est autem perpetuus hic Antagonista, & cæterorum eius subscriptorum error, qui personam cum natura confundit: quandoquidem ex eo, quòd quip-

piam in Christo esse dicitur, cõcludit, id ipsum quoque in eius humanitate fa-tui oportere. Vnde falsam vnionis personalis definitionẽ extruit, ex quo postea errore maximam argumentorum telam deducit. Deinde vocabulum communicari, quod in Minore vsurpatur, ambiguum est, Paulus dicit: Habitat in eo τὰν πλήρωματῆς θεότητος, & quidem σωματικῶς, id est, οὐσιωδῶς, καὶ κατὰ φύσιν, hoc est, essentialiter, & non habitudine seu affectione quadam, sicut in aliis sanctis, vt significet, τὸν λόγον vnitum esse naturae assumtae personaliter & inseparabiliter, non tantùm effectiuè. Et si autem veteres, vt supra dictum est, idem aliquando communicari dixerunt, quod nos vniri dicimus, in qua significatione reuera Deitatis plenitudo se ipsam inhabitare, vt & sibi ipsi vnita, aut communicari dici commodè non potest, sed potiùs de proprio Christi templo intelligendum illud erat: tamen etiamsi non de persona, sed de natura Christi assumta distinctè Paulus loqueretur, nihilominus conclusionem istam rectè inferri haud sequeretur, quòd humanae Christi naturae, quacunque de Deo dici possunt, realiter communicata sint: cùm longè diuersissimè se habeant, inhabitare, & re ipsa communicare: imò res ipsa reclamet, nisi assumtam Christi naturam in ipsam Deitatem conuertere, adeoq; aeternam & increatam constituere, totumq; Symbolum cum vniuerso reparatae salutis nostrae mysterio prorsus euertere libeat.

Quid sit diuinitatis plenitudinem corporaliter in Christo habitare.

Vide Augustinum in epistola ad Dardanũ. & Fulgent. lib. 3. ad Thrasim.

Deniq; quidtandem aliud hac sua falsa istius Paulinae sententiae interpretatione obtinebit Disputator, nisi quòd illa Deitatis plenitudo in Christo corporaliter habitans, quam dicit esse realem huius plenitudinis in humanam naturam communicationem, Christum faciat esse Deum, non essentialiter, sed formaliter, non habitualiter, non subiectiuè, sicut de hac Deitatis communicatione loquitur? Magna profectò res, & digna tam operoso conatu.

Thesi Tub. 21. & 22.

95. Vt autem hoc dictum Pauli, ita reliqua etiam Scripturae testimonia horribili audacia corrumpunt noua isti religionis architecti, qualia sunt Ioh. 3. Non ad mensuram ei dat Deus Spiritum. Item: Pater diligit Filium, & omnia dedit in manus eius. Matth. 28. Mihi data est omnis potestas in coelo & in terra. Psal. 110. Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis. Philipp. 2. Dedit *ei* nomen super omne nomen. Quae dicta Scripturae omnia de Christi persona, & nequaquam de natura duntaxat assumta loquuntur, tantum abest, vt portentosum illud dogma de reali Idiomatum Deitatis communicatione, quam carni factam esse contendunt, stabiliant.

Ne tamen de iisdem Scripturae testimoniis, vt solent (victoriae quàm veritati cupidiores) triumphum instituant aduersarij, consideret prudens lector

breuem, quam hic subiiciam, responsionem: ac primùm quidem ad dictum Ioannis 3 quod attinet, collatio membrorum in concione illa Baptistæ perspicuè ostendit, Christum in his dictis, quæ citantur, describi, vt personam missam. Quia expressè dicitur: Qui supernè venit. Item: Qui de cælo venit. Item: Is quem misit Deus. Et postea: Qui credit in Filium, habet vitam æternam. Non igitur valet cauillatio: Diuinæ naturæ Christi nihil potest dari. Ergo dictum Baptistæ intelligendum est de sola natura humana per realem Idiomatum communicationem. *Explicatio testimoniorum depravatè additorum.*

Loquitur enim Baptista de missione Filij ad hoc officium, vt sit Messias, & sponsus Ecclesiæ, & dator vitæ æternæ. Hoc respectu testatur Scriptura passim, Filium à Patre accipere: & mandatum de officio seu vocatione, & potestatem ad perficienda opera, quæ congruunt Messiæ. Vt igitur psal. 45, alludens ad ritum inaugurationis regum & sacerdotum, inquit: Vnxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præter consortes tuos: sic Baptista hîc, de Messia Filio Dei, misso in carnem, dicit: Non dat ei Deus Spiritum ad mensurã. Et vt Christus ipse inquit Ioan. 17: Dedisti Filio tuo potestatem omnis carnis, vt omne, quod dedisti, det eis vitam æternam. Sic Baptista hoc loco ait: Pater diligit Filium: & omnia ei in manus tradidit, id est, arbitrio ac potestati eius permisit. Et tantum abest, vt exæquatio naturæ humanæ cum diuina: vel quod idem est, realis, seu physica Idiomatum communicatio, ex interpretatione à veteribus de hoc dicto Ioh. 13 tradita, ostendi possit: vt potius ipsam Filij Deitatem æternam hinc Cyrillus probet. Ergo, inquit, hac nota Filius Dei à Prophetis, & sanctis omnibus discernitur, Impossibile est enim, vt qui mensum Spiritum acceperunt, aliis etiam illum largiantur. Nunquam enim sanctus vir alteri sancto Spiritus largitor fuit: sed omnibus ex amplitudine sua Filius largitur. Quoniam igitur Filius Spiritus largitor est, nemo ambigit, quin substantialiter in se ipso Spiritum possideat. Et de altero dicto: Omnia dedit Pater Filio in manus, extat copiosa eiusdem Cyrilli enarratio, qua & diuinitatem Christi æternam hinc demonstrat, & quomodo ad Christum in præsenti vocatione accommodari hoc dictum debeat respectu œconomiæ, clarè & luculenter exponit. *Cyrillus li. 2. ca. 72. lib. 2. ca. 73. Matth. 28. Vide de hoc loco Cyrill. lib. 10 Thesaur. ca. 2. & lib. 11. cap. 13. in Ioan.*

Deinde ex dicto Christi Matth. 28, nihil minus sequitur, quàm quòd inferre conantur naturam Christi assumtam factam esse omnipotentem. Nam sisan ita res se haberet, duæ iam in Christo naturæ ponerentur pariter immensæ & omnipotentes: contra Symbolum, vnus immensus, vnus omnipotens.

Vtitur autem hoc dicto Christus non tantùm post resurrectionem, sed etiam antè, vt Matth. 11. Luc. 10. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo. Et: Nemo nouit Patrem, nisi Filius &c. Nec loquitur hic de potentia pertinente ad actionem Dei generalem, quæ ad omnes creaturas se extendit, in præsentia vniuersali. Quanquam enim si sic accipiatur dictum, rectè monet Cyrillus lib. 10 Thesauri, ordinem & distinctionem personarum, non indigentiæ Filij, naturaliter vt ipsum esse, ita cetera omnia habentis à Patre, demonstrari. Sed quia de institutione, vi & efficacia ministerij Euangelij sermonem instituit, propriè loquitur de potestate, seu ἐξουσία liberandi genus humanum deleto peccato & morte, & de restitutione iustitiæ & vitæ æternæ. Itē de potestate collectionis, sanctificationis, gubernationis, defensionis, & resuscitationis Ecclesiæ. Hanc potestatem, quæ pertinet ad officium regis & sacerdotis, affirmat Christus sibi datam esse, vt persona inde vsq; ab initio missa ad Ecclesiam.

Discrimen inter Deitatem mittentem, & personam missam.

Discernendum enim est inter Deitatem mittentem, & personam missam. Et alia est consideratio Verbi, ratione essentiæ, alia ratione officij. Quòd si hac quidem responsione satisfieri potest Antagonistæ, quin ex hoc dicto realem suam Idiomatum communicationem extorquere, eamq; ad constituendam vnionem duarum naturarum hypostaticam tali necessitate requirere pergat, vt hanc sine illa constare posse neget, nihil proficiet amplius, quàm vt quàm in ipso est, Patrem potius, quàm Filium incarnet, simulq; totius Trinitatis mysterium in Sabellij delirium conuertat. Si enim non nisi dantis & accipientis est vnio hypostatica: & sola quidem in Christo humanitas accipit, quæ diuinitus tradita dicuntur: Sic enim suprà thesi 44 vnionem definiuit: quæ ad constitutionē vnionis personalis per se, vt loquitur (videtur. n. vnionem non personalem per accidens, quæ nulla est, somniare) vtrumq; requiratur: tàm nimirum κοινωνία, seu communicatio Idiomatum realis, qua diuinitas dare & humanitas accipere dicantur: Quid hinc aliud quàm Patris, non Filij incarnationi sequeretur? A Patre enim omnia tradita esse, Scriptura testatur. Nec tere go dator est, humana natura, si huic Doctori credimus, omnia illa, quæ dari prædicantur, accipit. Atque hac duo requiri contendit ad constitutionem vnionis personalis per se. Ergo Pater per se est incarnatus, Filius per accidens! somniorum portenta! ô blasphema Vbiquitariorum deliria! Porrò Filius æternò vitam, & substantiam, & omnia quæ habet Pater, eadem accipit à Patre per generationem: sicut Spiritus sanctus ab vtroq; per æternum processionem, quod Scriptura vocat ἐκπόρευσιν. Ergo secundum nouam istam Theologiam, in qua noui doctores creantur, nouam ascisentes fidem, auitam abiurantes,

Ex argumentis Iacobi Andreæ nō magis probatur incarnatio Filij quàm Patris. thesi

Noua Theologia noui doctores creati.

Patr,

Pater, Filius, & Spiritus sanctus, per realem Idiomatum communicationem, non amplius τρισυπόστατον ὁμοούσιον, sed vnionem hypostaticam per se constituunt: atque ita blasphemi Sabellij hæresis iniustè damnata fuerit. Sed de citatis Scripturæ dictis breuiter hæc respondisse sufficiat. Quæ autem ad Christi exaltationem spectant, in sequenti regula explicabuntur.

96. Quòd verò hanc Orthodoxæ antiquitatis regulã huc detorquent, crassa est ignoratio phraseos. Sic autem argumentari videntur: Particulæ distinctiuæ ostendunt, cui naturæ realiter insit, vel ad quam naturam reuera spectet, & de qua verè intelligendum sit, quod personæ Christi in tempore datum dicitur. *Argumentum Iacobi Andreæ.*

Extat autem regula, vnanimi consensu Doctorum purioris primitiuæ Ecclesiæ approbata:

Quæcunque Christo data sunt in tempore, secundum humanitatem data esse. Ergo humana Christi natura realiter facta est omnipotens, omniscia, omnipræsens, & quid non amplius? Respondeo. Est amphibolias fallacia. Dupliciter enim vsurpatur illud, secundum humanitatem, nimirum vel solius assumtæ naturæ, vel status officij respectu. Interdum enim propriè eo sensu, cuius in Maiore fit mentio: interdum verò sic vsurpatur, vt tantùm significetur vnionis diuinæ naturæ ad humanam respectus, quando videlicet exprimitur mysterium incarnationis, seu dispensatio illa, quam Græci Theologi concinniùs œconomiam, id est, administrationem nostræ salutis nominarunt, qua Filius Dei, assumta serui forma, seipsum exinaniuit. Nam sicut per œconomiam, seu dispensationem, & stupendam illam συγκατάβασιν ὁ λόγος reuera exinanitus esse intelligitur: ita etiam omnia ei dantur, & intelligimus dari per eandem dispensationem, vt personæ missæ, κατὰ τὴν ἐνανθρώπησιν, id est, quatenus est Deus incarnatus, seu in carne manifestatus, vel respectu vnionis cum assumta natura, in quam miranda humilitate descendit, vt in ea, & per eam, hoc est, ipsius ministerio, & cum ea hypostaticè vnitus, nostram salutem recuperaret. Id quod vel vnicus psalmi locus clarissimè ostendit, vbi dicitur: Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. *Nisi fortè & hunc ipsum psalmũ contra luculentam interpretationem Apostolorum, qui eum de Christo explicant, ad naturam tantùm humanam, à λόγῳ assumtam, audacter aliquis restringere tentet.* *Reſponſio.* *Psalm. 2.* *Act. 4.*

Orthodoxa vetustatis vera sententia.

Etsi igitur vetustas interdum ita loqui solet, vt dicat, hæc & similia dicta intelligenda esse κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα, ne Arianis cauillandi locus relinqua-

tur, qui omnia dicta, quæ affirmant, Christum aliquid accepisse in tempore, detorquebant ad naturam diuinam tantùm, & quidem secundum se consideratam, vt inde inferrent eam esse creaturam. Tamen certum est, veteres scriptores, quotiescunque dicunt aliquid tribuendum esse Christo secundum humanam naturam, in talibus dictis, quæ officium Christi describunt, hoc ipsum dicere velle, quod nos de respectu personæ missæ loquimur. Nam officium, quo hic Dominus fungitur, missus ad obedientiam in docendo & patiendo. Item ad collectionem Ecclesiæ ex genere humano, verissimè pendet à decreto diuino de assumtione humanæ naturæ seu incarnatione Filij. Ideo Athanasius dictum

Athanas. *Christi: Pater maior me est, de quo in Symbolo dicit: Minor est Patre secũdum humanitatem: sic tamen dial. 1 de Trinitate explicat, vt totam missionem Filij complectatur.* Non dixit Christus, *inquit,* Deus maior me est: sed Pater. Non igitur vt Deum Deo maiorem esse dico, sed vt Patrem Filio, humana carne induto. *Et alibi:* Omnia, *inquit,* à Patre tradita sunt Christo, vt Saluatori. *Est autem Christus Saluator noster, non secundum alterutram tantùm, sed secundum vtramq; naturam. Ergo, quæcunque ad Saluatoris officium spectant, secundum vtramque naturam ei tradita sunt.*

Et hoc ipsum, nec aliud, illa locutione significare voluisse Orthodoxos, cũ aliis ipsorum sententiis admodum perspicuis liquidò demonstrari potest. Suum nim idem Athanasius ex professo hanc quæstionẽ explicans, ait: Homo merus non dignus fuisset eiusmodi muneribus: Verbum è diuersò solum & merum istis non indiguisset. Coaptatum igitur nobis est Verbum, potestatemque suam nobis impertiit, & superexaltauit. In homine enim existente Verbo, accepit homo. Quoniam igitur Verbo existente in carne, exaltatus est homo, & accepit potestatem: ideo ista ad Verbum referuntur, quia propter Verbum data sunt. Ideo enim quia Verbum in homine erat, istæ gratiæ donatæ sunt, & vt Verbum caro factum est, ita etiam homo per Verbum ea accepit. *Item:* Quoniam igitur coaptato Verbo hominis ad Verbum respiciens Pater, largitiones has in hominem contulit, vt exaltaretur &c. *Epiphanius li. 2. contra hæres. Arian.* τὰ θεοπρεπῆ καὶ (*inquit*) τῆς δόξης dicuntur de Christo propter incarnationem

Epiphan. *Chrysost.* *Cyrillus.* *Chrysost. in 1. Cor. 15.* Propter carnis dispensationem. *Cyrillus de recta fide ad Theodosium:* Manifestum est, quòd quæ insunt natura & propriè Verbo ex Deo Patre, seruantur ei iterum etiam, quãdo apparuit

ruit vt homo. Ideo periculosum est audere diuidere. Ad hunc igitur modum intelligi potest, omnia à Patre data Filio, vt ea, quæ ab æterno habuit, quatenus Verbum Patris est, iterum accepisse videatur, quatenus Verbum caro factum est, & in carne manifestatum &c.

Vide Cyrillum de incar. Smige. cap. 4. lib. 11. 20. & 27. in Ioan. & de recta fide ad Reginas.

Ex his Cyrilli verbis colligo, sicut ipsa diuinitas data est carni, ita etiam omnia, quæ diuinitatis sunt: illa autẽ essentialiter ei data nõ est, sic videlicet, vt hæc sit in eius naturã conuersa: Ergo nec omnipotẽtia, nec omnipræsentia, & reliqua, quæ diuinitatis sunt, in carnem sunt collata, sic, vt ipsa realiter in se effecta sit omnipotens, omnipræsens &c. Id ipsum verò eadem prorsus ratione ipsemet quoque Lutherus interpretatur in vltima verba Dauidis, sic scribens: *Lutherus.*

Secundum alteram & temporalem hominis natiuitatem, etiam data est Christo æterna Deitatis potestas, sed temporaliter, & non ab æterno: quia non vt diuinitas, ita quoque humanitas Christi ab æterno fuit. Verùm eo ipso momento, quo diuinitas & humanitas Christi in vnitatem personæ coniungi cœperunt, homo filius Mariæ, est & dicitur omnipotens & æternus Deus, cuius est potestas, qui omnia creauit & sustentat per communicationem Idiomatum, quatenus vna cum Deo persona & verus Deus est. De hac potestate loquitur Matth. vltimo: Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra, cui mihi? Mihi, inquam, Iesu Nazareno, Mariæ Filio, & homini nato. Ab æterno habui eam à Patre, antequã essem homo, sed homo factus temporaliter eam accepi, secũdum humanitatem.

Hac nõ possunt intelligi humana naturæ respectu dicta.

Consideret autem pius Lector scopum totius illius libelli planè diuini, & deprehendet, Lutherum hoc potissimùm agere, vt Iudæos confutet, negantes Christi crucifixi Deitatem. Quorsum ergo, quæ ibi pro defendenda Deitate dicuntur, ad naturam assumtam aduersarij detorquent? Certè Lutherus disertis ibidem verbis affirmat, dici filium Mariæ omnipotentem, quatenus est verus Deus. Sed non est verus Deus ratione carnis assumtæ. Ergo nec secundum hanc omnipotens est. Quid? quòd eadem ratione de Filio Mariæ prædicari testatur, quòd sit omnipotens, & quòd sit æternus, atq; creator omnium, per communicationem videlicet Idiomatum, hoc est, quatenus vna cum Deo persona, & verus Deus est, sicut ipse expressè loquitur. Sed humanitas nec æterna, nec creatrix dici verè potest. Ergo nec omnipotens. Eadem enim ratio est vtriusq; propositionis, & eodem modo veræ sunt ambæ: Filius Mariæ est æternus & *Explicatio sententiæ Lutheri.*

Assessione ad dextera Patris probatur Christi diuinitas.

creator: Et filius Mariæ est omnipotens. Sic idem Lutherus perpetuò à sessione ad dextram Patris argumentatur pro diuina in Christo natura, quòd merum hominem ad tantam euehi dignitatem impossibile sit. Vnde etiam historiam conceptionis enarrans, memorabilem hanc sententiam edidit: Regnum æternum huic personæ datur: quod est impossibile dari homini puro. Quia solius Dei est, esse Regem sine fine. *Hinc colligo, Si solius Dei est, possidere regnum æternum, adeo vt homini puro illud dari impossibile sit. Ergo non tantùm humana Christi natura datur, sed potiùs ipsi Christo datur, vt Deo incarnato, seu personæ misse.*

97. *Sciendum ergo, quoties vel sessionis ad dextram Dei, vel exaltationis Christi, tam in Scriptura, quàm in Patribus mentio fit: aliàs quidem de solius naturæ humanæ glorificatione dicta illa intelligẽda esse, aliàs verò de exaltatione totius personæ in regno & sacerdotio. Nam Christus ascendit ad cælos (vt rectè loquitur Augustana Confessio, articulo tertio) vt sedeat ad dextram Patris, & perpetuò regnet, & dominetur omnibus creaturis, sanctificet credentes in ipsum, misso in corda eorum Spiritu sancto, & sanctificatis det vitam æternam. Sed neq; glorificatio ipsius naturæ humanæ in sese, neq; exaltatio personæ Christi essentiales naturarum proprietates confundit, aut abolet, iuxta notissimum Augustini dictum:* Christus carni immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Secundum hanc formam non est putandus vbique diffusus. Cauendum est enim, ne ita diuinitatẽ astruamus homini, vt veritatem corporis auferamus. *Item:* Vbique credo Christum, per id, quod Deus est, & in loco aliquo cæli, per id, quod homo est, secundum veri corporis modum. *Obseruemus ergo Cyrilli regulam lib. 10. thesauri cap. 7.* Quæ de Christo dicuntur, sic accipienda sunt, vt nec, quæ Deitati conueniunt, humanitati ipsius attribuantur (*quod apertè faciunt Vbiquistæ*) nec quæ humanitati propria sunt, ad Deitatem ipsius detorqueantur (*quod & ipsum facit ab Vbiquistis, dum Diuinitati passionem tribuunt.*) *Idem:* Necesse est reddere Deo quæ Dei sunt: & humanitati, quæ ei debẽtur, ne id quod creatum est, ad diuinam deducentes essentiam, aut id quod est diuinæ naturæ, ad locum, qui creaturis congruit, deponentes, incidamus in aliquem errorem. *Hæc Cyrillus.*

98. *Nec impugnant vestram sententiam testimonia Patrum, quæ hoc in loco, sine iudicio, confusè in vnam quasi congeriem comportauit Antagonista. Sunt autem diuersi generis, id quod ex cuiusq; scriptoris Ecclesiastici scopo fa-*

sile

cilè apparebit, si totum contextum inspexerimus. Athanasius de Verbi incarnati glorificatione loquitur, quæ realem Idiomatum communicationem, & præsertim carnis Christi omnipræsentiam euertit potiùs, quàm vt eam stabiliat. Quod sic probo: Altißimi essentia ideo non exaltatur, quòd cùm omnia repleat, non habet, quò euehatur altiùs. Caro autem Altißimi exaltatur: Ergo non omnia replet, & per consequens non est, vbicunq; Deitas est. Si enim, vt Deitas vbique esset, esset immensa, atq; ita quò eueheretur ampliùs, non haberet. Explicat autem Athanasius sententiam suam alibi paulò clariùs, his verbis: Quomodo illud accepit, quod semper habuit, antequam acciperet? aut quomodo exaltabatur, qui priusquam exaltaretur, Altissimus erat? aut quomodo accepit, vt adoraretur, qui antequam hoc acciperet, semper adorabatur? Non est ænigma, sed mysterium diuinum. In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Postmodum autem in gratiam nostri, Deus caro factus est, & illud quod nunc dicimus: Exaltauit eum, non substantiam Verbi exaltatam significat: fuit enim & semper est æqualis Deo, sed ad humanitatem eius spectat. Neque ista priùs dicta fuêre, quàm tum, cùm iam Verbum caro esset factum, vt palàm fieret, illud humiliauit, & illud exaltauit, de homine dictum esse: Cuius enim est humilem esse, eius quoque fuerit exaltari, & si ob assumtionẽ carnis, hoc verbum [humiliauit] est scriptum, clarum manifestumque est, propter eandem carnem illud [exaltauit] vsurpatũ esse. Eius enim exaltationis indignus erat homo, ob humilitatem carnis suæ & mortis. Quoniam autẽ Verbum, quod erat imago Patris, & immortale, serui formam accepit, & propter nos, vt homo, sua carne mortem sustinuit, vt ita se ipsum pro nobis per mortem Patri offerret, ideo vt homo, propter nos, & pro nobis dicitur superexaltari: vt quemadmodum morte eius nos mortui sumus in Christo, ita in eodem Christo vicissim exaltaremur, & ex mortuis resurgentes, & in cælum ascendentes, in quod præcursor pro nobis IESVS intrauit, non in exẽplaria aut simulachra verorum cælorum, sed in ipsum cælum, vt se præsentem exhiberet pro nobis conspectui Dei. *Hæc ille. Damasceni dictum, quod extat lib. 3. cap. 7. non tantùm in alienam Disputator sententiam detorquere ausus fuit, cùm & ipsum de carnis glorificatione potiùs & gratia ἐνεργείας, quam de reali Idiomatum κοινωνίᾳ, qualem nunquam

It. Athan. apud Theodoretum dial. 1.

Orat. 2. contra Arianos pag. 149.

Vide Cyrillum lib. 2. de recta fide ad Reginas: & lib. 10. cap. 20. in Iohan.

Damasc.

ſomniauit Damaſcenus, loquatur: verùm etiam mutilauit, ne videlicet, cùm diuinitatem faciat ſuo modo patibilem, à Damaſceno refutari videretur, qui Deitatem Verbi ſimpliciter immunem paſsionum carnis aſſerit. Aſcribam ergo locum integrum, & quidem ipſius Damaſceni verbis: καὶ ἡ μὲ θεία φύσις τῶν οἰκείων αὐχημάτων (differunt autem idiomata, & αὐχήματα toto genere) τῇ σαρκὶ μεταδίδωσι μένουσα αὐτὴ ἀπαθὴς, καὶ τῶν τῆς σαρκὸς παθῶν ἀμέτοχος. Quid hoc eſt aliud, quàm quod ſuprà diximus, & perpetuò dicimus, iſtius hypoſtaticæ vnionis vi, naturam aſſumtam ab aſſumente perfici: non autem è contrario in aſſumentem ab aſſumta aliquid infirmitatis redundare, quod vulgò gratiam habitualem cum Scholaſticis appellamus. Imò & illud verum eſt, aſſumtam carnem à Deitate Verbi eò vſque eſſe proiectam, vt ſub Deitate ſit inferior, nec tamen veritatem carnis exuat. Deniq; vt aſſumtaturæ gloriosæ noſtræ redemtionis ſocia eſt: ita diuinæ naturæ αὐχήματα ſeu gloriosè dicta in eadem Verbi aſſumentis hypoſtaſi participat. Eadem eſt ſententia loci, qui extat lib. 3. cap. 15. cuius verba lectori pro ſua prudentia breuiter expendenda ſubiiciam. Eiuſdem ſunt (inquit Damaſcenus, de Saluatoris hypoſtaſi diſſerens) & ea, quæ diuinitatis, & ea, quæ humanitatis. Nam diuina ſigna, diuinitas operabatur, ſed non ſine carne, & contra humilia, ſed non ſine diuinitate. Patienti enim carni coniuncta erat diuinitas, impaſsibilis manens, & paſsiones perficiens ſalutares: & operanti Dei Verbi diuinitati coniuncta erat ſanctaanima, intelligens & videns quæ perficiebãtur. Igitur propriasoperationes diuinitas corpori transfundebat: at ipſa permanens paſsionum carnis immunis. Non enim quemadmodum per carnem diuinitas Verbi operabatur, hunc etiam in modum per diuinitatem eius, caro patiebatur: nam caro diuinitatis organum erat. Etſi igitur ex illa externa & ſublimi conceptione nihil inminutum fuit ex vtraque forma, ſed vnius perſonæ omni tempore, actiones vtriuſque formæ fuerunt, tamen ea quæ inſeparabiliter fiebant, nullo modo confundimus: ſed quid, cuius fuerit formæ, ex operum qualitate intelligimus. Agit igitur Chriſtus ſecundum vtramq; naturam, & agit vtraq; in ipſo natura, cum alterius communicatione: Verbo quidem operante ea, quæ ſunt Verbi, propter autoritatem & poteſtatem diuinitatis, quæ cùm ſunt præcipua & regia: corpore verò abſoluente, quæcunque ſunt corporis munia, ad voluntatem Verbi, quod ipſi conuenitur, cui

Nota bene.

Propria diuinitatis & humanitatis in vna eademque hypoſtaſi communicantur.

Caro diuinitatis organum.

Actiones vtriuſque in Chriſto forma.

& factum est proprium. Hæc ille. Quòd autem ex dicto libri eiusdem capitis 18, voluntatis Christi humanæ conatur elicere OMNIPOTENTIAM. Maiusculis enim literis hanc nobis vocem inculcandam proposuit. Id ergo si seriò facit, atque ita planè sentit, vt procul dubio sentit, aut duas in Christo voluntates coomnipotentes, vt sic loquar, constituat necesse habet, contra Symbolum: Vnus omnipotens. Aut simul cum vniformi potentia vniformem etiam in Christo voluntatem somniabit, qui error Monotheletarum iam pridem graui Ecclesiæ iudicio damnatus est. Cùm ergo horum nihil Damascenus asserere voluerit, qui fidei Orthodoxæ gnomas, tanquam paruas micas ex veterum instructissimis epulis colligere studuit, sequitur huius dicti, quod propter breuitatem est obscurius, nec caret suspicione mutilationis, commissæ fortasis incuria librariorum, aut vndecunque sanè irrepserit ex antecedentibus, & totius potissimùm operis, cui præsertim Orthodoxæ, vt dixi, fidei titulum præfigendum duxit, scopo commodam interpretationem petendam esse. Disserit autem per integrum ferè caput illud, de distincta vtriusque in Christo naturæ voluntate, atq; inter cetera piè admodũ explicat verba deprecantis calicem in horto: Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste. Verumtamen non mea fiat volũtas, sed tua. Tandem verò epilogi loco caput totũ cõcludit his verbis: Diuina eius volũtas sine principio erat, & omniũ efficax, consequentem habens virtutem [καὶ ἀπαθὴς] & impassibilis. Humana verò eius voluntas à tempore cœperat, & ipsa naturales & innoxias passiones sustinuit. Et naturaliter non omnipotens erat, vt autem Dei Verbum secũdum veritatem & naturam facta, omnipotens: (*sic enim habet vsitata versio*) *hoc est: Vt est essentialiter cum Deo Verbo in eandem vnita hypostasin: ita respectu non sui, inquã, sed assumentis Verbi, seu quatenus Verbi assumentis propria facta est, omnipotens dici potest,* κατ' ἄλλο *videlicet, seu per gratiam vnionis, non per gratiã habitualem, neq; per realem omnipotentiæ participationem, seu transfusionem, quæ voluntatis humanæ naturam & veritatem aboleret. Est enim immota sententia, quæ apud Magistrum sententiarum lib. 3. distin. 14. de humana Christi natura legitur:* Non est ei datum (*inquit*) posse omnia facere, quæ Deus facit, ne omnipotens, & per hoc Deus putaretur. *Vnde etiam Lutherus negat, naturam Christi humanam omnipotẽtem esse, cùm sibi ipsi in cruce opitulari non potuerit. Fortasse Disputator non considerat, Damascenum distinguere inter* τὸ φυσικὸν καὶ τὸ γνωμικὸν θέλημα. *Duæ enim in Christo naturales quidem sunt voluntates: Vt & actiones, & naturæ*

Damasceni sententia à Iacobo Andreæ depravata.

Videibi Renouenturam.

gemina: sed vnum est eiusdem θέλημα γνωμικὸν, seu ἓν θελητὸν, id est, vnum commune obiectum, & vnicus actionum finis: quia εἷς ὁ θέλων, hoc est, vnus volens est. Et si igitur voluntas humana alia est à diuina: tamen ὑποτάσσεται, id est, subiecta & copulata est voluntati diuinæ: nec est alia τῆς γνώμης ἐναντιότητι, ἀλλὰ τῆς φύσεως ἰδιότητι, id est, proprietate naturæ, non contrarietate sententia voluntas humana in Christo à diuina differt. Hinc Athanasius negat, duo ἡγεμονικὰ in Christo esse, sed ipse λόγος (inquit) ἡγεμονεύει τῶν. Hinc & actiones, & passiones omnes personæ tribuuntur. εἷς γὰρ ὁ ἐνεργῶν, id est, vnus est agens, quod cuiusq; naturæ proprium est. Cùm ergo vtraq; voluntas, tam diuina, quàm humana, illa per naturam, hæc per vnionem, vnius eiusdemq; sit omnipotentis personæ: hac quidem ratione etiam voluntatem Christi humanam Damascenus sua quadam phrasi omnipotentem dixit, vt τὸ ἀθετητὸν τοῦ ἀνθρωπίνου θελήματος tolleret, ad quod demonstrandum sibi verba Euangelista allegat: volens latere, non poterat: οὐκ ἠδυνάσθη. Sed potius quia ὁ λόγος quæcunq; vult, diuina omnipotentia perficit, & voluntas humana ὡς ὄργανον ἁρμοζόμενον πρὸς τὰς θείας ἐνεργείας, vt Athanasius loquitur, etsi τῆς φυσικῆς κινήσεως non est ἄμοιρος, tamen secundum diuinam naturæ αὐθεντίαν καὶ ἐξουσίαν, cui subiecta est, omnia vult, & operatur, effectum largiente, & disponente Verbo.

Quomodo voluntas humana Christi possit dici omnipotens.

Audiamus autem Damascenum ipsum, valdè perspicuè discernentem duas in Christo voluntates, cùm inquit libro eodem fidei Orthodoxæ, cap. 13: Perfectum Deum confitentes ipsum Dominum Iesum Christum, & perfectum hominẽ eundem dicimus: & omnia habere congruentia duabus illis naturis integris: duplicia duarum naturarum naturalia, duas voluntates naturales, diuinam & humanam: & operationes duas naturales, diuinam & humanam, & duas liberas voluntates naturales, diuinam & humanam, & sapientiam, & cognitionem, diuinam & humanam. Nam consubstantialis Deo & Patri existens, libera potestate vult & agit, tanquam Deus. Consubstãtialis autem & nobis existens, libera potestate vult, & agit tanquam qui idem etiam homo sit. Ipsius enim miracula, ipsius & passiones. *Hæc Damascenus, quæ Scholiastes repetens, Ipsius, inquit, Dei sunt miracula, vt actiones diuinæ: & ipsius eiusdem, vt hominis sunt passiones, tormentorum perpessiones, cruciatuumq; tolerationes, vt actiones humanæ. Item cap. 15 libri eiusdem inquit Damascenus:* Quemadmodum vnitas naturas cognoscimus, & se inuicem immeantes, & earum dis-

Idem Agatho Romanus in explicatione Concilij Chalcedonensis.

Omnia in Christo duplicia præter personam.

differentiam non negamus, sed & numeramus, & easdem inseparabiles agnoscimus: sic & voluntatum & actionum coniunctionem cognoscimus, & differentiam agnoscimus & numeramus, & diuisionem haudquaquam inducimus. Et quemadmodum caro deificata non est, & transmutationē suæ naturæ non est passa: hunc in modum & voluntas & actio, & deificatæ, & proprios nō egressæ terminos. Vnus enim est hoc & illud existens, id est, deitus & humanitus volens & agens. Duas igitur actiones in Christo astruere necessarium est, propter duplicē naturam. Nam quorum natura diuersa, illorum diuersa actio: & quorum diuersa actio, illorum & diuersa natura est. Et è diuerso: quorum natura est eadem, horum & actio est eadem: & quorum actio vna, horum quoque & substantia vna est, secundum diuinorum interpretes patres. *Hæc ille. Nihil autem prorsus hic, quod reali Idiomatum communicationi patrocinetur, audimus. Valeat ergo commentum illud, & relinquatur autoribus, vt se bellu suis somniis oblectent.*

Ab omnipotenti Voluntate & actione omnipotens natura approbatur.

Porro Gregorij Nysseni dictum eandem planè impugnare Chimeram, nisi Faber noue fidei olfeciſſet, non omisisset determinationem illam, qua seipsum Orthodoxus piè explicans, diserte addit, PER VNIONEM: *vt ostendat, non de gratia habituali, sed de gratia vnionis agi.*

Gregorius Nyssenus.

Restituamus ergo locum integrum, & lectoris iudicio subiiciamus. Declaratur, *inquit Nyssenus*, hac voce pietatis mysterium. Qui enim dicit, Dextera Dei exaltatus, patefacit inenarrabilis mysterij dispensationem, quòd dextera Dei, fabricatrix omnium rerum, quæ est ille DOMINVS, per quem omnia facta sunt, & sine quo nulla res eōdita subsistit, vnitum sibi hominem in propriam extulerit sublimitatem, PER VNIONEM. *Loquitur ergo de gratia vnionis, non de gratia habituali, sicut etiam dictū Basilij:* Humana Dei caro particeps facta est Deitatis, *scilicet, quatenus est vnita Verbo.* Non enim, *inquit*, facta est ipsa Deitas, *aut facta est in se realiter omnipotēs, immensa, omnisciа. Sic ergo per vnionem particeps facta est diuinarum proprietatum, sicut ipsius Deitatis facta est particeps, quod certè nemo per realem Deitatis in humanam communicationem seu participationem rectè intellexerit. Etsi autem in Nysseni dicto, homo pro humanitate, hoc est, concretum pro abstracto, positum est: tamen non sequitur, Vbiquitarios propterea non committere crimen nouitatis, quoties cum Schwenckfeldio differentiam horum vocabulorum pror-*

Theodor. dial. 2.

N. B.

Basilius.

sus tollunt. Sed potiùs illud vulgò tritum in mentem sibi revocare debebant: Duo cùm idem faciunt, non est idem. Fines enim discernũt actiones. Nisi fortè inter chirurgum & latronem nihil discernere libeat, quòd non minus ille, quàm hic corpus humanum secet. Eodem enim modo hæretici ambiguitat sermonis excusare suas corruptelas student, quòd similis interdum ἀκυρολογία huic, vel illi Orthodoxo, citra tamen novandi studium exciderit. Extant Dialogi Maxentij, quibus controversia Nestorij, quæ satis intricata & obscura fuit, summa perspicuitate explicari videtur. Ibi Dialogo 1 quæritur de discrimine inter hæc vocabula: Contendit Nestorius, id ipsum esse, dicere HOMINEM, sive humanam naturam: cùm homo non sit aliud, nisi humana natura. *Respondet Catholicus*: Nimirum hæc erroris vestri, & non alia causa est. Nam dum non valetis discernere, quid inter personam sit, & naturam, id ipsum intelligentes naturam esse, quod & personam, imò nullatenus credentes, naturã esse posse sine persona: vocabula personæ, naturarumque confunditis, & DVAS omnino PERSONAS, sicut duas naturas vnius filij Dei, sine dubio prædicatis. *Et addit*: Nonnulli Patres sancti non quidem ad personam, sicut vos, sed ad naturam potiùs respicientes, hominem assumtum à Deo dicere comprobantur: quia homo sicut persona, ita significat & naturam. *Hæc ille. Quòd autem hic à Maxentio asseritur, ignorantiam discriminis inter Essentiam, & personam, Nestorianis caussam erroris fuisse: id ipsum etiam Boëtius affirmat, & præterea in eundem lapidem Eutycham quoque contrarij erroris auctorem impegisse ostendit. Vnde Disputator æstimet, cuiusmodi dogmatis se patronum præbeat.*

99. *Ex his omnibus constat, nihil minùs, quàm realem Idiomatum communicationem, vel ex sacra Scriptura, vel ex testimoniis Patrum, extrui, aut probari posse. Sicut autem personalis vnio in eiusdem hypostasis identitate consistit, ita quæ propter personalem vnionem de Christo dicuntur, non de naturis in abstracto, sed de persona in concreto dicuntur. Sciendum est autem, multa de persona & Concreto dici, quamuis vnius naturæ, cui hæc verè competunt, respectu tantùm, vt cùm dicitur, Homo Christus est Deus ab æterno, creator cæli & terræ.*

Fraus Vbiquistarũ.

100. *Fraus igitur & dolus Vbiquitariorum diligenter observandus est, qui sub vocabulis concretis personæ, vel hominis, errorem suum tegunt, & de humana natura intelligunt, quicquid vel Scriptura sacra, vel Orthodoxa ve-*

tigiũ

tiquitas, siue de exaltatione Christi, tanquam capitis in sacerdotio, & regno, siue de gratia vnionis dici testatur: quæ verò de glorificatione naturæ assumtæ loquuntur, cum proprietatibus diuinæ essentiæ, quæ nulli creaturæ re ipsa, sine vtriusq; tam creatricis, quàm creatæ substantiæ deletione, & manifesta contradictionis implicatione communicari realiter possunt, tetrè confundunt.

101. Ad hoc autem delirium canonizandum, mira profectò audacia, vel potiùs impudentia, illustrem illam similitudinem Athanasii, sumtam à fabrica hominis, ex corpore & anima rationali conflata, præter omnino Symboli nativam sententiam, detorquent.

Quò spectet exemplũ de anima & corpore. Ex de Augustin. li. de Trin. & Synit. cap. 2.

102. Et primò quidem alio prorsus fine & cõsilio huius similitudinis in Symbolo mentio fit, quatenus videlicet corpus & anima rationalis vnum constituunt ὑφιστάμενον hominis completum, quod dissoluitur, facta animæ à corpore separatione. Vlteriùs enim, quàm ad explicandã vtcunq; personæ Christi, in qua duæ naturæ concurrunt, vnitatem, accommodatio illius exempli ad hoc mysterium à Patribus non extenditur. Deinde etiamsi paulò latiùs forsan amplificari applicatio posset: tamen illud nimis crassum est, & in eruditis physicorum scholis inauditum, adeoq; intolerabile, & ad duas Anticyras explodendũ, quòd ad obtinẽdam realem, quam fingit, Idiomatum communicationem, author thesium hoc in loco sine cerebro effutire non veretur, animam suas potentias, seu proprietates, earumq; actiones, corpori ita communicare, vt nihil omnino, donec in corpore est anima, sine corpore faciat, sed omnia, non tantùm quæ ad sensum & motum, sed ipsum etiam intellectum spectant, cum corpore, & per corpus exequatur.

Pudendus Iacobi Andreæ de anima error.

103. Cæterùm quòd ad ἐνδιάλειψιν, quæ Aristoteli ἐντελέχεια est, confugit, qua philosophiæ studiosos thesi 69 miserè torqueri dixit, quid facit aliud, quàm vt disputationem de mysterio hyperphysico, vt loquitur, institutam, ad speculationes physicas detrahat & contorqueat, & quasi ocularem, aut sensibilem rerum sensibus externis planè incomprehensibilium demonstrationẽ somniet, adeoq; in miseram studiosis carnificinam conuertat, quod per se planum est, & pauidis conscientiis gratissimam dulcissimarum consolationum lucem accendit? Sin omnino in ea est sententia, vt communicationem suam realem Idiomatum in Christo cum anima comparet, quatenus corporis physici organici, vitam potentia habentis ἐνδιάλειψιν dicitur, manifestè iam in Apollinaris se castra recepisse ostendit, qui τὸν λόγον vice animæ in Christo fungi, & actum, seu ἐνδιάλειψιν ac formam humanitatis Christi, vt anima corporis, esse finxit: vnde etiam ψυχοφθόρου cognomen reportauit, quod cuidam inter hodiernæ

Error Apollinaris.

secta primarios, non abs re, quasi iam dudum fato, nos ab istis doctorculis, sanis non laua fuisset, absterrente, factum esse gentile putatur.

104. Cùm autem in similibus, quæ docendi caussa proferuntur, multa sint dissimilia: (nam aliàs similia non essent similia, sed essent illud ipsum, ad quod per comparationem explicandum adducuntur) nec alio sensu, aut ratione, similitudo ista ab hominis fabrica desumta, cum duarum in Christo naturarum vnione comparetur ab Orthodoxis, quàm quatenus vtrinq; hypostaticè constituitur persona: ne igitur vanis Vbiquitariorum clamoribus turbemur, quibus ad probandum suum delirium de reali Idiomatum communicatione, quasi in infinitum similitudinis illius accommodationem extendunt: operæpretium fuerit, & ab institutæ refutatione Doctoris nouæ fidei minimè alienum, si breuiter lectori, quasi in tabella contemplandum subiiciamus, quàm magna sit, solius hypostaseos constitutione excepta, in hac ipsa similitudine dissimilitudo & disparitas, quæ vtcunq; ex sequentibus capitibus patebit.

Rustinus in expositione fidei: Hominis exemplum partim recipiendũ, partim fugiendum est p. 201.

1 discrimẽ.

Primò: Natura Verbi non est sic actus & ἐντελέχεια, ac forma humanitatis Christi, vt anima corporis. Etenim diuinitas, neque est actus essentialis humanitatis, neq; pars aliqua huius actus: neq; vnum facta sunt per essentiam diuinitas & humanitas in Christo, sicut ex anima & corpore vna fit essentia seu natura in homine.

Sunt enim diuina & humana natura in Christo sic integræ essentiæ perfectæ, vt nulla ratione vnam essentiam tertiam absoluere possint. Anima autem & corpus hominis nequaquam sunt essentiæ integræ & perfectæ, sed minus essentiæ partes. Vnde non est necesse, vt quomodo anima per corpus agit ita etiam per humanitatem operetur omnia diuinitas. Dum intelligit & vniquippiam Petri anima, vnica est hæc operatio, quoniam videlicet vnica est ipsa natura. Quòd si eadem est ratio diuinæ naturæ per assumtam humanam agentis, quomodo Eutychianorum & Monotheletarum dogma effugiemus?

2 discrimẽ.

105. Deinde iunguntur in homine naturæ duæ finitæ, vt altera extra aliam, quàm diu vnitæ sunt, nec esse, nec agere possit. In Christi autem persona vnita est infinitæ Deitatis Verbi natura, finitæ humanitatis natura. Illa autem non sic intra hanc concluditur, vt anima intra corpus. Quare multa operatur diuina Christi natura in illis locis, vbi humanitas eius re ipsa & essentialiter non adest. At anima nostra, quàm diu manet corpori vnita, nihil agit vbi loco, à quo corpus eius actu absit.

Athanas. apud Theodoretum. Augustin. Epistol. 3.

3 discrimẽ.

106. Tertiò: Anima in suis propriis & intrinsecis actionibus, cuiusmodi sunt intelligere & velle, sic vtitur corporeis organis, vt ipsa quidem agat, illa vero tamen

sanctùm patiantur, ac proinde corpus dicatur harum actionum respectu, passi-
um duntaxat anima instrumentum, licet proprium sit & coniunctum. Cum
autem λόγος totam humanam naturam assumserit, quæ & ipsa proprium &
intrinsecum habet sui motus principium: consequitur, humanam hanc natu-
ram assumtam sic à Verbo moueri, vt & ipsa seipsa intrinseco suo principio mo-
ueat, ac proinde sic agatur, vt etiam agat. 4 discrimẽ.

107. Quartò: Anima in eum finem condita est, vt in corpore humano sit, ha-
bitet, viuat, adeo vt sit alterum sine altero quodammodo imperfectum: id quod
de diuina natura vel sentire, vel dicere per absurdum esset. Λόγος enim etiam
ante incarnationem æquè perfectus fuit, atque post assumtam humanitatem.
Et Verbum quidem humanam naturam, quam assumsit, ante omnem aeterni-
tatem anteceßit: anima verò tempore prior, quàm corpus non est. Persona Christi est aeterna, naturaliter assumta est temporalis. 5 discrimẽ.

108. Quintò: Christi Deitas nũquam se ab humana natura seiunxit, neq;
seiunget vnquam, ex quo semel sibi eam personali vnione per incarnationem
coniunxit & adunauit, sicut piè dicitur: λόγος quod semel assumsit, nũ-
quam deserit. Animas verò à corporibus quotidie substantialiter separari
videmus. Et quanquam anima vna cum corpore non moriatur: cum eo ta-
men simul dolet, & afficitur: quod de diuinitate Verbi, citra blasphemiam, ab
Vbiquitariis affirmari non potest.

109. Sextò: Anima rationalis se ipsam intelligit, nonnunquam suam ipsius 6 discrimẽ.
essentiam purissimam, & notitias, in hac naturaliter lucentes intuens, non
per corpus, aut corporeum instrumentum vllum, sed per se ipsam, & in se ipsa.
Alia quoque multa intelligit, vt corpore pro instrumento non vtatur. Eget
quidem φαντασία species offerente, sicut ferè oculus διαφάνεια species colorum
in se recipiente: sed per eam tamen vt instrumentum, tam non intelligit o-
mnia & semper, quàm non est diaphanum colorum speciebus depictum, poten-
tiæ cernendi instrumentum. Sicut igitur sine diaphano illustrato non cernit
oculus, ita etiam intelligit mens nostra, non sine corpore, scilicet τὰ ἐκτὸς: at
per ipsum tamen veluti per instrumentum non semper & omnia intelligit,
etiam ex ipsius Aristotelis sententia: nec vniuersaliter verum est, quod Dispu-
tator obiicit: Nihil esse in intellectu, quod non priùs fuerit in sensu: nisi omnes
simul notitias nobiscum nascentes, principiorum tam speculabilium, vt vocãt,
quàm practicorum abnegare libeat, quas ideo Graci κοινὰς ἐννοίας, item προ-
λήψεις nominant: Cicero definit notiones consignatas in animis: quòd non
acquirantur experientia, vel vsu, sed naturali luce mentibus insita sint, & no-
biscum nascantur.

110. Cùm igitur tanta sit in exemplo illo dissimilitudo, prudenter considerandum est, quatenus congruat, & quomodo sit accommodandum. Etiamsi enim hoc ipsum, quod vnicè, & tanta quidem cum vehementia captant, largiremur: omnia nimirum animam hominis per corpus, & sine ipso nihil agere, eodemq; modo Verbum per naturam assumtam omnia, & sine ea nihil operari: tamen ex illa ipsa ἐνεργείᾳ non minùs sequeretur vnio hypostatica, quàm si ex eo, quòd Fabrum omnia per malleum & forcipem, atque sine reliquis instrumentis nihil fabricare in sua officina constet, vnionem instrumentorum & artificis personalem inferre conaremur. Quid? quòd omnia efficit Pater per Filium, & nihil sine ipso factum est à Patre, neq; tamen propterea Pater & Filius dici possunt hypostaticè vniti.

Cor pro homine, per figuram.

111. Vtinam ergo daret aliquando tibi Dominus pro corde ferreo (quod nisi figuratè de homine dici nunquam poterit) cor intelligens, Spermologe, Doctrum nouæ fidei creator: vtinam vel in hac ipsa phrasi vrgenda, qua conuersis ad Dominum promittitur cor sapiens & intelligens, stultam tuam omittares Sophisticam: vtinam in explicandis Scripturæ testimoniis, quid secundum quid, ac propter quid dicatur, expenderes, hoc est, candorem cum pietate, & pietatem cum candore adhiberes. Vtinam agnosceres, quòd nondum dederit tibi Dominus cor intelligens, & oculos videntes, & aures, quæ possint audire, vsq; in præsentem diem: vtinam, inquam, hanc oecæcatæmentis tuæ (mentem enim Scripturæ cor appellare solet, secũdum Epiphanium) caussam esse agnoscteres, quia cum Salomone nondum precatus es, nec fortè precandi otium habes: Da seruo tuo, Domine, cor docile. Aut cum Dauide: Cor mundum crea in me, Deus. Ora ergo, & Spiritui sancto cæue obicem oppones. Sic demum phrasi illa Scripturæ rectè intelliges, totius hominis interioris conuersionem, seu renouationem exprimi, simulq; lucem mentis, obsequium voluntatis, affectuum puritatem, consiliorum rectitudinem, nec non omnium virium in hac vita inchoatam, & congruentem cum Lege Dei conformitatem describi. Quam sacræ linguæ Synecdochen, quæ mentione illuminati cordis, tãquam affectuum sedis, & fontis vitæ, totam hominis renascentis nouitatem complectitur, cùm tu, qui omnia secundum literam tantùm carnaliter intelligis, impudenter reiicias, & sacra profanis misceas, hoc est, secundum physicæ doctrinæ regulas, quas nunquã magnifecisti, crasso filo, & pingui, quod aiunt, Minerua examines, quid, quaso, proficis, quàm vt Augustino iudice, maximi gantis erroris maneipium te esse prodas? Vt enim nudam literam sequi, nec carnaliter tantùm, quæ dicuntur, intelligere (more scilicet Vbiquistarum, qui

Deut. 29.

Epiphanius in Ancorato pag. 573. Mentẽ Scripturæ cor appellare solet.

1 Reg. 3. Psal. 51.

Augustin. de doctrina Christiana, lib. 3. cap. 2.

quoties Scriptura nominat cor intelligens, simpliciter ipsi cordis massæ carneæ intellectum adscribunt) & signa pro rebus, quæ his significantur accipere, seruilis infirmitatis est: ita inutiliter signa interpretari, malè vagantis erroris est.

Vbiquistarũ inscitia, qui nesciũt quid cor significet in Scriptura. Damascenus & Vigilius Martyr.

142. Cùm autem contraria in idem subiectum, respectu eiusdem, cadere nõ possint, & in Christi naturis realis sit Idiomatum distinctio. Ergo in iisdem Christi naturis realis Idiomatum communicatio locum habere non potest. Realiter enim distinctum, & realiter simul commune esse, sine contradictionis implicatione de eodem subiecto dici nequeunt.

Rursus siquidem contrariorum eadem ratio est, atque in Christo realis Idiomatum distinctio nihil aliud est, quàm distinctio physica, & ὑσιώδης (ideo enim naturæ, earumq; proprietates in Christo re ipsa inter se differre dicuntur, quia physicè & essentialiter differunt, hoc est, quia non constituunt τὸ ὁμούσιον, sed τὸ ἑτερούσιον.) Ergo etiam communicatio Idiomatum realis nihil aliud est, quàm physica & essentialis, quæ sine naturarum confusione, quod Antagonista ipse fatetur, fieri non potest. Quid? quòd realis Idiomatum communicatio, præterquam quòd naturarum confusionem infert, necessariò etiã personam diuellit, id quod ex sacrosancto Trinitatis mysterio probari posse, iam antè ostendimus: in quo realis distinctio, & realis cõmunicatio locũ simul non haberent, nisi diuerso respectu realis quidem communicatio τὸ ὁμούσιον, realis autem distinctio τὸ τρισυπόστατον exprimeret. Idiomata enim essentialia in hoc solo exemplo communicabilia sunt: quia hi tres, qui nihilominus reipsa distinguũtur inter se καθ' ὑπόστασιν, vnum eternum constituunt ὁμούσιον κατ' ἐμμονὴν. Aut igitur omnem in Christo tollat Antagonista naturarum distinctionẽ, atque ita deleto totius redemtionis nostræ mysterio, in Eutychianorum castra manifestè se transiisse testabitur. Aut si re ipsa naturas inter se differre fateatur, desinat idiomata naturarum communicabilia fingere, quæ non possunt non, vt in Trinitate, homousion natura, & personæ diuulsionem, hoc est, Nestorianum simul Eutychismum, & Eutychianum Nestorianismum in Ecclesiam importare. Etsi igitur vnionem ipsam in Christo, quatenus duæ naturæ inter se diuersissimæ vnum constituunt ὑφισάμενον, verè esse ὑπερφυσικὴν agnoscimus, eamq; cum Theodoro Rhœtensi τὸν ὄντως ὑπερφυᾶ, καὶ θαυμασίαν ἕνωσιν debita cum reuerentia nominamus, & veneramur: tamen ipsas propterea naturas concurrentes, earumq; proprietates ὑπερφυσικῶς considerandas, aut æstimandas esse, adeo non sequitur, vt respectu concurrentium, καὶ ὑσιωδῶς ἡνωμένων, δύο φύσεων, etiam vnio illa substãtialis, seu essentialis ne-

Vnio personalis est super omnem naturam, sine naturarum immutatione.

Damasc. dici iam olim consueuerit. Sic enim Damascenus inquit lib. 3. fidei Orthodoxe, cap. 3. Substantialem dicimus vnionem [ὑποστατικὴν ἕνωσιν] hoc est

Vnio cur dicatur substantialis & essentialis. veram, non secundum phantasiam, apparentiamque fallacem. Substantialem, inquam, non quòd ex duabus naturis vna perficiatur natura, sed quòd vnitæ sint ad inuicem secundum veritatem, in vnam compositam Filij Dei hypostasin. Et earum substantialem differẽtiam astruimus saluari. Nam creatum mansit creatum, & increatum increatum, & mortale manebat mortale, & immortale immortale, & circumscriptum circumscriptum, & incircumscriptum incircumscriptum, visibile visibile, & inuisibile inuisibile. Hoc autem miraculis claret, illud iniuriis subiacet. *Hæc ille. Ludit autem Disputator suo more vocum ambiguitate, & cùm veteres aliquando nominarint κοινωνίαν, perpetuò ista vocabula confundit. Cumq; suo respectu vnio dicatur ὑπερφυσικὴ, suo etiam respectu physica, seu essentialis, illud vrget, hoc reticet. Siquidem ergo nihil distinguit, Sophistam potiùs, quàm Ecclesiæ Doctorem præstat: vt hyperbolicas istas exclamationes in suum ipsius delirium retorquere iure posſimus. Quæ enim audacia & temeritas, ne dicam impietas est, sine omni Scripturarum autoritate, & cum hac congruẽtibus Patrum testimoniis: imò contra non tantùm Orthodoxam antiquitatem, verùm etiam Prophetarum, Apostolorũ, & ipsius Christi apertissima dicta, realem Idiomatum communicationem, quæ nulli nisi sentientium in mentem vnquam venit (sin hoc neget, proferat vllum idoneum testem, & vel vnicum Lutheri dictum proferat, quo Idiomatum communicationem realem appellauerit) inter articulos fidei referre, & per vim Ecclesiæ obtrudere? aut physicam Idiomatum κοινωνίαν cum Orthodoxis negare, rationem, qua idem docet, contra fidem Orthodoxam astruere? Denique humanæ Christi naturæ realem, quæ tamen nec per se, nec per accidens inhæreat, omnipotentiam, omnipræsentiam, omniscientiam: ipsi verò Deitati τὸ παθητὸν tribuere? Vbi enim hic Apostolus, qui hoc dixerit? vbi Propheta, qui hoc scripserit? vbi Orthodoxus, qui hoc docuerit? vbi martyr, qui suo sanguine hoc dictum fidei obsignauerit? num priuata authoritate ex proprio cerebro nouum euangelium fidei condere licet? num dicere, nisi idem, quod dicis, probes, sufficit? Quidnam est dementare studiosam iuuentutem, si hoc non est?*

Blasphema Patrũ Bergensium, de realis cõmunicatione in humanã naturã, do Arriana

113. *Manifesta igitur blasphemia est, quoties humana natura, à λόγῳ vnionem personalem assumtæ, quatuor illa, Deitatem ipsam, Verbi hypostaticam subsistentiam & λόγου, & actiones Deitatis proprias, realiter communi-*

pan

Patres Bergenſes aſſerunt. Id verò facilius deprehendetur, ſi pompam verborum, quam à theſi 112, ad 154 propoſitionem vſque, quaſi concionabũdus, non abſque ſuperciliosa, neſcio cuius religioſa ſanctimoniæ, hypocriſi Diſputator conſumit, in formam redigamus Syllogiſmi, & perſpicuam ſolutionem ex re ipſa petitam, opponamus. Sic autem Diſputator iſte, ſuo quidem iudicio ſatis cautè, re ipſa non parum verſutè & callidè, ineptè tamen argumentatur ab indirecto, ſeu ex loco abſurdorum: populārem nimirum applauſum captans, vt cõtradicentibus apud homines imperitos & ſuſpicaces inuidiam conciliet.

Argumentum Iacobi Andreæ.

Si carni aſſumtæ, inquit, non realiter communicata eſt ipſa Deitatis eſſentia, non rectè dici poterit, Hic homo eſt Deus. Si perſonam realiter eidem carni neges communicatam, negabis Filium Mariæ eſſe Filium Dei. Si diuinæ Maieſtatis realem communicationem negaueris, tolles articulum de exaltatione & ſeſſione Filij hominis ad dextrã Dei. Sin actiones Dei proprias realiter humanitati cõmunicatas inficiaberis, ſimul abnegabis, carnem Chriſti viuificã.

Sed nulla harum propoſitionum ſine grandi ſacrilegio & blaſphemia negari poteſt.

Ergo carni aſſumtæ realiter communicata ſunt ἀ λόγῳ per vnionem perſonalem iſta quatuor, Deitas ipſa, Verbi hypoſtaſis, maieſtas τοῦ λόγου, & actiones Dei propriæ.

Reſponſio.

Hoc eſt ſpecioſum illud argumẽtum, quod nudiuſtertius ex officina Vulcani prodiit. Sed reſpondemus primò per diſtinctionem. Malitioſa enim ſophiſtica eſt, ludens ambiguitate vocis κοινωνίας, quæ veteribus aliquando idem erat, quod ἕνωσις. In qua ſignificatione carni Chriſti, deitatem, maieſtatem, proprietates, & actiones τοῦ λόγου hypoſtaticè re ipſa communicatas, hoc eſt, vnitas eſſe, tantum abeſt, vt negemus, vt etiam κοινωνίαν, id eſt, ἕνωσιν illam in vnitate perſonæ τοῦ λόγου non vereamur cum veteribus Orthodoxis nominare ὑποστάσεως, ne videlicet Martionitarum δόκησιν approbare videamur, cum quibus Vbiquitarij noſtri eo ipſo colludunt, quòd in hoc tremendo myſterio, vel nihil, vel frigidè admodum diſtinguant inter κοινωνίαν, καὶ τὴν μετοχὴν, qua ſignificatione vocabulum communionis videtur poni in Symbolo, cùm Eccleſiam definimus ἁγίων κοινωνίαν, quòd omnia regni cæleſtis bona, quaſi hæreditario iure in Chriſto ſortiti, fide poſſideamus inter nos communia. Neq; verò in hac ſignificatione, vt ſic loquar, conſortij, ſeu participationis, aut ſocietatis, idem illud vocabulum κοινωνίας, quando vſitatam in Eccleſia doctrinam de communicatione Idiomatum Neſtorio & Eutycheti opponimus, accipi poteſt, cùm proprietatum natura talem quaſi diſtributionem ſeu participationẽ minimè

Qualis communicatio realis cõcedatur.

admittat, per quam etiam illæ ipsæ hæreses confirmarentur magis, quàm refutarentur. Quin potiùs peculiarem hoc in loco, & à prioribus planè distinctum vocabuli huius vsum esse, res ipsa testatur, vt nimirum per κοινωνίαν ἰδιωμάτων intelligamus τρόπον λόγου, seu formam loquendi, qua quod vnius naturæ proprium est, personæ, etiam à diuersa natura denominatæ, tribuitur, ad testificandum quòd in hoc subiecto, cui tribuuntur contraria idiomata, distinctæ naturæ, vnione hypostatica, verè atque essentialiter copulatæ compositæ. Deinde contrarium verum esse dicimus, hoc est, illa ipsa paradoxa in autorem retorquemus, & argumentum ab indirecto, directè contra ipsum realis Idiomatum κοινωνίας delirum assertorem inuertimus. Si enim carni Christi realiter per participationem competit ipsa Deitas, aut in Christo, vi naturarum differentia, constituetur ὁμοουσία, quæ erit totius mysterij huius deletio, aut duplex fingetur Deitas, participans & participata, seu communicans & communicata, contra Symbolum: Credo in vnum Deum: Item: Patris, Filij, & Spiritus sancti vna est Deitas. Atque sic iam olim publicis editis scriptis Pantachus ille, cum suo patrono, cuius testamentum testamento ipsius Filij Dei præfert, apertè docuit, quando contendit, Diuinitatem hominis Christi non esse illam ὁμοούσιον, & æternam cum Patris & sancti Spiritus essentia communem, sed communicatam, vt loquitur, ἀδιαφόρως secunda hypostasi. Item: Nunquam diximus, nũquam scripsimus, nunquam credidimus, maiestatem communicatam homini (per quam videlicet est & dicitur Deus) esse idioma Dei, id est, ὁμοούσιον subsistentiæ Verbi, neque naturale, sed gratuitum & donatum. Quibus verbis simul duplicem constituit in Christo Deitatem, essentialem, & communicatam: nec obscurè diuellit personam hominis Christi, accipiens scilicet diuinitatem illam, quam somniat communicatam, à communicante secunda Trinitatis hypostasi: quorum iterum hoc quidem Nestorianam, illud verò, quasi ab Orco blasphemiam Arianam in agrum Domini reuocat.

Damasce. Communicatio Idiomatũ est tropus mutuæ ipsorum attributionis. Inuersio argumenti. 1 contra cõmunicatio nẽ deitatis. Iac. Andr. contra Ingolst. pag. 25 & 40. 2 contra cõmunicatio nẽ personæ.

Rursus, si carni assumtæ realiter communicata est ipsa Verbi ὑπόστασις, sequetur ex definitione personæ id, quod dicitur subsistẽs incommunicabile: cum Filij Dei proprietas characteristica sit æterna, illa ex Patris substantia generatio, per realem personæ communicationem, hæc ipsa interior Verbi proprietas characteristica, constituens Filij Dei hypostasin, eamq́, non tantùm à persona Patris, & Spiritus sancti, verùm etiam à rebus creatis omnibus ratione finaliter incommunicabili distinguens, transferetur in carnem, vnde necessariò

quam-

quaternio inferetur pro Trinitate, & duo coaterni Filij constituẽtur, quæ blasphemia nullas non quorumlibet etiam perditißimorũ hæreticorum blasphemias & diras voces superabit. Quòd si verò hypostasin Dei Verbi sic carni suæ communicatam volet Disputator, quia videlicet vna & communis est ambarum naturarum, in qua per vnionem concurrunt, hypostasis, nihil hoc ad asserendam illam realem communicationem pertinere poterit. *Vide suprà thesi 18 & 45.*

Porrò si carni assumtæ maiestatem quoque, quæ τοῦ λόγου, vt autor thesium loquitur, propria est, realiter communicatam fingamus, nec tamẽ de maiestate officij, quæ vt sola personæ Mediatricis propria est, ita naturarum distinctionem non tollit: sed de maiestate omnipotentiæ, omniscientiæ, omnipræsentiæ, hoc est, Idiomatum loquamur: præter exæquationem naturarum (quæ à confusione nihil differt, & abalienationem gloriæ Dei infert, contra Propheticum illud oraculum: Gloriam meam alteri non dabo) tolletur etiam Symboli axioma, quòd maiestas omnipotentiæ, omniscientiæ, immensitatis, & reliquorum Deitatis Idiomatum sit vna & eadem, æqualis, ac coæterna, ideoq; solius Verbi minimè propria, sed potiùs communis Patri, Filio, & Spiritui sancto. Sicut ergo ipsa Deitatis essentia nulli creaturæ reali participatione communicabilis est, ita nec maiestatis illius, quæ ab essentia Dei nec distingui, nec separari potest, fingenda est realis aliqua facta carni assumtæ communicatio: cum eadem mysterium simul Trinitatis, & reparatæ salutis nostræ œconomiam funditùs euertat. 3 *contra cõmunicationem maiestatis Filij Dei propriæ.*

Denique si actionum, quæ sunt diuinitatis propriæ, realem admittamus, respectu carnis assumtæ, κοινωνίαν: sequetur, vnionem frustrà factam esse, hoc est, tolletur præcipua caussa, cur Meßiam Deum simul, & hominem esse congruebat, atque eo ipso naturarum confusio manifestè stabilietur, quòd eadem operatio, eandem δύναμιν, atq; eadem operandi vis, eandem naturam inferat, iuxta Catholicum Ecclesiæ axioma, Quorum operatio eadem est, eadem est natura: quo vsi sunt Orthodoxi in confutãdis non tantùm Arianis, qui τὸν λόγον cum æterno Patre ὁμοούσιον negabant, verùm etiam Eutychianis, & horum successoribus Monotheletis, qui τὸ ἐνεργούσιον naturarum in Christo tollebant. Et quas tandem actiones diuinitatis proprias esse, aut manere dicemus, reali earundem cõmunicatione in carne approbata? Quid? quòd viuificatio nihil aliud est, quàm noua vitæ creatio, vt fieri nequeat, quin carnem simul sui ipsius, & aliarum rerum omnium creatricem & sustentatricem constituamus, si eam sine omni determinatione viuificatricem simpliciter esse contenderimus: quam tamen nequaquam propterea viuificam esse 4 *contra cõmunicationẽ actionũ.*

ἀπλῶς negamus, sed viuificare asserimus, ratione non quidem substantiæ, verùm subsistentiæ, hoc est, non quatenus caro est sed quatenus Verbi vitæ viuificatricis & conseruatricis omnium, caro propria facta, & pro mundi vita tradita est. Ioannis 6, Caro enim vitæ facta, vnigeniti caro, inquit Cyrillus, ad virtutem vitæ traducta est. Id quod anathematismo XI contra Nestorium sic explicat, quòd caro Domini sit viuificatrix, vt propria ipsius Verbi Dei Patris: hoc est, non propter dignitatem aliquam extrinsecus acquisitam, aut propter arcanam quandam vim, reali diuinorum Idiomatum participatione sibi communicatam, sed potiùs, quia facta sit propria Verbi omnia viuificare valentis. Quod si quis vel inficietur, vel in alienam sententiam detorqueat, siue cum Eutyche naturas confundens, siue cum Nestorio personam diuellens, eidem anathema Cyrillus denuntiat. Hactenus ergo speciosissimo argumento laruam detraximus, & sufficiētem, vt opinor, refutationem opposuimus, quam prudens lector ex verbo Dei piè diiudicet. Reliquum nunc, vt illius strophas examinare pergamus: cuius operæ molestias vt verbosæ Disputatoris perplexitas, & ordinis neglecti confusio cumulat: ita veritatis credæ, & à sophistica vindicandæ studio deuorandas arbitror, modò lector se æquum præbeat, nec eadem de iisdem inculcanti succenseat, cùm Antagonistam in recta via incedentem, sed per tot ambages quasi latebras quærentem, possit aliter pro ratione institui nequeamus.

Cyrill. in Ioannē lib. 10. cap. 13.

Vide librū Christiani Hessiādri, in explicatione Cyrilli & Synodum Ephesinam, ex Orthodoxo consensu.

Ceterùm quid aliud hoc primo suo de communicata Deitate argumento etsi concedatur, efficiet hic Disputator, nisi quòd homo Christus per hanc communicationem non sit humanitatis suæ ratione ac respectu Deus per gratiam, quod ipsi vltrò concedimus. Verbum enim Deus est, non caro assumpta, vt Hieronymus ait. Et Vigilius Martyr: Caro propter Verbum Deus est, sicut Verbum propter carnem est homo. Et Athanasius: Quo modo Deus erit natura, qui alicuius respectu sit Deus. Nos verò Christum non dicimus esse Deum, ob illam cum homine coniunctionem, sed Deum propter naturam, quam ex Patre habet. Quod autem magis indignum esse potest tali Theologo & Disputatore, qualis videri Antagonista haberi vult, qui ne in hunc vsque diem, hanc in Ecclesia tatissimam propositionem, qua dicitur: Homo Christus est Deus, recte, sinistre intelligit. Fingit. n. & præsupponit istis suis thesibus, & aliis ptis suis passim, hoc non ipsius hypostasis & personæ, quæ homo est, sed humanæ naturæ, qua homo est, respectu, & quidem non propter æternam Verbi per communicationis gratiam participatam Deitatem, sic dici & intelli-

Dial. 5.

De colloq. Maulbrunensi & cōtra Bezā.

portere. Hinc est quod infrà thesi 146 quærit hic Orthodoxæ fidei falsator: Quomodo verè dici possit, Homo est Deus, si diuinitas humanæ naturæ realiter non sit communicata? Erit igitur hoc modo Christus homo, non Deus ab æterno, & per naturam (sic enim humanitati ipsius diuinitas non est communicata) sed ex tempore, per participationis gratiam, quod in Arrianis, qui idem de Verbo, Dei Filio docebant, multis in locis grauiter refutat Cyrillus, lib. 1. cap. 16. & li. 2. cap. 3, & 141. & lib. 4, cap. 18 in Ioan. & lib. 4 Thesauri, cap. 1. & lib. 12. cap. 15. *Quæstio de gnatis fusibus & Cirgis.*

Ex hac Disputatoris huius mataeologia exstitit etiam ille blasphemus, de adoratione carnis Christi, non per hypostasin, qua vnus cum Verbo Deus, & Filius est, vt Orthodoxa sentit Ecclesia, sed per se, & κατὰ ἑαυτὸν, propter communicatam in ipsa Deitatem, Vbiquitariorum error. Sic enim Christum, non tantùm secundum diuinitatem, qua natura Deus est, sed etiam secundum humanitatem, qua per communicatam in tempore Deitatis plenitudinem Deus sit per gratiam, atq; sic duplici, diuersaq; ratione, sicut Deum, ita quoq; adorandum esse docent. Non dissimiliter olim Arriani λόγον, quem creaturam esse dicebant, adorandum tamen esse fatebantur, propter communicatæ Deitatis gratiã: vnde colligebant, ab adorationis cultu non necessario pro Orthodoxis concludi & probari, λόγον non esse creaturam, sed naturaliter, & ab æterno Deum, siquidem & illi carnem Christi adorabilem esse fatereꝫtur, quam tamen creaturam non negarent. Quibus Augustinus in Sermone 58 respondet: Carnem Christi, non vt putabãt Arriani, per se, tanquam creaturam, sed propterea cum Verbo adorari, quòd à Deitate suscepta, & Deitati vnita, non alius à Verbo, sed idem Deus & homo sit, hoc est, vt Damascenus hoc explicat: Adoratur in Verbi Dei hypostasi, quæ & ipsi hypostasis facta est, & per quam ὁμόθεον καὶ θεὸς est caro, non propter seipsam, sed propter cõiunctum ipsi secundum hypostasin Verbum. Hîc verò si Augustinus carnem Christi, propter communicatam in ipso Deitatem & omnipotentiam adorandam esse sensisset, an non Arianos in sua sententia cõfirmasset? nempe adorationis cultum posse etiam tribui creaturæ, per communicatam Deitatis gratiam & dignitatem deificatæ: Non igitur λόγον necessariò Deum esse natura, & Patri ὁμοούσιον. Augustinus autem hanc Arrianorum à carne Christi obiectam instantiam refutans, non alia ratione carnem, quàm ipsum Verbum, vt vnum in persona cum ea Deum, & Filium adorari docet, idq; Regis purpuræ, atq; diadematis, in quibus, & cum quibus Rex honoratur, exemplo declarat. Atq; hæc est vnica illa adoratio, qua, testante Cyrillo, Deum Im-

De adoratione carnis Christi.

Brentius lib. Recog. fol. 273. & Iac. Andr. contra Ingolst. fol. 25.

Damasc. lib. 3. cap. 8. & 17. Et li. 4. cap. 3. & orat. 1. de imaginibus.

Argumentũ Arrianorum.

In Apolog. anath. 8. & in epist. Synodica.

nuelem, hoc est, Verbum incarnatum, vt pote vnus existens Filius, non alsque sua carne, sed vnà cum illa potiùs adorandum esse, contra Nestorium præcipit & definit Synodus Ephesina.

Vera adoranda carnis Christi ratio.

Proinde non alia peculiaris quædam adorationis causa in ipsa carne, quàm quòd hac Filius Dei per incarnationem indutus, non alius, sed idem cum sua carne est, constituenda erit. Sicut enim non propter aliam causam, Filius Dei, Immanuel noster, ex virgine natus esse dicitur, nisi quòd per diuinæ naturæ hypostasin Filius Dei est, qui, vt Cyrillus loquitur, carnalem ex virgine natiuitatem sustinuit: ita quoq; non propter aliam causam, vt Deus, qui ex Maria virgine natus est, adoratur: quia videlicet, vt Athanasius ait, Qui natus est ex Maria virgine, Filius Dei natura, & Deus verus est, non gratia & participatione: nullam enim creaturam, nullum communem hominem, sed ex natura Dei, & verum Filium, hunc & factum hominem, & nihilominus Dominum ipsum, & Deum, & Saluatorem inuocamus. *Alioqui non esset hæc vna numero latria & adoratio. Vbi enim alia & diuersa fit ratio, qua Christus homo est Deus, quàm per diuinam naturæ hypostasin (vt sentit noster Disputator) ibi quoq; aliam adorationis obiecto causam & modum introduci est necesse: id quod satis apertè ex iis, quæ*

Inexplicat. Symboli Nicæni.

fol. 25 & 39. Impia Iac. Andreæ de adoratione carnis Christi doctrina.

contra Iesuitas Ingolstadienses scripsit, colligi potest. Vult enim hominem Christum Deum esse & adorari secundum humanitatẽ, non propter æternam ipsius diuinitatem, quam per hypostasin dicit esse in omnibus hominibus, sed propter communicatam ipsi Deitatem, qua sedet ad dexteram Dei, quæ aliâs nulli creaturæ contingit: & hoc nisi ab omnibus piis concedatur, aut Christum secundum humanitatem non adorari, aut idololatriam in hac adoratione committi oportere, contendit. *Fatetur ergo, cùm Christus secundum carnem, seu humanitatem, propter communicatæ Deitatis gratiam & dignitatem adoratur, creaturam quidem adorabilem dici, sed tamen idololatriam per hoc euitari, quia non simplex, sed per Deitatis participationem deificata sit creatura: atqui prorsus hæc alia causa, & alius adorationis modus est, quàm quo carnem Christi adorabilem esse vetus & Orthodoxa semper Ecclesia. Christum enim secundum humanitatem adorari, hoc sensu, nemo in*

Vide Magist. sent. ls 3. dist. 9.

In Apolog. anath. 8.

Ecclesia rectè dixit vnquam. Potiùs, *inquit Cyrillus*, dicendum est, Colo Verbum Dei, factum hominem, quod appellatur Deus, & in humanitate adoratur, quia natura Deus est, & ex Deo Patre, in carne manifestatus, apparuit. *Item*: Adorat nobiscum Christus, v homo,

homo, postquam factus est homo. Adoratur autem semper cum Patre, & Spiritu, quoniam Deus verus secundum naturam est. *Hoc adorationis modo Christum, secundum carnem & humanitatem adorari posse, ne ipsemet quidem Disputator concedit, qui propter causam hanc, qua ipse carnem Christi adorabilem facit, realem videlicet cõmunicationem, Christum hominem, non essentialiter, non formaliter, non subiectiuè Deum esse dicit. Est igitur lõgè aliud, Verbum, seu Filium Dei, in carne & humanitate: aliud verò, Christum, secundum humanitatem, hoc est, humanitatis respectu adorari.* *Lib. 2. cap. 92. in Ioan. & Lib. de Incarnat. Vnig. cap. 26. Sathana librum.*

At audiamus, quid contra hanc falsam adorationis causam, qua carnem Christi, secundum se, adorabilem faciunt Vbiquitarij, dicat Cyrillus, Arrianorum errorem, qui, vt iam dictum est, eadem prorsus peruersitate, Verbum, non vt per naturam, sed per participationis gratiam, Deum, adorari dicebant, refutare volens: Quia nõ aduentitias, *ait*, & quasi acquisitas, sed naturales habet omnipotentis Regis, & adorandi creatoris & Dei, ac Domini dignitates Filius, propterea & à nobis, & ab Angelis adoratur, cùm certè nihil adorare Scriptura, præter solum Dominum Deum, iubeat. Si ergo extrinsecus sibi aduenisse has dignitates credunt, & tamen adorandum esse putant, non creatorem, sed creaturam adorant, recentem quondam Deum ex imperitia facientes. *Quòd si λόγος ipse, propter communicatas à Patre Deitatis proprietates, vt Arriani fingebant, non esset adorabilis, quia creatura, & Deus recens, quomodo non Vbiquitarij, ex carne Christi (quæ certè, quoquo etiam modo sit deificata, semper est & manet creatura) propter eandem, quam ipsi cum Arrianis fingunt, adorationis causam, recentem & adorabilem Deum faciũt? Discat igitur hinc rectiùs Disputator intelligere, quomodo homo Christus dicatur, & reuera sit Deus. Vt enim hoc verè sit, per hypostasin, quæ homo est, hoc est,* quia λόγος, *vt ait Cyrillus,* adunatus est nostræ naturæ, *nulla Deitatis in humanam naturam necessaria est communicatio.* *Lib. 2. cap. 141. in Ioan. Christus homo nõ adoratur propter communicatã Deitatem, sed propter naturalẽ. Lib. de incarnat. Vnigenit. ca. 26.*

114. *Primùm ergo hominem illum Deum dici, & reuera esse non posse, si humanitas, anima, & corpus assumta naturæ nihil omnino cum Diuinitate commune haberet, aut Diuinitatis particeps facta prorsus non esset, vltrò, vt antea dictum est, fatemur: sed eam ipsam ob causam, per realem Deitatis cum carne assumta participationem, seu κοινωνίαν, hominem illum Deum esse, aut dici negamus, quia hoc posito, natura humana iam absorberetur, & fieret θεότης, atq; ita Christus reuera neutrum esset, neq; verus homo, neque verus Deus, sed*

quiddam tertium ex Deitate, & carne deificata conflatum. Præsertim cum nullo idoneo argumento, quicquid ore prætendatur, demonstrari possit, realem illam, de qua disceptamus, Idiomatum communicationem, diuersam esse à physica, qua alterutra natura, si non extra vnionem, in ipsa tamen Christi hypostasi, per se, & in se consideratа, subiectum proprietatum alterius naturæ constituitur, vt realem Idiomatum κοινωνίαν vrgere, physicam autem reiicere, nihil aliud sit, quàm idem de eodem simul affirmare, & negare: hoc est, manifestam contradictionis implicationem tueri, & immotam veritatis regulam, Quodlibet est, aut non est, euertere. Quòd autem Disputator aphorismū Ioannis. Verbum caro factum est, per eandem fictitiam suam κοινωνίαν, seu factæ carni Christi realem Deitatis participationem explicat, primùm ipsi Symbolo repugnat, in quo Diuus Athanasius cum Apostolo mysterium illud incarnationis Τ λόγυ, ad auertendam Diuinitatis simul in carnem μεταβολὴν, seu τροπὴν, & eiusdem cum carne cōfusionem, per vocabulum assumtionis interpretatur, non participationis, seu μετοχῆς, seu realis κοινωνίας, sub quarum earum ambiguitate, ἢ τροπὴ τῆς θεότητος, ἢ σύγχυσις τῆς οὐσίας facilè occultari potest. Deinde cōstructionem etiam Grammaticā refellit Antagonista, cùm vesana eius opinio non propriè cum verbis Euangelistæ congruat, sed potiùs propositionem illam inuertat, perinde ac si non esset scriptum, ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, id est, Verbum caro factum est: sed vt, teste Theodoreto, iam olim Eutychiani delirabant, Verbum factum est carneum, seu ἡ σὰρξ λόγος ἐγένετο. Huic enim inuersioni potiùs, quàm sacrosanctæ illi Euangelistæ propositioni, congruit commentum de reali Deitatis Verbi, cum carne, peregrinam istam & supernaturalem, quam fingunt, participationem, communitione, quæ πρὸ ὑσιώσεως τῶν φύσεων διαφορὰν in Christo planè abolet. In ergo profano delirio, vel potiùs blasphemiæ opponimus catholicam Ecclesiæ orthodoxæ sententiam, & cum omnibus rectè sentientibus confitemur, vnionem Dei Filium, in duabus naturis esse ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, διαιρέτως, ἀχωρίστως, hoc est, absque omni naturarum confusione, permutatione, distractione atque separatione, nunquam sublata differentia naturarum propter vnionem: sed potiùs salua vtriusque naturæ proprietate. Non enim cōuersione diuinitatis in carnem, aut carnis in diuinitatem, sed assumtione humanitatis in Deum, non confusione, aut transfusione substantiæ, aut vnius tertiæ naturæ compositione, sed vnitate personæ vnus est ac manet Christus, in duabus subsistens naturis.

Verba Synodi Chalcedonensis.

ns. Quæ

115. Quemadmodum enim in homine, si corpus reali animæ participatione, seu κοινωνίᾳ in se fieret intelligens, rationale, inuisibile, impalpabile, adeoq; aëreum, & simpliciter spirituale, fieri sanè neutiquam posset, quin ea ipsa ratione penitus iam aboleretur, & veri corporis proprietate atque natura exutum, in animam ipsam conuerteretur, corpúsque diceretur κατ' ἀντίφρασιν, quasi minimè corpus, desinens videlicet esse, quod vi nominis esse significatur: ita Deitas ipsa reali participatione carni Christi communicata, necessariò carnem abolet, & in se conuertit, vt iam vel vnica tantùm in Christo relinquatur essentia: vel duplex tribuatur Christo Deitas, communicans & cõmunicata, seu participans & participata. Quæ portenta non tantùm vniuersam salutis nostræ œconomiam, verùm etiam ipsum sacrosanctæ personarum Trinitatis in Deitatis vnitate mysterium euertunt. Etsi autem eadem anima rationalis aliter consideratur respectu suæ essentiæ, aliter respectu ἐνεργείας in corpore: tamen vt ἐνέργεια animæ non est ipsa anima: nisi duplicem animam, alteram ὑσιώδη, alteram ἐνεργητικὴν somniare libeat: ita Deitas, licet mirandas habeat in carne assumta, & per eam, hoc est, eiusdem ministerio, addo etiam cum ea, ratione indiuulsæ vnionis hypostaticæ operationes: tamen non propterea se ipsam carni assumtæ per realem participationem communicare rectè dici potest, nisi geminas in Christo, si minùs separatas, quod solùm Antagonista excipere & cauere videtur, saltem vnitas diuinitates somniare libeat. Sicut Vbiquitarij, quorũ crassissimi de Cœna Dominica errores profanationem Sacramentorum Pontificiam ferè superant, petulanter & malitiosè, atque impiè finxerunt hactenus aliam Christi diuinitatem participantem, seu communicãtem, aliam participatam, seu communicatam. Quam blasphemiam hac ipsa reali Deitatis cum carne κοινωνίᾳ, seu μετοχῇ renouant & stabiliunt, fucum interim lectori inani verborum pompa facientes, qua duas in Christo, separatas quidem, sed non vnitas diuinitates duas negãt: & cùm in Christo creatam aliam, aliam æternam diuinitatem nequaquam statuendam esse, rectè moneant: dissimulant interea, quod alibi, vt iam dictum est, communicantem, seu participantem alteram, alteram verò communicatam, seu participatam asserant. Nisi enim hoc monstri alerent, hanc ipsam toti Orthodoxæ Ecclesiæ ignotam distinctionẽ reuocarent, & primum istum realis communicationis gradum, quo ipsam Dei essentiam faciunt carni Christi, quæ creatura esse nunquã desinet, communicabilem, expungerent. Id ergo donec intermittũt, à crimine duplicis introductæ diuinitatis in Christo nunquã absolui poterũt: nisi, pte stationes, vt dicitur, cõtrarias factis, & quib-

Byrenæus, Luc. Andr. & Marbachius.

veritatis nihil subsit, sine omni ratione admittendas iudicemus: cùm noua ista mataeologia nil, nisi perpetua sit contradictionis implicatio, & futilissima petitio principij, inani verborum sesquipedalium ad inescandos atq; illaqueãdos simpliciores strepitu vestita.

Damasce. lib. 3. ca. 4.

116. Deinde, sicut diuinitatẽ dicentes nequaquam de illa nominamus, quæ humanitatis sunt propria: non enim dicimus Deitatem aut passibilem, aut creatam: neque de carne, id est, humanitate, prædicamus ea, quæ Deitatis sunt propria: nam carnem, id est, humanitatem, non dicimus increatam, omnipotentem, aut immensam: ita personam Christi nominantes, vtrunque quidem complectimur, & diuinitatem Verbi, & assumtæ humanitatis naturam in Verbi hypostasi consustentatam: nec tamen propterea realiter assumtæ humanitati personam Filij Dei communicari dicimus, cùm vnio facta sit per assumtionem & sustentationem carnis in personæ Verbi vnitate, non per realem hypostaseos Verbi cum carne assumta communicationem, seu participationem.

Quomodo facta sit vnio.

Et quia caro Christi non per se, & in se, nec in ipsa quidem Verbi hypostasi, vt pars in toto, aut accidens in subiecto subsistit, sed potiùs inseparabili assumtionis & vnitionis fœdere, modo quodã subsistendi nouo atq; mirabili, essentialiter consustentatur in singularitate personæ Verbi assumentis, quod nec accessionem, nec diminutionem patitur, nec magis, nec minùs, nec aliam ob causam, quàm ab æterno fuit, iam post incarnationem hypostasis est: ideóque eadem caro, seu humanitas Christi assumta nequaquam rationem personæ vel ex parte, vel ex toto, per ineffabilem illam vnionem cum Verbo, sortiri potuit. Ex hoc enim duæ in Christo subsistentiæ necessariò sequerentur, quod Nestorianum est: Ex illo verò tertia aliqua coalesceret, diuina partim, partim humana hypostasis, quæ esset caro Verbificata, & λόγος carneus, qualem sibi Christi Eutychiani comminiscebantur. Atq; ita cõtra decretum quintæ Synodi, adiectionem personæ vel ex toto, vel ex parte sancta Trinitas per Verbi incarnationem suscepisset, quod sine atroci læsæ diuinæ Maiestatis crimine asseuerari non potest.

cap. 5.

117. Vt enim natura Christi assumta non in se, nec per se, hoc est, in suæ naturæ propria hypostasi. sed in persona τοῦ λόγου subsistit & sustentatur, ita vna est duntaxat, eademq; individua, & planè incommunicabilis, neq; humana partim, partim diuina. sed diuina tantùm in Christo Domino subsistentia: ipsius nimirum Verbi propria, quæ propter immensam Verbi perfectionem atque virtutem hypostaticã humanam sustentat, & subsistentem in se habet naturam, quam propria (vt sic dicamus) personalitate destitutã, sibi asciun

atque

atq; coniunxit. Vnde Damascenus: Ipsius Verbi hypostasis, vtriusque naturarum hypostasis existens, nullam insubsistentem esse permittit, neque alterius esse hypostaseos. Neque quandoque quidem huius, quandoque verò illius, sed semper vtriusque indiuisibiliter & inseparabiliter est hypostasis: tota huius, & tota illius, & impartibiliter & plenissimè. Non enim in propria subsistentia sustentata est Dei Verbi caro, neq; in alia hypostasi facta est, quàm in Dei Verbi hypostasi, sed in ipso sustentata & subsistens potiùs, neque secundum propriam subsistens hypostasin facta est. Quapropter neque insubsistens est, neque Trinitati superaddit hypostasin. *Hæc ille, lib. 3. cap. 9.*

Adde cap. vlt. in dial. Damasc.

118. *Cùm enim ad completam personæ, quæ augustæ appellatio non nisi naturis intelligentibus competit, rationem, duo requirantur, vt & sibi ipsi quasi basis, seu fundamentum sit totius naturalis existentiæ, & vt singularitatis subsistendi in se habeat dignitatem, ac, vt sic loquar, terminum, hoc est, ne vel aliunde sustentetur, aut dependeat, vel digniori vniatur, à quo terminetur: Vtrunque horum deest humanæ naturæ in Christo. Non enim ipsa basis est, & præcipuum stabilimentum suæ existentiæ, cùm se ipsa non subsistat, sed sustentetur in hypostasi diuina, quæ vnica est vtriusque naturæ hypostasis & sustentaculum: nec habet itidem natura humana in Christo præcipuam nobilitatem & dignitatem potiorem inter cetera illius vnionis extrema, sed digniori vnitur, naturæ scilicet diuinæ, à qua tanquam principaliore & excellentiore illius vnionis parte, meritò sumitur hypostaseos ratio & nuncupatio.*

Cur humana Christi natura nō sit persona.

Scholiastes Damasc. lib. 3. cap. 9.

119. *Etenim Verbi Dei post assumtam carnem humanam hypostasis non minùs mansit hypostasis Filij Dei, atque ante assumtionem fuerat: neque vllo pacto per incarnationem decidit à ratione & denominatione hypostaseos, quā ab æterno habuit: & per vnitam iam sibi carnem neque perfectior, neq; imperfectior, sed æquè secunda sacrosanctæ Trinitatis persona est, & per se subsistens, atq; semper fuit. Et quanquam vnitur carni, non tamen ab ea sustentatur, neq; illa tanquam principaliori nititur, aut fulcitur, sed è diuerso eam fulcit.*

120. *Vt igitur massa illa carnis assumtæ quamprimùm esse cœpit, Filij Dei caro fuit, iuxta promissionem:* Quod in te nascetur, Filius Altissimi vocabitur: *ita eam ipsam ob causam, quia se ipsa, aut per se, nec extra vnionē, nec in ipsa vnione fuit, est, aut erit persona, sed in persona τοῦ λόγου, verè, & realiter, τῷ ὄντι, καὶ ὑσιωδῶς subsistit: nulla reali communicatione, aut partici-*

patione, personæ vel rationem, vel appellationem in se recipit, propterea quòd tota ex solius Verbi assumētis hypostasi, adeo vt nisi sic gestaretur, ne esset quidem, dependeat.

121. *Cumq; perpetuæ lectori insidiæ struantur, ambiguitate vocabuli χρείας, rectiùs dicimus, personam Filij Dei cum assumta carne vnitam, quàm eidem realiter communicatam esse. Hac enim ratione minùs vel à Nestorianismo, vel ab Eutychianismo periculi imminebit, & ratio euidentior erit, cur non alius sit Filius Dei, & alius Filius hominis, sed vnus, idemq; Dei & Mariæ Filius, Dominus noster Iesus Christus, laudandus in secula.*

122. *Etsi autem fides Christiana solius Dei verbo nititur, cui nullius hominis, imò ne Angeli quidem autoritas præpollet: tamen eruditæ & Orthodoxæ antiquitatis testimonia, quibus Ecclesiæ Catholicæ, quam impossibile est vniuersaliter approbare, aut fouere errorem repugnantem fundamento, confutatus demonstratur, nunquam vel Luthero, vel vlli sana mente prædito mortalium sugillare, aut eleuare in mentem venit. Vt vel hinc satis euidenter appareat, qua, non dicam fidei, sed mentis sanitate, & conscientiæ integritate, qui pro fide Orthodoxa fidem rusticam stolidæ & credulæ plebeculæ commendant, subinde ex Patribus, quos intus rident, malè detorta suffragia petant, quibus, etsi nihil omnino subleuentur, vanæ tamē scientiæ apud suos, vel si maius nec, opinionem captant, & dum id allegant, quod suo dogmati apertè contradicit, suspicionem nouitatis declinant scilicet. Tale enim hoc ipsum Cyrilli est testimonium, quod totidem cum Antagonista syllabis repetimus, vt penes intelligentem lectorem iudicium sit, asseratúrne, an potiùs euertatur realis Idiomatum communicatio hisce Cyrilli verbis:* Natura carnis ipsa PER SE viuificare non potest. Quid enim maius natura diuinitatis haberet? Quæ nec sola esse in Christo intelligitur: sed habet Filium sibi communicatum (hoc est, personaliter vnitum) qui substantialiter vita est. *Nihil opinor clarius contra realem Idiomatum communicationem, per quam contendit Disputator, carnem Christi habendo (τὴν ἴσχυν) omnipotentem & viuificam esse, dici poterat. Non enim de gratia habituali, sed vnionis vult intelligi Cyrillus, vt si quis vrgere pergat omnipotentem illam viuificandi vim, seu virtutem, quæ per realem Idiomatum communicationem habendo naturæ Christi assumtæ cōpetat, Cyrillus naturarum exæquationem furori isti obiecturus sit:* Quid enim maius ipsa Deitas haberet? *Quòd autem phrasin illam vrgere videtur, qua caro Christi Filium Dei sibi communicatum habere scribitur, ἀκυρολογία est, quæ vel ex incommoda Cyrilli*

Vide Luthervm in epist. ad Principem Prussiæ anno 32.

Cyrillus.

Thesi 296.

qui Græcè scripsit, versione irrepsit: vel ab ipso Disputatore, vt lectori fucum faceret, conficta est. Nostri enim libri legunt, CONIVNCTVM: & sic idem dictum allegabitur infrà, propositione 129, vt vel hinc constet, qua fide ad realem, quam fingunt, Idiomatum κοινωνίαν detorqueatur. Sit igitur Pantachus, ne suo ipsius gladio iuguletur, posthac in citandis Patrum testimoniis cautior, vel si sapit, prorsus abstineat potiùs, & suo interea bello mendacio se oblectet, quòd Lutherus nos ab eruditæ vetustatis, & Orthodoxæ antiquitatis inquisitione piè & sanctè vindicauerit, vt ignauis ventribus consuleret scilicet, & quidlibet pro quolibet simplici, hoc est, rustica fide credendũ nobis persuaderet. O Lutheromastiga, ad omnis generis turpitudinem, vanitatem, & scelera, tanti viri authoritate & nomine abutentes!

O insolens & flagitiosum dictũ.

123. Tertiò, Maiestatem omnipotentiæ, omnipræsentiæ, & omniscientiæ (de huius enim gloriæ reali communicatione hîc agi, testatur propositio 174.) negamus Verbi esse propriam, sed potiùs Verbo cum Patre & Spiritu sancto communem esse, ex Symbolo didicimus. Patris enim, & Filij, & Spiritus sancti vna est Deitas, æqualis gloria, coæterna maiestas. Cùm autem in Deum nõ cadat aliud & aliud, sequitur, hanc maiestatem Idiomatum ipsam esse Dei essentiam. Vt igitur essentia Dei nulli creaturæ, reali participatione communicatur: ita nec maiestas omnipotentiæ, omniscientiæ, omnipræsentiæ, & reliquorum Dei Idiomatum carni Christi tribui, aut communicari potest, nisi in ipsam Deitatis essentiam transiisse, & absorptam esse carnem Christi fingamus. Nec tamen propterea negamus articulum Symboli Apostolici: Sedet ad dextrã Dei Patris omnipotẽtis: *sed iuxta Scripturæ sacræ apertæ testimonia piè interpretamur, de æterno nimirũ personæ Mediatricis sacerdotio & regno, quo Christus secundum vtramque naturã, seruata cuiusque proprietate, in cælesti beatorum regione, pleno iam gloriæ & Maiestatis fulgore coruscans, perfungitur. Simul autem cum exaltatione Christi, tanquam capitis, complectimur ipsam Christi glorificationem, qua se potenter declarauit esse ipsum æternum Dei Filium, nec vt à mundo floccipendebatur,* ψιλὸν ἄνθρωπον. *Carnem etiam Christi in se fatemur inenarrabili lucis, sapientiæ, iustitiæ, vitæ, & beatitudinis gloria supra ceteros regni cælestis hæredes, tam angelos, quàm beatos homines ornatam & locupletatam adeò, vt viuificantis Christi Spiritus* ἐνεργείᾳ, *ex hac ipsa carne Christi viuifica, cui tanquam viti vitæ palmites inserti sumus, æternæ vitæ succus, & cælestis vigoris riuulus, quasi ex perenni fonte in nos membra ipsius suauiter redundet. Quæ summa Maiestas nulli beatorum cum carne Christi communis est. Præterea vno eodemq;*

Articulus de sessione ad dexteram.

Maiestas carnis Christi.

Caro Christi quomodo viuificet.

adorationis cultu Christum Deum & hominem deuotè inuocamus, & piè ve-
neramur, non seorsum carnem assumtam, quæ creatura est, seponẽtes, & seor-
Sic Athanasius Damasc. li. 3. cap. 8. & lib. 4 cap. 3. & Oratio. 1. de Imagin. Cyrill. lib. 1 ad Reginas in princip. sum τὸν λόγον compellantes, nec carnem cum Verbo coadorantes, sed vnaeademq; λατρείᾳ carnem, quæ secundum sui naturam & per se non est adorabilis, in assumente Deo Verbo, non quia caro est, sed quia Dei Verbi caro, & vnus cum eo Deus, & Filius est, hoc est, non carnem nudam, sed carnem Dei, id est, incarnatum DEVM adoramus. Hæc est vera, & propria, & Orthodoxa articuli de sessione Christi ad dextram Dei Patris omnipotentis explicatio. Cumq; omnia Scripturæ testimonia, quæ ab authore thesium hic coacerua-
tur, de ipsa Christi persona, non autem de natura tantùm assumta loquantur, iudicet pius lector, qua consequentia inde Disputator extruat realem suam Idiomatum, seu maiestatis omnipotentiæ, omniscientiæ, omnipræsentiæ, communicationem. Quale enim hoc argumentum est? Apostolus inquit Hebr. 1. Consedit in dextra maiestatis in excelsis. Ergo caro Christi est omnipotens, omniscia, vbique. Atqui hoc vt assereret, nunquam in mentem venit Apostolo. Nec enim de carne assumta loquitur, sed potiùs de ipso Filio Dei, qui omnia potenti suo Verbo, seu nutu sustinet. Is enim postquam æterna illa maiestate sua posthabita, propter nos homines, & propter nostram salutem in hanc nostram fragilem massam descendit, vt nihil minus videretur, quàm is esse, qui ab æterno erat, purgatione peccatorum nostrorum per se ipsum facta, sedit ad dextram Maiestatis illius excelsissimæ, hoc est, vt alibi se ipsum Apostolus explicat, per resurrectionem, & ascensionem, & visibilem Spiritus sancti effusionem, denique per regni sui aduersus inferorum portas mirabilem propagationem & defensionem, potenter se, nequaquam vulgarem tantùm hominem, aut nudam creaturam, sed ipsum cum Patre & Spiritu sancto creatorem esse declarauit, ideoq; in hunc mundum veniisse, vt æternus noster Rex, summúsque esset pontifex. Euoluatur enim totus ille Apostoli contextus, nec alius elicietur, sat scio, sensus, quàm Christum, quamuis in mundo fuerit abiectissimus, æquali tamen regnare potentia cum æterno Patre, hoc est, non esse ψιλὸν ἄνθρωπον, sed θεάνθρωπον, & vnicum mundi Seruatorem. Vnde etiam Luthero, quoties huius articuli mentionem facit, Christum sedere ad dextram Maiestatis, nihil est aliud, quàm ipsum æqualem esse Patri, hoc est, coæternum cum Patre & Spiritu sancto DEVM. Aut igitur contra Symbolum concedat Antagonista naturarum in Christo exæquationem, quam re docet, ore ne-
gat: aut inter maiestatem essentiæ & officij τοῦ λόγου distinguat. Sic Ephes. 1. manifestum est, Paulum loqui de maiestate officij, seu exaltatione capitis, si

Maiestatis sessionis ad dextera Christus declaratur non esse ψιλὸς ἄνθρωπος.

Locus Pauli Ephes. 1.

expendas

expendas verba, quæ author theſium aſtutè diſſimulauit: Sedere fecit Chriſtum (*loquitur enim de perſona, ratione miſſionis, non de natura tantùm aſſumta*) ad dextram ſuam in cœleſtibus: (*thronus ergo ſurſum eſt: regnũ autem & virtus Chriſti, quàm latè orbis patet, diffunditur, adeoq; cælum & terram implet:*) ſupra omnem principatum, ac poteſtatem, & virtutem, & dominium, & omne nomen, quod nominatur, non ſolùm in ſeculo hoc, verùm etiam in futuro, & omnia ſubiecit pedibus illius. (*id eſt, Nihil eſt tam ſublime, aut excellens, quocunque nomine cenſeatur, quod non ſubiectum ſit Chriſti maieſtati. Loquitur autem de iis rebus, quæ ſubiici poſſunt. Propterea enim 1 Cor. 15, quaſi determinatio, ſeu reſtrictio eſt addita: cùm dicit, quòd omnia ſubiecta ſint, palàm eſt, excipiendũ eum, qui ſubiecit illi omnia*) His ita præmiſſis, ſe ipſum quaſi explicaturus, *addit Apoſtolus*: Et eum dedit caput ſuper omnia ipſi Eccleſiæ. *Quam appendicem ſaltem non omitti decebat. Teſtatur enim Paulus, ſe loqui de maieſtate Chriſti, vt capitis, hoc eſt, ſummi noſtri Sacerdotis & regis, non autem de Idolo quodam Deificato, quale ſibi Faber iſte nouæ fidei ex carne Chriſti impiè ſculpit.*

Ad dictum Philip. 2. quod attinet, Dedit illi nomen ſuper omne nomen: certum eſt, nulla ratione hinc probari poſſe figmentum de reali Idiomatum communicatione: alioquin, quoniam hoc nomen à Patre datum eſt Chriſto, itẽrum ſequetur, per hanc communicationem vnionem introduci cum Patre. Loquitur autem Paulus de dignitate perſonæ miſſæ, quæ ſe ipſam in ſtatu humiliationis per aſſumtionem formæ ſerui ad mortem vſque crucis exinaniuerat. Hæc ipſa perſona Filij Dei manifeſtati in carne, iam poſt ſtatum humiliationis euecta eſt ad ſummum honoris gradum, vt ad dextram Patris ſedeat, in eadem carne, inquam, ſub cuius infirmitate quaſi deliteſcens antea, vixerat ignobilis & abiectus in mundo. Siue igitur nomen hoc ſupra omne nomen de Filio Dei altiſſimi, ſiue de Meſſia & officij nomine intelligatur, nõ poteſt hoc per realem communicationem humanæ naturæ datum intelligi. *Locus Pauli Philip. 2. Vide Cyril. lib. 11. cap. 17. 20. & 21. & lib. 3. de Trinit. Athan. dial. 5 de Trinit. Auguſtin. de Eccleſ. dogm. ca. 2.*

Reſtat dictum Danielis 7, quod viſionem Prophetica deſcribit: Et ecce in nubibus cæli, quaſi Filius hominis veniebat, & ad antiquum dierum peruenit: & dedit ei poteſtatẽ, & honorem, & regnum. Poteſtas eius, poteſtas æterna, quæ non auferetur. *Loquitur de Mediatore, Filio nimirum hominis, ſeu Filio Dei in carne, conſtituto tempore, manifeſtãdo, non de natura tantùm aſſumta. Hic enim ab antiquo dierum, hoc eſt, ab æterno Patre non rapuit, ſed accepit, vnanimi ſacroſanctæ Trinitatis con-* *Locus Danielis 7.*

sensu sibi traditam, hoc est, commissam & demandatam potestatem collectionis, administrationis, redemtionis, & saluationis æterni regni, hoc est, Ecclesiæ, de qua plenarium habet ex sinu, καὶ εὐδοκίᾳ Patris statuendi & disponendi ius, seu ἐξουσίαν æterno & immutabili decreto Dei sancitam, ita vt regiæ, atq; pontificiæ dignitatis summum illum honorem, seu gloriam, sibi soli, vt personæ missæ debitam, cum nemine partiatur Filius ille hominis, Mediator noster, neque in cælo, neque in terra. Hanc explicationem piam & Orthodoxam esse fatebuntur omnes pij, vbi totum contextum Prophetæ penitùs considerauerint, & omnes illius examinauerint partes. Millia enim millium non soli Deo Patri, verùm etiam Deo Filio & Spiritui sancto seruiunt. Vnde frequens est encomium Domini exercituum in Scripturis, quod in Psalmis quoque passim tribuitur Christo. Vt cùm dicitur 24: Attollite portæ capita vestra, & introibit Rex gloriæ. Quis est iste Rex gloriæ? Dominus exercituum, ipse est Rex gloriæ. *Et psalmo 68. ad quem non dubium est, respexisse quoque Danielem, disertè dicitur de Christo, iuxta interpretationẽ Pauli:* Currus Dei millies mille: Dominus in eis in Sinai sancto. Ascẽdisti in altum: cepisti captiuitatem, accepisti dona pro hominibus &c.

Ephes 4.

Alia potestas Christi secundum essentiam: alia secundum officium personæ.

124. *Quare siue potestas illa æterna, de qua meminit Propheta, de omnipotentia absoluta, quæ solius diuinæ essentiæ est, & tribus personis communis: siue de potestate officij, quæ est omnipotentis Christi personæ, de qua etiam priùs loquitur textus, accipiatur, nihil absurdi res habet: cùm & absolutissima illa essentia omnipotentia, quæ nulli creaturæ est communicabilis, proculdubio ab æterno in æternum sit, durétque: & potestas illa officij, quæ propriè regnum Christi respicit, cuius regni, vt in Symbolo profitemur, non erit finis: sit & ipsa iam ante fundamenta mundi iacta, æterno Dei consilio, & irrefragabili decreto sancita, nulloq; æternitatis æuo (non minùs quàm λόγος ipse, quicquid illo decreto carnẽ nostram sibi hypostaticè vniuit) aboleri possit: cùm in Christo, vt Apostolus quoque disertè testatur, nos dilexerit Deus, antequam fundamenta mundi iacerentur: licet respectu nostri, reuera non ab æterno, sed post lapsum patefacta primùm, & constituto demum tempore effectum suum, adeoq; plenam quasi ἐνέργειαν assecuta sit. Et officium quidem secundum vtramque naturam Christo incumbere, nemo inficias ibit, nisi qui frustrà vnionem factam esse somniauerit. Omnipotentiam autem illam absolutissimam, qua Patri Filius homousios est, non minùs quàm æternam Deitatis essentiam, ne vnico quidem momento Christum non habuisse certum est, quam*

tamen

tamen perinde atque maiestatis suæ essentialis gloriam & fulgorem tempore exinanitionis quasi repressit: atq; ita eandem respectu mundi, talia in ipso non animaduertentis, vel potiùs respectu missionis, accepit vt homo, quam nunquam amisit, vt Deus, hoc est, quam absolutè consideratus semper habuit, relatiuè vt Deus incarnatus, non semper manifestauit: Vt rectè Oecumenius ex Chrysostomo retulisse constet: Quatenus Deus est, æternum habet thronum. Sed quod vt Deus (*absolutè scilicet consideratus*) habebat, accepit vt homo: (*id est, ratione missionis: seu, vt Deus manifestatus in carne*) Vt homo igitur audit, Sede à dextris meis. Vt enim Deus, æternum habet imperium. *Perperam autem hos terminos,* vt homo, & vt Deus, *tantùm ad naturas detorquet Disputator, cùm ipsam Verbi hypostasin, aliàs quidem respectu essentiæ, aliàs verò respectu officij, seu missionis designent. Iuxta regulam Nazianzeni, quam nulla vnquam Sophistica euertet:* ἄλλο μὲ φύσεως, ἄλλο ἡ οἰκονομίας λόγος. Alia Verbi essentiæ, alia œconomiæ, seu dispensationis ratio. *Cui regulæ consentit, quod Basilius libro 4 contra Eunomium scribit:* Quæ κατ' οἰκονομίαν de Christo dicuntur, non oportet vt ὡς ἁπλῶς, hoc est, simpliciter dicta accipere.

Exinanitio Christi.

Regula Nazianzeni & Basilij. Idem Damasc. lib. 3. cap. 15. & Theodoret. cap. 2 & 4 ad Hebr.

125. *Ex hac aurea regula, quòd videlicet quædam dicta de Filij Dei essentia, quædam de eiusdem officio loquantur, sumitur responsio ad obiectionem ardentissimæ precationis Christi, quæ extat Ioannis 17:* Glorifica me ea gloria, quam habui apud te, priusquam hic mundus existeret. *Hoc enim dicto tam Ariani, quàm Eutychiani blasphemè abusi sunt: illi quidem ad impugnandam æternam Filij Deitatem, hi verò cum nostris Vbiquitariis ad tollendam naturarum & proprietatum in Christo distinctionem. Sed vt illi manifestè refutantur, quando iisdem verbis Christum testari ostendimus, quòd fuerit ante mundi conditionem: id quod nulli competit creaturæ: ita his opponimus emphasin verborum, quibus quasi restitutionem petit eius gloriæ, quam ante mundi constitutionem se habuisse testatur. Loquitur ergo de discrimine mittentis & missi: ac confert statum humiliationis & glorificationis. Nunc dicit, se missum esse, & seruire suæ vocationi, & subiectum esse cruci, in qua minùs fulget gloria diuina. Talis cùm sit in præsenti vocatione, petit se iuuari, & confirmari, ac tandem liberari, vt in victoria & regno conspiciatur rursus gloria, quæ non tantùm ab æterno fuerit, vt argutatur noster Disputator, sed quam ab omni æternitate apud Patrem habuerit. Id de humana natura tantùm intelligi non potest, quæ antequam mundus conditus est, imò antequam hic Dominus natus est ex virgine, nondum fuit: sed expressè conciona-*

Cyrill. li. de incarnat. Sanct. c. 4. Gloriã accipere dicitur, qui ipsius gloriæ est Dominus.

tur hoc dictum de exaltatione seu glorificatione huius personæ missæ: & est insigne testimonium de diuinitate Filij. Affirmat enim se fuisse ante conditionem mundi, & fuisse potentem & gloriosum. Nunc verò etsi ad tempus futurus sit in hac imbecillitate, videlicet quiescens, vt caro crucifigi & mori possit: tamen aliquanto post rursus declarata est potentia ipsius in resurrectione.

126. Vt ergo coaceruatis sacræ Scripturæ, & piæ antiquitatis testimonijs, nihil aliud proficiunt aduersarij, quàm vt se ipsos refutent, simúlq; in deprauandis Spiritus sancti oraculis horribilem audaciam & malitiam prodant: *Dicta Scriptura de persona missa, impiè ad humanam naturam tantùm detorquentur.* quidnam per tertium hunc realis idiomatum communicationis gradum, περιχωρησιν inquam maiestatis, quam ὁ λόγος propriam esse scribit, intelligi velit Disputator, vel hinc tandem liquidò patet, quando non tantum, quæ Scriptura & antiquitas de persona missa sanctè differunt, ad solam naturam assumtam impiè restringit, verùm etiam realem inde suam, quam somniat, æternæ Dei potentiæ communicationem factam carni, sine omni ratione, autoritate planè prætoria, inferre & extruere conatur, immemor præcepti Theodoreti: *Præceptum Theodoreti.* οὐκ ἀποφαντικῶς, ἀλλ' ἀποδεικτικῶς καὶ λέγειν τὰ ἐκκλησίας τὰ δόγματα: id est, Non nudis asseuerationibus, sed firmis demonstrationibus, petitis nimirum ex Scripturæ testimonijs, rectè intellectis, asserenda sunt Ecclesiæ dogmata. Docendo enim non asseuerando demonstratur veritas. Cùm autem suprà, thesi 85 testatum fuerit, quòd appellatione omnipotentiæ, omnes naturæ diuinæ proprietates complectatur, duplicem hic contradictionis nodum explicet oportebit: primum, quæ conscientia maiestatem omnipotentiæ ὁ λόγος propriam esse fingebat, contra Symbolum, ex quo Patris, Filij, & Spiritus sancti, vt eandem Deitatis essentiam, ita etiam æqualem gloriam, coæternam Maiestatem, eandem denique omnipotentiam & immensitatẽ esse discere nobiscum potuisset. Deinde, cùm appellatione omnipotentiæ nullam Deitatis proprietatem excludi- *Duplex Iacobi Andr. contradictio.* lit, quomodo igitur sibi ipsi constat, quòd carnem, cui realem diuinæ potentiæ & quidem æternæ communicationem factam esse contendit, nihilominùs ab æterno esse inficiatur. Aut igitur suo more vocabulorum ambiguitate ludat, discernit inter æternam Dei potentiam, cuius reali communicatione æternitatem, quæ à proprietatibus Dei excludi non potest, inferri negat: & inter omnipotentiam, qua omnes naturæ diuinæ proprietates se complecti disertè affirmauit: aut eo ipso, quòd æternam Dei potentiam (quæ proculdubio est absolutissima Dei omnipotentia, id est, proprietas Dei essentialis, adeoq; nulli creaturæ in æternum communicabilis) carni Christi reali participatione communi-

nicat, æternitatem simul communicat, hoc est, vnionem duarum Christi naturarum factam in tempore abolet, & naturam humanam in Christo creatam, nobisq; consubstantialem esse pernegat.

An actiones diuinitatis propria, humana natura Christi communicentur.

127. *Postremò, negq; actiones diuinæ naturæ proprias, humanitati suæ communicauit λόγος, vt hac ipsa diuinarum actionum communicatione, hoc idem, quod diuinitas, agat & efficiat caro, atque sic iam verè & realiter, hoc est, in se viuifica esse cœperit: nisi actiones, quas Deitatis proprias Disputator appellat, iam post Verbi incarnationem vel non amplius esse proprias, vel mine tantùm, non re ipsa diuinæ naturæ proprias, vel simul Deitatis proprias, & realiter cum assumpta carne communes esse, dicíve posse somniet: quorum nihil vel piè, vel constanter, vel sine contradictionis implicatione affirmari potest. Et refutat Disputatoris nugas ipse Cyrillus, quem citat. Nunquam enim in mentem tam Orthodoxo scriptori venire potuit, vt per realem Idiomatum, aut actionum Deitatis communicationem, seu transfusionem, carnem Christi viuificam esse contenderet: quamuis non hodie primum Vbiquitarij nostri, verùm etiam iam olim horum antecessores Eutychiani, & Monotheletæ, Cyrilli testimoniis ad sua stabilienda deliria (per inscitiámne dicam, an impudentiam?) abuti cœperint.* Propter se ipsum, *inquit Cyrillus,* Spiritus viuificat: ad cuius virtutem per coniunctionem caro conscendit. *Adeo non stabilit Cyrillus Disputatoris somnium, vt hoc ipso dicto euertat. Spiritus enim Christi, & quidem propter se ipsum, hoc est, secundum se, vel sui respectu, non κατ' ἄλλο viuificat. Ergo non simpliciter caro viuificat, multò minùs Spiritus propter carnem, hoc est, respectu carnis viuificat. Nec dicit Cyrillus, carnem, per coniunctionem cum Verbo, eandem, quam Spiritus, viuificationis energiam efficere. Viuificat tamen hæc etiam, sed non secundum se, aut per se ipsam, neque per diuinæ ἐνεργείας in se transfusæ, realem aliquam participationem, seu κοινωνίαν, quasi vim illam viuificandi Verbi propriam, in suam ipsius naturam recepisset (sic enim vel mori non potuisset, quæ tamen in morte ne viua quidem permansit, tantum abest, vt isto modo viuifica fuerit) sed potiùs per coniunctionem, hoc est, per vnionis gratiã, qua vnum cum λόγῳ, viuificatore & sustentatore rerum omnium, ὑφισάμενον constituit, atq; ita Vnigeniti caro propria facta, res omnes humanas, imò etiam Angelorum sortem, quorum naturam λόγος non assumit, ineffabili dignitatis gloria transcendit, carnis tamẽ veritatem non amisit. Huc pertinet dictum:* Quidquid conuenit Filio Dei per naturã, conuenit Filio hominis per vnionis gratiam.

128. Vt igitur carnem Christi verè & realiter, non in se, inquam, aut sui, sed potiùs assumentis Verbi respectu, viuificam esse, grata mente, & sine verborum inuolucris profitemur: ita rationes nostræ sententiæ non ex humanis rebri lacunis, sed ipsius Filij Dei ore haustas afferimus planè euidentes atq; perspicuas, viuificam prædicantes carnem Christi: primò, quia Verbi assumentis, hoc est, vitæ substantialis, viuificatricis & conseruatricis omnium, propria caro facta est, per hypostaticæ vnionis gratiam: deinde quia pro mundi vita tradita est, hoc est, quia in eadem pro peccatis nostris æterno Patri λύτρον Filius Dei persoluit. Tertiò, quia nos non possumus ad Deum, & vitam illam æternam pertingere, nisi carne illa media per fidem spiritualiter potiti, & carni illi per fidem, vt viti palmites inserti, Christi membra simus. Hæc enim Domini ipsius explicatio est, cùm inquit: Panis, quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita. *Quibus verbis panem vitæ nominat carnem suam, quasi dicat: Viuificat caro illa propter me, non sui respectu, sed respectu vnionis, qua mihi eam, vt sic loquar, appropriaui. Simul autem digitum intendit in causam finalem, propter quam vnio illa facta sit, vt videlicet sufficienti λύτρῳ mundi vita redimi posset.* Λύτρον enim illud non tantùm externa carnis passio seu mors est, sed ipsius Filij Dei in sustinendis illatæ nis suæ laceratione, ad infame vsque crucis supplicium, interior obedientia & stupenda ὑπάκοια. Ceterum carnem suam panem viuum, seu viuificantem nominat, vt de applicatione, seu modo vitam in nos deriuandi simul commoneſiamus: quia vitæ participes non redduntur, qui carnem huius victimæ comedunt, hoc est, fideli mente apprehensam sibi applicant, atque ita ex illa hostia vigorem vitæ sugunt. ἐνέργεια igitur viuificans propria Deitatis effectio, sed ipsa viuificatio beneficium est personæ mediatricis, habentis actionem in vtraque natura, vnitas quidem, at non indistinctas. Vt enim in efficienda hoc viuificationis opere, qualibet in Christo natura agit, quod sibi proprium est: ita nulla realis communicatio est diuinæ naturæ propriæ actionis in carnem: sed vt λόγος, qui est vita essentialis, hoc est, creatrix, in carne sua vitam penitus creat atq; sustentat: ita in nos, carnis suæ membra, non quidē increatam illam diuinæ suæ essentiæ, vitam, quæ est incommunicabilis (hoc est: diuinæ ἐνεργείας ideo creatæ, & carni suæ insitæ, vt inde quasi ex vitis vita viua radice in palmites defluat) perennis quodam fonte, riuulos deducit. Vtq; impossibile est, carnem Christi vitæ illius perennis, virtute nimirum Verbi assumentis ipsi ingenitæ, vt ex eadem in nos, eiusdem Spiritus ἐνεργείας scaturiat, expertem esse: ita fieri nequit, quin omnes, quicunque carnem illam viuificam

Quot modis caro Christi dicatur viuifica.

I.
II.
III.

Ste. Cyrill. lib. 10. cap. 33. in Ioan. Ioannis 6.

Heb. 5.

Caro Christi quomodo panis viuus.

Iohan. 6.

Caro Christi vere gustata omnino viuificat. Cyrill.

reuer-

reuera deguſtare dici poſſunt, ſimul viuificentur. Atqui infideles quamuis ad communem nobiſcum menſam Domini interdum ſeſe ingerant, minimè tamen viuificantur: aut igitur carnem Chriſti non niſi Sacramentotenus in ſacra Cœna eoſdem participare fateatur Antagoniſta, & tandem aliquando viros Orthodoxos vt Sacramentarios traducere ac proclamare deſinat: aut ſi omnino ipſam carnis Chriſti eſſentiam, quam nos ſola fide apprehendi poſſe ſentimus, impuro ſuo roſtro polluiſſe, & realiter atque ſubſtantialiter, vt loquuntur, ore corporis percepiſſe infideles, ſine tamen viuificationis fructu, contendet, re ipſa ſe deſtruere agnoſcat, quod manibus clamoribus aſſerit, nimirum carnem Chriſti realiter viuificam eſſe: cùm quos minimè viuificat, eius tamen realiter participes fieri negetur. Atque ita craſſus non modò Sacramentarius eſſe, verùm etiam carnis Chriſti viuificæ impius abnegator, hoc eſt, in manifeſto ſacrilegio deprehenditur. Quòd autem addit, Chriſtum nunc etiam ratione humanæ naturæ, ad dextram omnipotentis virtutis, & maieſtatis Dei ſedentem, qui iuxta diuinam naturam ipſa dextera Dei ſit, in ea, cum ea, & per eam viuificare: id verò nec realem Idiomatum communicationem excuſat, aut confirmat, nec Orthodoxæ ſententiæ, quam iſtius delirij vanitati opponimus, aduerſatur, & ſatis ſuperq; iam antè explicatum eſt. Quòd verò ſine carne viuificationis opus nuſquam vnquam, vt loquitur, ſed vbique & ſemper in ea, cum ea, & per eam perficiat, hoc non ſimpliciter concedit Eccleſia. Ideoq; breuem explicationem aſſcribere non pigebit. Cum autem quæ hic ſpeciatim de viuificatione dixit, alibi ſimpliciter ad omnes Verbi actiones extendat, quas ſecundum quartum hunc realis communicationis gradum ſine exceptione vniuerſaliter ita cum carne Chriſti partitur, vt quicquid egit, agitve ὁ λόγος incarnatus, non tantùm in, & cum ſua carne, quod concedit Eccleſia, quia vnio hypoſtatica in Chriſto perpetua & inſeparabilis eſt: verùm etiam per eam, vt inſtrumentum ſemper egiſſe, aut agere clamitet, quod negat Eccleſia: propterea refutationem etiam generalem opponamus, quam breuiter ſic accipe.

Ambroſius in 24 ca Luca: Non corporali Chriſtum tactu, ſed tantùm fide tangimus.

Luc. Andr. craſſus & ſacrilegus Sacramentarius.

Conſtat eadem Sophiſtica vſum eſſe Apollinarem, qui carnem Chriſti nudum Verbi organum eſſe contẽdebat, vt ſuum blaſphemum dogma, quo λόγον vice animæ in Chriſto fungi ſomniauit, eò facilius obtineret, atq; ita non tantùm cum Ario diuinitatem Chriſti, verùm etiam cum Neſtorio perſonam Filij incarnatam, ſeu vnionem duarum naturarum hypoſtaticam impugnaret. Sed his omiſſis, cum quibus tamen Vbiquitarios re ipſa (ſiue ſcientes, ſiue imprudentes id faciant, nihil refert) colludere certum eſt: reſpondemus iam

Error Apollinaris.

Resp̃sio ad quæstionẽ.

κατὰ μεσιτμὸν. Quicquid enim Christus agit, vel intra se, vel extra se agit. Ad neutra verò istorum operum corporis semper ministerio vtitur. Ergo non est simpliciter verum, quòd omnia in omnibus perpetuò non nisi per assumtam carnem operetur. Minorem probo. Nam si de operibus illis quæratur, quæ intra se Christus agit, ea sæpe etiam sine corpore, vt instrumento, fieri, testatur resuscitatio huius ipsius corporis ex morte, quæ sic facta fuit, vt corpus se ipsum resuscitasse nequaquam dici possit, cùm resurrexerit virtute Verbi omnipotente, quæ adeo ab ipsa essentia diuina separari non potest, vt etiam Apostolus

Rom. 12.

Christum Dei Filium, dicat demonstratum fuisse eo ipso, quòd ex morte resurrexit. Quod argumentum dubium & inualidum esset, si quis contendat, in resuscitatione sui corporis τὸν λόγον vsum fuisse quoq; ipso corpore, vt instrumento. Item Christus in sapientia & scientia profecit, atque ipse de se dicit, quòd ignoret vltimi iudicij diem. Nõ igitur λόγος quicquid agit, per humanam naturam agit. Sic patefecit λόγος suæ animæ, cogitationes cordium absque corpore, vt ipso pro instrumento non vtatur. Idem quoque patet in operibus externis, id est, quæ extra se Christus facit. Qua enim ratione, cùm in cruce animam exhalasset, & corpore mortuus penderet, per hoc ipsum corpus, vt per instrumentum, templi velum discidit, terræ motum induxit, sepulcra aperuit, mortuos ad vitam reuocauit? Sic puerum Centurionis curauit eo in loco, vbi essentia humanitatis non erat præsens. Non igitur per corpus, vt instrumentum, illud egit diuinitas. Præterea humana natura creatrix non est, cùm ipsa sit creatura. Quæ igitur hodie creantur, vt animæ, ista creat λόγος sine corpore, vt creationis illius instrumento. Sic quoque conseruatio rerum creatarum (quæ cùm nihil aliud sit, quàm continuata creatio, argumentum eiusdem æternæ, infinitæ, ac omnipotentis naturæ est) sine humanitate Christi, vt organo, à Verbo quotidie præstatur.

Vbi hic est realis diuinarũ actionũ cõmunicatio in carne?

129. Hæc cùm ita se habeant, manifestum est, nullis vel sacræ Scripturæ, vel sanctorum Patrum testimoniis, nisi in alienum sensum detortis, realem illam vel essentiæ, vel personæ τοῦ λόγου, vel diuinæ maiestatis, vel actionum Deitati propriarum κοινωνίαν: quæ nihil aliud est, quàm Physica naturarum & proprietatum confusio, & Nestoriana personæ Christi diuulsio, totiúsq; mysterij incarnationis deletio, probari aut demonstrari posse. Id quod ex hac ipsa congerie testimoniorum, qua Lectorem Disputator obruit, omnibus sana mente præditis æstimandum & diiudicãdum relinquimus, cùm ex nullo istorum dictorum, quæ citat, vel phrasin, vel sententiam realis Idiomatum communicationis, quam noua iste fidei architectus stultè fabricare conatur, vlla vi extorquere,

Testimoniis Patrũ fœdè & nefariè abutitur Iac. Andreas.

quere, nedum διαῤῥήδην deducere, aut bona consequētia elicere queat: quāuis in obscurissimis potiùs, quàm dilucidioribꝰ colligēdis occupatum fuisse, res ipsa loquatur. Nec. n. dubium est, quin suas etiam Orthodoxi Patres ἀκυρολογίας habeant: cùm nemo ita circumspectus esse possit, quin alicubi impropriè loquatur. Quid? quòd plerag, veteres panegyrico more in Ecclesia dixerunt, quæ in regulam doctrinæ transformari vetat Theodoretus. Acceßit præterea contentionis interdum feruor, vt in Cyrilli scriptis videre est, cui in certamine aduersus Nestorium, propter locutiones duriores, etiam purgatione opus fuit. Vnde rectè Basilius discernendum monet inter ea, quæ ἀγωνιστικῶς καὶ ἐριστικῶς, & quæ δογματικῶς scribuntur. Ne tamen citata testimonia, vel reiicere, vel reformidare videamur, agè, quæ singulorum vis sit, breuiter expendamus, & suorum quemlibet verborum interpretem audiamus. Ex Nysseni igitur testimonio, licet in infinitum vrgeatur: tamen nihil aliud extorquebitur, quàm quòd de vnionis gratia loquatur, qua sicut ipsa Verbi diuinitas, ita etiam virtus ipsius, quæ à diuinitate inseparabilis est, assumtæ humanitati tradita, intelligi potest. Si quis aliquid amplius elicere conabitur, respondebo liberaliùs, nimirum de vnione naturarum Christi hypostatica ita illum loqui, vt ineffabilis huius mysterij virtute naturam assumtam ab assumente perfici, non autem è contrario in assumentem ab assumta aliquid infirmitatis redundare testetur. Id quod gratiam habitualem apud scholasticos haud ineptè appellari, iam antè non semel admonuimus. Quid autem hoc ad realem Idiomatum communicationem, qua caro Christi realiter omnipotens, omniscia, & vbique esse contenditur? Sed tradidit nihilominus, inquis, Deus Verbum corpori & animæ suæ diuinitatis virtutem? Audio suo quodam dicendi genere vtentē Nysscnum (si tamen hoc dictū Nysseni est, quod ex Dialogo ipsius de anima, quem cum Macrina sorore, super funere Basilij fratris instituit, nūquam demonstrabitur) sed realis Idiomatum communicationis, nec phrasin, nec sensum inde percipio. Quin imò sicut ipsam Deitatem, ita Deitatis suæ virtutem tradidit carni assumtæ, per vnionis videlicet, non per effusionis gratiam. Manfit enim idem Deus Verbum post carnis assumtionem, quod erat & ante vnionem.

Dial.

Dicta Patrum panegyrico more, sed incō tentione, non sunt in doctrina regulā semper transformanda.

Epiphanij dictum si ῥητῶς, hoc est, simpliciter, vt in thesibus verba referū- tur, admittit Disputator, cedo, quid inter suum & Monotheletarum dogma discriminis relinquet? Si enim vnam Christi, qua Deus, & qua idem homo est, potentiam esse statuemus, vnica etiam erit voluntas, eadem operatio, nulla denique naturarum distinctio, si quod vult Disputator, ipsa Deitas, eiusq, potentia carni realiter est communicata. Adhibeamus ergo in citandis Patrum

Locus Epiphany.

testimoniis iudicium, & quædam liberiùs dicta pro circumstantiarum ratione commodè interpretemur, nec occasionem inde arripiamus humana defendendi somnia, quibus fidei analogia turbatur, & veritas Symboli euertitur.

Crimẽ falsi à Iac. And. in citando Epiphanio cõmissum.

Quid si autem in Epiphanij dicto mutilando, & in alienum prorsus sensum detorquendo, crimen falsi à Disputatore commissum dixerim? Et id certè dico. Iudicet lector ex contextu, quid dicã. Opponimus enim falsario locum integrum. Sic ergo Epiphanius de Christo Domino: in Ancorato. pag. 575: Idem Deus *(inquit)* idem homo, qui non confusionem operatus est, sed duo miscuit *(nominabant autem olim vnionem mixtionem, pio sensu, quem postea corrupit Eutyches)* in vnum [*scilicet hyphistamenon*] non ad interitum cedens: *(hæc omnia Disputator omisit)* sed corpus terreum vnà cum Ditate potens efficiens, in vnam virtutem viuit, in vnam Deitatem collegit, vnus existens Dominus, vnus Christus, non duo Christi, neque duo Dij, seu Domini. *Habes exemplum, vnde colligas licet, qua fide Vbiquitarij Patrum testimonia citent. Realem certè Idiomatum κοινωνίαν nunquam somniauit Epiphanius, sed de vnitate personæ, qua idem Christus, Deus, & homo est, non alius, atque alius, pro consuetudine loquendi, ante hæresin Eutychianam minùs adhuc suspecta & expolita simpliciter disserens, rectè tribuit Christo corpus terreum, quo ipso epitheto Vbiquitarium, hoc est, phantasticum & Martioniticum corpus reiicit. Vnicam præterea cum corpore terreo, seu assumta humanitate per vnionem, in Christo Deitatem, & vnicam omnipotentiam agnoscit. Vanum igitur somnium esse sequitur, quo per realem Idiomatum communicationem alia fingitur esse Deitas & omnipotentia in Christo participans, alia participata: seu communicans alia, alia communicata. Neq; verò corpus Christi omnipotentiam in se recepisse, aut sibimet acquisiuisse dicit, sed potens esse factum, vt nimirum ceteris creaturis virtute & potentia etiam in sese carnem Christi antecellere doceat. Denique corpus illud in vnam Deitatem collegisse, hoc est, copulasse sibi, & in vnam virtutem vniuisse Dominum scribit, non vt naturas in Christo confunderet, aut proprietatum distinctionem tolleret, aut in vnam simpliciter potentiam, vt Antagonista sentit, reduceret, sed potiùs vt personæ vnitatem exprimeret, in qua idem Deus, idem homo, vnus est Christus vnus Dominus, non duo Christi, aut duo Domini.*

Caro sicut in vnã personam, ita in vnã deitatẽ & virtutem vnita & collecta est.

Locus Cyrilli.

Cyrillus se ipsum explicat. *Postquam enim dixit, carnem Christi factam esse viuificam, & viuificare posse, quia totam Verbi operationem suscepit, statim rationem huius locutionis subiicit:* Corpus enim est, *inquit*, non cuiusuis

iusuis hominis, sed ipsius vitæ. Et Christi corpus, in quo Deitatis plenitudo corporaliter habitat, facere hoc potest. *Dicitur ergo à Cyrillo humanitas Christi totam Verbi operationem susceпisse, respectu vnionis, quia videlicet suscepit ipsam τοῦ λόγου diuinam naturā, nempe quia huius propria facta est personali vnione, vel quia in carne illa Deitatis plenitudo, quæ vitæ fons est, σωματικῶς habitat. Vt autem Vbiquitaria ex Cyrilli locutionibus sententia demonstrari nequit: ita ne quidem explicare se ipsum dilucidius potuisset, quàm cùm inquit*: Quia naturaliter vita existens ὁ λόγος in illa carne assumta habitat. Item, quia caro illa non sola esse intelligitur in Christo, sed habet Filium Dei coniunctum, qui substantialiter vita est. Item, quia propria facta est Verbi, quod omnia viuificat. *Hæc verba, in quibus nulla realis communicationis mentio fit, sed causa viuificationis in λόγον confertur, abundè sufficiunt ad confutandos Vbiquistas, qui eiusmodi locutionibus Cyrilli malitiosè cum Eutychianis abutuntur. Ceterùm cur neget Cyrillus, vel mente comprehendi, vel lingua efferri posse, quomodo caro Christi ad virtutem Verbi per coniunctionem, hoc est, hypostasis vnitatem conscendens, sit viuifica, haudquaquam obscurum est. Quia enim viuificatio tribuitur carni, respectu vnionis & coniunctionis cum Verbo: vnio autem ἄῤῥητος est, & incomprehensibilis*: Ineffabile est enim, vt Cyrillus ait, quomodo caro absque confusione ad vnitatem Verbi ascendat: *ideo & ipsa viuificationis ratio rectè & verè ἄῤῥητος, & incomprehensibilis esse dicitur: id est, sicut caro ineffabiliter Verbo vnita est, ita etiam ineffabiliter viuificare intelligitur. Hoc modo sententiam hanc suam idem Cyrillus alibi lib. 4. cap. 15 latiùs explicat, quò lectorem remittendum esse censeo. Damasceni testimonia iam antè explicata sunt: & determinationes additæ satis perspicuè testantur, quòd nonnisi respectu vnionis personalis, in qua altera natura alterius propria facta est, cum omnibus suis proprietatibus, intelligi velit. Quorsum enim aliàs opus habuisset perpetuò illud addere, & inculcare,* propter hypostaticam ad Verbum vnionem. Item, vt Dei Verbi voluntas, scilicet propria, non tamen eadem, quæ Dei Verbi est, voluntas facta. Item, vt Domini anima, hoc est, propter vnionem ad ipsum Deum Verbum? &c.

Quomodo caro totam Verbi operationem susceпisse dicatur.

lib 4 ca. 24 in Ioan.

lib 11. ca. 27 in Io. in.

Loca ex Damasceno.

Athanasius denique sui ipsius interpres est. Loquitur enim de gratia vnionis, non de naturarum exæquatione, aut Idiomatum confusione seu transfusione, vnúmque duarum in Christo naturarum ἀποτέλεσμα esse ostendit, non autem vnicam, aut simplicem tantùm actionem. Id quod ex his

Hic nulla realis cõmunicatio in naturis apparet.

Locus Athan. à Iac. Andr. insidiosè truncatus.

Dial. 5. obiect. 27.

quæ ab authore thesium omissa sunt, liquidò patebit. Sicut enim pars rationcinatrix *(inquit Athanasius)* sua ipsius opera sic edit in animali, vt non sit separatum quippiam ab animali: ita Deus Sermo vnitus homini, edit prodigia minimè segregatus à natura humana, quòd ei pro sua bonitate placuerit vim suam diuinam per eam, & in ea, & cum ea exercere. Et veluti si quis cogitatione conceiperit Solem, magnum istud sidus, per lucernã, & in lucerna suam lucem emittere (rursum enim idem ex alia comparatione audias velim) non sunt duæ luces. Nec enim lucerna, vt altera lux, Soli opposita, splendet, sed splendet, Sole in ipsa, & per ipsam splendente, & ipsi lucernæ dominante, eamque vt sibi propriam vindicante, adeò vt Sol etiam accipiat ipsius lucernæ nomen: ita Deus Sermo vim suam in eo, quod est rationis particeps, & per animal ratione præditum exerens, facit pro sua bona voluntate animal, supra quàm ferat propria animalium natura, perfectum, neque tamen prohibet, quò minùs sit animal ratione præditum. Idemque adeo non dedignatus est homo vocari, neque dum ederet prodigia, seiunctus fuit ab eo, qui cum est vnitus, siue quem assumsit: sed ideo dicitur Sermo factus caro, non autẽ in carne, vt illam pro bona ipsius volũtate factam vnitionem nouerimus, eoque cognito, vnum, eundemq; Christum vt Deum & hominem agnoscamus. *Quid hinc quæso pro reali communicatione diuinarum proprietatum & actionum in humanam naturam, colligi & inferri poterit?*

Hæc similia Athanasii confutant realem Idiomatum communicationem.

Explicatis iam patrum testimoniis à Disputatore tetrè mutilatis, & in alienum sensum impiè detortis, præstat eorundem scriptorum dicta paulò diuiora lectori ob oculos ponere, vt habeat, quæ cum illis obscurioribus, quibus Antagonista se oblectat, pro luce fumos offundens, comparet. Obseruanda enim, & ambabus, quod dicitur, manibus tenenda hæc regula est, in primis vtilis, ac necessaria, vt Scripturam per Scripturam, obscura per clariora, pauciora per plura, ambiguè dicta, per ea quæ simpliciter & perspicuè dicta sunt, exponamus. Alioquin nõ poterit fieri, quin in cõplures antilogias, & cõtradictionũ implicationes incurramus, & omnem fidei certitudinem amittamus.

Regula interpretationis.

Nyssenus. Theod. dial. 1.

Si ergo Nyssenus in oratione de Abrahamo, eidem Christo pro naturarum distinctione & omnipotentiam, & infirmitatem ascribit: Sicut enim luci caligo, & mors vitæ *(inquit)* sic potentiæ opponitur impotentia. Sed Christus est potentia Dei. Non igitur potentiæ quidquam est impossi-

posibile. Si enim potentia infirma est, quid fieri poterit? Quando igitur dicit, quòd non posit facere, perspicuum est, quòd non diuinitati vnigeniti impotentiam tribuat, sed infirmitati nostræ naturæ imposibilitatem adscribat. Caro enim infirma est, sicut scriptum est, Spiritus promptus est, caro infirma. *Matth.26.*

Et in oratione contra Eunomium: Qui dixit: Deus est Spiritus, Iohan.4. Idem ad discipulos inquit, Lucæ 24. Contrectate me, vt ostendat, solam humanam naturam tangi posse, diuinam verò tangi non posse. Et qui dixit, Vado, localem migrationem significans, idem omnia comprehendit, sicut inquit Apostolus Colos. 1: Per illum omnia condita sunt & per illum omnia consistunt. Nihil ergo omnium rerum extra se habet, qui tamen mouetur, & locum mutat. *Item:* Nec viuificat Lazarum humana natura, nec lacrymis deflet iacentem impatibilis potestas, sed propriæ quidem hominis sunt lacrymæ, Vitæ autem ea, quæ verè ad vitam pertinẽt. Non pascit multa millia humana paupertas, nec currit ad ficum omnipotens potestas. Quis defatigatur labore itineris, & quis totum mundũ sine labore sustentat verbo, quid est lucis splendor, quid est clauis confixum, qualis forma in passione virgis cæditur, & qualis ab æterno glorificatur? *Hæc manifesta sunt, etiamsi nemo verbis addat interpretationem. Tertull. aduersus Praxeam* Videmus duplicem statum, non confusum, sed coniunctum in vna persona, Deum & hominem Iesum. De Christo autem dissero. Et adeo salua est vtriusque proprietas substantiæ, vt & Spiritus res suas egerit in illo, id est, virtutes, opera & signa, & caro passione sua functa sit.

Dial.2.

Caro Christi per realem cõmunicationẽ non est vbique & semper.

Dial.5.

Tertullianus.

Epiphanius in Ancorato, pag.573. Verbum caro factum est, qui natura non immutatus est, qui cum Deitate susceptit humanam naturam, perfectus existens à Patre. Qui perfectam dispensationem impleuit, & venit in mundum propter nos, & propter nostram salutem. Qui carnem & animam humanã accepit, perfectus existens à Patre, & in carne inter nos versatus est, non apparentia, sed veritate. Qui perfectum hominem in se ipsum efformauit ex Maria Deipara per Spiritum sanctum. *Et paulò pòst*: Hominem autem dico perfectum, quæcunque in homine, & qualiter homo, & si quid est homo: hunc venit, & accepit vnigenitus, quo in perfecto homine, perfectè totum negotium salutis Deus ipse existens

Epiphan.

Verbũ quo modo in omnibus humanatu ra proprietatibus sit caro factũ.

operaretur, ita vt nihil hominis relinqueret, vt ne relicta pars, rursus in partem edulij Diaboli cederet. *Item pag. 574*: Quid igitur est homo? Anima, Corpus, Mens: & si quid est aliud. Quid igitur, vt saluaret, Dominus venit? omnino hominem perfectum. Igitur omnia quæ sunt in ipso, perfectè accepit. *Et paulo pòst*: De Christo dicit Euangelium: Proficiebat sapientia & ætate. Deitas non susciput ætatem, neque sapientia caret, quæ tota sapientia existit. Verùm sapientia proficiebat Saluatoris humana natura, nō mentis exors, quandoquidem neque falli potuit. Et ætate proficiebat, cùm reuera puer creſceret. *Idem in fine eiusdem libri, recitato Symbolo Niceno, cum Synodi Constantinopolitanæ aduersus Macedonium appendix, illustrem hanc paraphrasin subiicit articulorum fidei Orthodoxæ de Christo*: Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit, & incarnatus est, hoc est, genitus est perfectè ex sancta Maria semper virgine, per Spiritum sanctum, & homo factus est, hoc est, perfectum hominem suscepit, animam, & corpus, ac mētem, & omnia quicquid est homo, præter peccatum: non ex semine viri, neque in homine, sed in se ipsum carnem efformauit, in vnam sanctam vnitatem: non quemadmodum in Prophetis inspirauit, & locutus est ac operatus, sed perfectè homo factus. Verbum enim caro factum est, non mutationem passum, neq; transmutata Deitate in humanitatem, sed ita vt counierit suam sanctam perfectionem ac Deitatem in vnam. Vnus enim est Dominus IESVS CHRISTVS, & non duo: idem Deus, idem Dominus, idem Rex. Idem passus est in carne, & resurrexit, & ascendit in cælos in ipso corpore, gloriosè sedens in dextera Patris, venturus in ipso corpore in gloria, ad iudicandum viuos & mortuos. Cuius regni non erit finis. *Hæc Epiphanius, pag. 593.*

Hæc pertinent ad superiorisloci interpretationem.

Cyrillus Alexandrinus.

Cyrillus Alexandrinus Anathematismo 2: Si quis non confitetur, carni secundum substantiam vnitum Dei Patris Verbum, vnumque esse Christum, cum propria carne, eundem scilicet Deum simul & hominem, anathema sit. *Item*: Dicimus eundem Christum palpabilem esse, cùm sit impalpabilis: visibilem, cùm sit inuisibilis. Non enim alienum ab eo corpus est, quod illi coniunctum, & palpabile & visibile esse dicimus. *Idem in Epistolam ad Hebræos*: Quamquam dicitur vnitus esse carni personaliter vnigenitus Dei λόγος non

Theodor. Dial. 2.

non tamen transfusionem vnius naturæ in alteram factam esse dicimus, cùm potiùs sit vtraque id quod est. *Et in libro de incarnatione*: Omnino hanc cogitationem suscipe, quòd alterum in altero habitet, hoc est, diuina natura in humanitate, & expers fermẽtationis, aut transfusionis, aut mutationis, sit quod erat. Quod enim dicitur in alio habitare, non illud fit quod est, in quo habitat, sed potiùs intelligitur alterum in altero, & significatur sola differentia inter naturas Verbi & carnis. Vnus enim ex vtraque consideratur Christus. *Item*: Decebat nullam aliam rem & creaturam viuificare posse, etiamsi intelligatur Christi caro, secundum quod caro est, nisi solam diuinitatis naturam. *Satis hoc loco perspicuè declarat Cyrillus, quomodo caro Christi per vnionem viuifica sit, non κατὰ ἑαυτὸν sed κατὰ ἄλλο, hoc est, in ipsa naturaliter viuificãtis Verbi virtute, ad quam per coniunctionem seu vnionem cum ipso Verbo ineffabiliter conscendit.* *Item*: Non carni, vt caro est, operationis diuinæ virtutem, sed naturæ Verbi attribuimus. Nulla enim res, quæ propria opera Dei sunt, facere potest, nisi substantialiter Deus sit. *Item*: Spiritus est, qui viuificat, caro nihil prodest. Apertè hîc ad sanctificãdum, viuificandumque nihil prodesse carnem ostendit, in quantũ scilicet humanæ naturæ caro est. Quum igitur seruatio Deitati tribuatur, non debetis, inquit, carnis præsentiam propter hoc desiderare. Sciamus. n. firmiterq; credamus, non solùm hominẽ illũ, sed etiá verũ Deum esse. Hoc enim solummodo pacto etiam carne absens seruare suos poterit, qui perfectũ habebunt gaudiu, vbi se virtute omnipotentis protegi non dubitant.

lib. 6. de Trin.

lib. 11. cap. 27. in Ioannem.

Damascenus lib. 4. cap. 19: Oportet excelsa attribuere diuinæ, & meliori naturæ passionibus & corpore, humilia verò humanæ, & cõmunia composito, id est, vni Christo, qui est Deus & homo. Neque latere decet, vtraque esse vnius, & eiusdem Domini nostri Iesu Christi. Cuiusque enim proprium agnoscentes, & vtraque ab vno patrata videntes, rectè credemus, neque errabimus. *Ex quibus vniuersis, vnitarum naturarum differentia monstratur, & quod non idẽ (vt diuinissimus inquit Cyrillus) in naturali qualitate, diuinitas & humanitas.* Vnus nimirum Filius, & Christus, & Dominus: & vt vno existente, vna eius & persona: nullo modo, propter agnitionem differentiæ naturarum, vnione secundum hypostasin diremta.

Athanaſ. *Athanaſius de incarnatione Chriſti:* Perfectus appellatur Deus, & perfectus homo Chriſtus, non quòd diuina perfectio in humanam perfectionem tranſeat, quod eſt impium, neque quòd duæ perfectiones ſeorſum ſint conſtituẽdæ, neque verò ſecũdum profectum augeſcentis virtutis, aut acquiſitionem iuſtitiæ. Abſit, ſed ſecundum vnionem, qua vnus eſt, vtrinque per omnia idem & Deus, & homo.

Theodor. Dial 2. *Cyrillus Hieroſoly-mitanus.* *Cyrillus Epiſcopus Hieroſolymæ:* Crede, quòd hic vnigenitus Filius Dei, propter peccata noſtra è cælis deſcẽderit in terram, & aſſumſerit humanitatem, habentem omnes vires & appetitiones naturæ proprias, & natus ſit ex ſancta virgine, & Spiritu ſancto. Nec verò opinio aut phantaſia fuit incarnatio, ſed veritas, nec tanquam per canalem tranſiens per virginem, ſed incarnatus verè ex ipſa, comedit vt nos, verè, & verè nutritus eſt lacte materno. Si enim phantaſia eſſet incarnatio, eſſet etiam ſalus noſtra inane ſpectrum. Fuit enim duplicis naturæ Chriſtus, homo quidẽ viſibilis, Deus verò inuiſibilis. Ac comedit quidẽ vt homo, verè, ſicut nos: Habuit enim naturam nobis ſimilem: pauit verò quinque panibus quinque millia, vt Deus. Mortuus eſt item vt homo, verè, mortuum verò quatriduanum reſuſcitauit vt Deus. Denique dormiuit in naui, vt homo, & ambulauit in aquis, vt Deus.

Miracula Chriſti ſunt ipſius diuina & omnipotentis natura.

130. *Ex his omnibus luce meridiana clarius eſt, Diſputatorem authoritate Orthodoxæ antiquitatis impudenter abuti, quoties eam ad ſua ſtabilienda deliria de reali eſſentiæ, perſonæ, maieſtatis & actionum Deitatis κοινωνίᾳ facta carni, detorquet: cùm ne quidem in mentem Orthodoxis venerit portenta iſta, quòd caro Chriſti, per realem Idiomatum communicationem, ita ſit vel glorificata, vel exaltata, vel deificata, vt non minùs, quàm ipſa Verbi diuina eſſentia, ſit omnipotens, omniſcia, vbique, in quouis cantharo cereuiſiario, & in qualibet braßica.*

131. *Blaſphemam ergo Vbiquitariorum doctrinam, & in Filium hominis contumelioſam eſſe affirmamus, qua ſine conſcientia, & ſine omni fronte aſſerunt: Quòd hæc communicatio, quam ratione naturæ humanæ factam contendunt, ita vera ſit, vt propria Deitatis, humanæ naturæ, & voce, & re ipſa poßint, debeántq; adſcribi: idq; profana & craſſa imaginatione adducti, quæ myſterium incarnationis ὃ λόγου, per carnis aſſumtæ mirabilem quandam capacitatem, & Verbi incluſionem factam ſomniant, eoq; malitioſè detor-*

quent,

quent, aphorismum Apostoli iam antè explicatum: In ipso (scilicet Christo, qui non tantùm caro, sed simul Deus, & homo est) tota plenitudo Deitatis habitat σωματικῶς, Coloss. 2. At quid iidem isti Spermologi ad locum Ioannis, vbi testatur, Iesum Christum in carne venisse, dicturi sunt? Asseréntne, Iesum Christum (quæ nomina sunt significantia totam personam, simul cum officio personæ) ita venisse, vt secum carnem attulerit de cælo? (quod aliquis pertinaciter inhærens verbis dicere posset) an non potius cum Orthodoxa Ecclesia fatebuntur, hoc dici ab Euangelista & Apostolo Ioanne, quòd Iesus Christus verus Deus sit, & in vnitatem personæ assumserit naturam humanam? Idem enim Iohanni est, Iesum venisse in carne, quod Paulo, Deum in carne manifestatum esse. 1. Timoth. 3.

1 Ioan. 4.

Sic sensit Apollinarius.

132. *Vt autem deprauationem illam dicti Paulini grauiter refutat Chrysostomus in enarratione Euangelij Ioannis: cùm inter cetera sic scribit*: Habitans in tabernaculo, & ipsum tabernaculum non sunt idem, sed aliud in alio habitat, alioqui non esset tabernaculi collocatio. Nihil enim in se ipso habitat. Dico autem Aliud consideratione essentiæ. Nam vnione & copulatione, vnum sunt Deus, Verbum & caro, non facta confusione, aut deletione essentiarum, sed vnione ineffabili. *Ita quod sapiens antiquitas per capacitatis phrasin, qua interdum in hoc mysterio, quoties præsertim Christi cum sanctis comparationem instituit, vsa est, nihil minùs quàm delirium Vbiquitariorum (qui naturam finitam carnis assumtæ ita faciunt capacem infinitissimæ Verbi assumẽtis immensitatis, vt eandẽ cum Verbo simul cælum & terrã implere somniẽt) stabilire voluerit, testantur sequentia eorundem scriptorum testimonia. Iustini certè dictum valde mutilatum est, quod lector ipse ex postrema libri illius pagina diiudicet. Sufficiat enim hic luculentam eiusdem autoris regulam annotasse, quæ toti controuersiæ lucem affert*: Idem est Filius, qui & concidit, & collapsa restituit: in quantum homo, cõcidit: in quantum Deus, restituit. Quoties igitur audieris de vno Filio voces contrarias, collatas inuicem, distingue iuxta vtramque naturam, magnificas, diuinásque diuinæ naturæ attribuens: quicquid autem exiguum & humanum, humanæ imputans. Sic enim & vocum earum discrepantiam effugies, reddendo sua cuique naturæ, & Filium vnicum antiquiorem seculis omnibus, eundem recens natum, iuxta sacras Scripturas confiteberis. *Sed de capacitate sic scribit Augustinus de incarnatione Verbi*; Non sentiendum est, quòd omnis

Chrysost. Theodor. dial. 2.

Iustinus in expositione fidei de Trinit. p. 199. 200. 205.

Vbi hic est realis actionum communicatio?

Augustin. li. 1. cap. 19. Adde epistolã 3 ad Volusianũ.

claritas eius & maiestas, intra breuissimi corporis claustra clausa sit, ita vt omne Verbum Dei, & sapientia eius, ac substantialis veritas, aut vita, vel à Patre diuulsa sit, vel intra corporis illius breuitatem coërcita & circumscripta, ne vsquam præterea putetur operata.

Nyssenus. *Gregorius Nyssenus in Catechesi:* Quis hoc dicit, quòd circumscriptione carnis, quasi quodam vase & receptaculo, natura infinita contineatur?

Dial. 2. *Theodoretus ex Apollinari citat hanc ipsius sententiam:* Inuisibile, simplex & immensum, corpori vnitum, nihilominùs manet inuisibile & simplex, nec iisdem terminis, quibus corpus, continetur, sed corpus manens in propria mensura, vnitur Deo, secundum viuificationem.

Athanas. Fol 46. *His astipulatur Athanasius lib. de incarnatione Verbi Dei, eiúsq; corporali ad nos aduentu:* Non in corpore λόγος circumclusus est, neque cùm in corpore adest, alibi deest, neque cùm illud mouet, alia eius vi, actu & prouidentia destituta sunt: sed quod summæ admirationis est, ea omnia ipse, cùm sit λόγος, comprehendit, & à nullo comprehenditur. *Et paulò pòst:* Mentis nostræ officium est, cogitationibus quæ foris extraque suum corpus consistunt, contemplari, actum tamen vimque suã extra corpus non porrigere, nec quæ longinqua sunt, ea sua præsentia mouere. Nunquã enim homo longinqua cogitans, ea quæ cogitat, statim mouet, aut transfert. Neque præterea si quis domi desidens de cælo cogitationes ineat, ideo cõtinuò & Solem mouerit, & cælũ circũuerterit, sed vt ea contuetur in motu, & in rerũ natura existere, ita vim suã in ea explicare non potest. Sed nequaquã eodem modo Dei Verbũ in corpore humano versatur. Non est enim colligatũ ibi, sed potiùs corpus in se cõtinet, adeo, vt & ibi sit, & in omnibus existat, & extra rerum essentias versetur, & in solo Patre requiescat. Neque cùm sit in omnibus, sit pars aliorum, sed omnia potiùs ab eo vitam, sustentationemque accipiunt. *Idem in libro de Synodis:* Cauendum est, ne iudicemus diuersam à Deitate substantiam, quam velimus capacem esse proprietatum primæ substantiæ. *Hæc Athanasius.*

Idem ferè Augustin. in epist. 3 & Vigilius Martyr contra Eutychen. Item Nazianzenus ad Cledonium.

133. *Ideoq; non tantùm impia, sed planè execranda hæc vox est, quæ carnem Christi per realem Idiomatum communicationem, ita fingunt capacem ess factam*

factam omnipræsentiæ & imminentis, vt ore blasphemo non vereantur asseuerare, in quouis etiam cantharo cereuisiario, & in qualibet brassica, carnem Christi realiter præstò esse. Quis hæc audiens, legénsve, nisi planè ἄθεος sit, non toto pectore cohorrescat?

134. *Cùm autem hæreticis, teste Damasceno, causam erroris hoc inducat, quòd non distinguant inter naturam & hypostasin: fieri non potest, quin hæretici nomen eo ipso reportet Disputator, quòd non tantùm hæreseos, verùm etiã blasphemiæ arguere, imò condemnare ausit Catholicam illam, planéq; Orthodoxam sententiam, qua enuntiationes hæ de Christo veræ esse asseruntur: Homo Iesus est Deus, omnipotens, immortalis, impatibilis. Item, Deus est homo, infirmus, mortalis, patibilis: Falsæ autem istæ, & haereticæ: Humanitas est Deus, vel Deitas: Humanitas est omnipotens, immortalis, impatibilis. Item: Deitas est homo, vel humanitas. Deitas est infirma, patibilis, mortalis. Aut igitur idem prorsus significare personam & naturam demonstret Disputator, atque ita simul Nestorianus, atque Eutychianus euaserit: aut eo ipso inquam, quòd distinguenda confundit, ex Damasceni regula hæreseos sibi errorem inductum agnoscat. Damasceni enim sententiæ astipulatur etiam Nazianzenus, orat. 2 de Filio, inquiens:* Hoc est, quod hæreticis errorem offundit, videlicet nominum coniunctio. Quod ex eo intelligi potest, quia cùm naturæ mente & cogitatione distinguuntur, etiam nomina discerni solent. *Sic quoque Iustinus in expositione fidei inquit:* Filius vnus cùm sit naturæ geminæ, iuxta alteram patrat miracula, iuxta alteram humilia quæque in se recipit. Quatenus enim ex Patre, & Deus, facit prodigia: quatenus è virgine, & homo, crucem, passionem & similia vltrò pertulit naturaliter.

lib. 3. cap 3. Causa erroris in articulo de persona Christi.

Homo, non autem humana natura est Deus & omnipotens.

135. *Planè autem abominandam, & ipsissimam Diaboli de Christo sententiam esse asserimus, qua blasphemus Disputator, blasphemo Alcorano aequiparare audet totius Ecclesiæ Catholicæ fidem Orthodoxam & immotam, quòd nimirum Christus, secundum æternam naturam, sit Patri & Spiritui sancto homousios, eiusdem inquam Deitatis, aqualis gloriæ, & coæternæ Maiestatis: secundum autem humanam naturam licet & Patre, & Spiritu sancto, adeoq; se ipso minor sit, nihilominus maiestate, potestate, gratia & gloria, ceteris q; donis gratuitis, creaturas omnes, mirum, planéq; ineffabilem in modum excellat: sed ita tamen, vt secundum eandem humanitatem creaturæ limitibus circumscriptus, & minor (quem admodũ in Symbolo habetur) Patre, eidem à, subiectus, qui omnia ei dedit, atq; subiecit, manere nunquã desistat.*

Intolerãda blasphemia Iac. Andr.

136 Hanc igitur omnium fidelium & sanctorum martyrum, quotquot vsquam pro Christo sub tyrannis præclara morte occubuerunt, fidem planè Orthodoxam, & verè Catholicam, qui eandem cum Alcorano esse mentiri non erubescit, eadem fronte Mahometum supra Deum euehet, & fœda Diaboli cloaca factus, omnem Christianam veritatem paulò pòst abiurabit.

Alcoranus de Christo, & puro homine loquitur.

137. Sicut autem deliræ aniculæ, cuius sibi criminis malæ conscię sunt, eius labem vicinis, quibuscum rixantur, præueniendo solicitè aspergentes, se ipsas produnt: ita hæretici, cuius ipsimet culpæ rei tenentur, eius suspicionem & maculam, quibus infesti sunt, inurere maximè laborant, vt diuino quodam iudicio suam ipsimet in theatrum producant αὐτοκατάκρισιν. Eodem enim arcano Dei iudicio, Mahometicæ blasphemiæ suspectos, innocentes reddere conatur Vbiquitarij nostri, ne lateat Ecclesiam, quid per eos, siue tanti sceleris conscios, siue inscios, moliatur Sathanas, cùm iamdudum impij hinc inde per Trãssyluaniam, & alias regiones Antitrinitarij, iisdem (realis inquam, & nescio cuius Maiestaticæ Idiomatum communicationis) fundamentis, adstruendas suas in Dominum & Seruatorem nostrum blasphemias niti, ex scriptis ipsorum constet. Et sanè quàm procul absit Vbiquistarum mateologia à Serueticis blasphemiis, ex sequenti tabella, quæ bona fide collecta est, facile æstimabit, qui comparationem instituet. Mihi quidem vix ouum ouo, & lac lacti similius esse videtur. Est autem collecta ex Caluini refutatione, meo quidem iudicio lectu dignissima, quam opposuit Serueto, anno 54. Ibidem lectu paginas librorum Serueti, quibus istæ blasphemiæ continentur, annotatas reperiet, ne de fide collectoris dubitet.

Hic aduertant Iacobus Andr. & Vbiquistæ.

Nota bene.

Vbiquistæ eodem fundamẽto nitũtur, quo Antitrinitarij.

Vide Apologiam Turinorum contra Iac. Andr. cap. 22.

Tabella blasphemiarum Serueticarum, quas Vbiquitarij iamdudum imitantur.

1. *Substantiam Verbi, & carnis Christi, vnam esse substantiam, contendit Seruetus: Et carnem Christi esse Deo ὁμούσιον, ideoq; Deum in carnem manifestatum dici.*
2. *Lucem creatam & increatam in Christo vnam esse lucem.*
3. *Participem Deitatis esse carnem Christi.*
4. *Glorificationem Christi non qualitatem, sed substantialem Dei lucem esse.*
5. *Vnionem in Christo esse substantialem vnitatem.*
6. *Animam Christi extitisse ex Spiritu sancto, & anima humana.*

7. *In Christo nullam esse gratiam, quæ sit qualitas creata.*

8. *In omnibus creaturis substantialem esse Deitatem.*

9. *Communicationem Idiomatum (non quidem realem inquam, sed illam ipsam ab Ecclesia receptam, & ab Vbiquitariis repudiatam) exitiale Sathanæ fascinum appellat. Item Diabolicum sophisma.*

10. *Tres dispensationis gradus in Christo statuit.*

11. *Deum in lapide, lapidem: in ligno, lignum esse dicit. epist. 6. pag. 589. & in Apologia, pag. 698.*

12. *Humanam naturam in Christo vnum esse cum diuina. lib. 4. de Trinit.*

13. *Quodammodo factam esse Verbi in carnem conuersionem, & personæ translationem, vt huic personæ carnis nunc tribuantur omnia. In Apologia pag. 697.*

14. *Carnem Christi esse Deum. lib. de Trinitate 3. pag. 96.*

15. *Gloriam, quam Christus Ioannis 17. testatur se habuisse semper apud Patrem, Deitati eripit, ac in hominem transfert: Cogita, inquit, quòd non Deitas, sed homo ipse petit glorificari, Ergo homo ipse erat glorioſius.*

16. *Item, sicut per incarnationem, inquit Seruetus, pag. 275. Verbum effectum est caro, vel creatura, ita per resurrectionem caro desiit creatura esse.*

17. *Vltrà etiam pag. 147 progreditur, Humanam in Christo naturam, vnum & idem esse cum diuina.*

18. *Quòd caro in Verbum transformata fuerit. Epist. 6. Non aliter in nos transfundi Deitatem, quàm homo in Christi persona in Deum assumtus est: vt verè sit hypostatica in nobis diuinæ & humanæ naturæ vnio.*

19. *Spirituale Christum corpus habere, quod cælum & terram sua plenitudine impleat.*

Hactenus de phrasibus Seruetici, quas Vbiquitarij hodie imitantur. Atqui ita, prob dolor, afflictissimi nostri seculi (est enim veritas temporis filia) experientia testatur, per hanc ipsam Eutychianam simul, & Nestorianam assertam communicationem Idiomatum realem, qua vnitas personæ soluitur, & naturarum proprietates confunduntur, quamplurimos in exteris illis regnis, abiecta Christianismi professione, ad Mahometismum seductos deficere. Quorum ruinam cùm Vbiquitarij iam tum vel inscij, vel conscij sectentur, quid nobis reliquum faciunt, quàm vt cum gemitu perniciem & cæcitatem ipsorum deploremus, atque cum Apostolo respondeamus: Exierunt à nobis, cùm non 1 Ioan. 2.
essent ex nobis? Ne autem hæc ita à nobis dici, non autem probari videantur, subiiciemus nunc collationem doctrinæ Antitrinitariorum cum ea quam Vbiquitarij profitentur.

Collatio doctrinæ Antitrinitariorum, cum ea, quam Vbiquitarij de Christo homine profitentur.

Causa propter quas homo Christus ab Antitrinitariis Deus esse dicatur.

In libro de Mediatoris Iesu Christi hominis diuinitate & æqualitate, qui editus est Albæ Iuliæ, anno 66, causas hasce recensent, propter quas hominem Christum Deum esse docent.

1. Hominem Christum ideo Deum esse dicimus & fatemur, quia est proprius Dei Filius, conceptus vtpote de Spiritu, ex vtero virginis, & per eundem Spiritū declaratus Filius Dei & Deus.

Philipp. 2.

2 Eundem Christum hominem Deum esse censemus, quia dedit ei Deus nomen, quod est super omne nomen, id est, nomen Dei Saluatoris.

Coloss. 1.

3. Dicimus ob id Christum hominem Deum esse, quòd omnis plenitudo diuinitatis in illo corporaliter inhabitat.

Matth. 26.

4. Quia data illi fuit omnis potestas in cælo & in terra. Quis verò hinc Christum omnipotentem factum esse negabit?

5. Quia Deus vnctus esse dicitur, & Spiritum Dei accepit absq; mensura, constitutus fuit in Regem regum, in Dominum dominantium, Sacerdotem vnicum & Pontificem, quæ prærogatiuæ alteri nemini competunt.

6. Quia Deus eundem ab Angelis adorari voluit, & vt illi genu omne flecteretur.

Idem Iac. And. in colloq. Maul. fol. 166.

7. Ideo Deum esse credimus, quòd soli homini Christo datum sit, vt habeat vitam in se ipso, & vt quicquid facit Pater, ille similiter faciat.

Sic Athan.

Ex his non obscurum est intelligere, Christum hominem Deum esse, ab Antitrinitariis dici & agnosci, nō κατὰ ἄλλο, propter æternā Filij Dei, cui vnitus est, sed propter communicatam homini Deitatē, quam in eodem libro cap. 7.

Forma Dei quid sit Antitrinitariis.

Formam Dei, in qua Christus homo fuerit, à Paulo vocari dicunt: Hanc enim Pauli mentem fuisse censemus, *aiunt*, quòd Christus cùm esset in forma Dei, id est, omnia regens Verbo virtutis suæ, & paterna potestate donatus, omnium Dominus, & expressa Dei imago factus, non est arbitratus rapinam, se esse in sublimi illa Dei forma, sed ea & omni potestate, quam habebat, spoliatus, formam serui induere voluisse. Idem verò est dicere Paulo, Esse in forma Dei, & æqualem Deo. Nam si nulla ratione Christus æqualis esse potuisset, quomodo eundem in forma Dei & verè humiliatum

Idem Iac. Andr. thes 200.

fuisse

fuisse dicemus? Ideo enim propriè dicitur humiliatus, quia erat ad æqualitatē exaltatus, & in forma Dei constitutus. Paulus enim non de inuisibili aliquo Filio Dei æterno, qui verè humiliari nulla ratione potuit (iuxta Sophistarum deliria) sed de homine Christo loquitur, de quo ait: Qui cùm esset in forma Dei, & æqualis potētiæ efficacia, id est, cùm esset ad dexteram Patris euectus, noluit illa abuti maiestate & potentia, sed ad vilissimi hominis speciem se demisit. *Idem*: Franciscus Dauidis & Blandrata: Plenitudo diuinitatis, *aiunt*, accipitur pro donis diuinis, quibus Christus exædificatus est, sine defectu, vt omnes nos ex ipsius sapientia participaremus, & impleremur. Significat igitur plena dona Dei, quæ ex parte etiam fidelibus dantur. *Item*: De æqualitate & inæqualitate Filij cum Patre, id in Ecclesia docemus, nempe Filium Patri æqualem esse diuinitatis plenitudine, qua per vnctionem Spiritus sancti Messias noster, Rex & Sacerdos factus est, pari omnipotentia, & diuinæ maiestatis potestate à Deo Patre donatus. Nā iuxta hanc donatæ potentiæ, donorumque absque mensura, & cum omni plenitudine à Patre acceptorum, efficaciam, hæc æqualitatis ratio considerari debet, interim tamen semper Dei Patris Monarchicæ dignitatis prærogatiua inuiolata manente. Nam Christus expresè dicit, Pater maior me est. *Item*: Nihil potest Filius à se ipso facere. *Et*: Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.

Exaltatio hominis Christi secūdum Vbiquitarios.

In libro contra Coralinum.

Matth. 28.

Cōmunicata homini omnipotentia.

Hæc sic de hominis Christi Deitate, ac forma Dei, ipsiúsq; cum Deo æqualitate Antitrinitarij, quos, manifestū est, omnes Scripturæ locos, de Christi Deitate, ad communicatam Diuinitatis plenitudinem, omnipotentiam, aliáque Spiritus sancti dona, quæ huic homini sine mensura sint data, fraudulentæ peruersitate detorquere: Hoc autem quomodo eadem prorsus fraude, per realem illam Idiomatum, quam docent, communicationem, faciant Vbiquitarij nostri, videamus.

Brentius, Vbiquitariæ huius sectæ Antesignanus, in libro de Maiestate Christi, Antitrinitariis saltem in hoc consentire volens, sic scribit: Voco autem in præsentia (ficut & in suis locis suprà) diuinitatem Christi, non eam, quam Filius Dei in se ab æterno habuit, sed quam tempore incarnationis Filio hominis communicauit, seu (vt Augustini verbo vtar) participauit. Alia est enim diuinitas communicans, seu participans: alia communicata seu participata: sicut alius est

Fol. 19.

Nestorianismus & Arrianismus.

In Recogn. fol. 47. donator, aliud donum. *Item*: Nulla creatura tam abiecta est, cui non communicetur aliquid deitatis: In homine autem Christo non adumbratur tantùm aliqua pars deitatis, sed deitas in eo absoluitur perfectissimè, hoc est, communicatur in omni sua plenitudine. *Hoc modo vult in Christo, iuxta dictum Pauli, omnem diuinitatis plenitudinem habitare. Et de forma Dei in Christo sic scribit:* In hoc loco Pauli, vocabulum formæ Dei accipiẽdum est pro proprietatibus, conditionibus, & ornamentis deitatis, quibus Filius hominis, quem Filius Dei in vnam personam assumsit, propter personalem vnionem decoratus est. Homo igitur Christus habuit ab initio incarnationis participatam sibi diuinitatem, aut æqualitatem Dei, (quemadmodum Paulus ait) vt esset verè omnipotens, omnisciens, & omnipræsens. Hoc est enim hominem esse Deo æqualem. *Hæc sic Brentius, quibus homo leuis, vafer & inconstans ea, quæ antea in hac Pauli locum Orthodoxè scripsit, pessima fide retractat & euertit.*

Coloss. 1. Lib. de Maiest. Christi fol. 80. 81. Ad Phil. 2. Sic homo Christus est æqualis Deo & minor Deo, vt sentiũt Antitrinitarij.

Quibus consentanea passim scribit noster Disputator. Postquam enim in sua contra Ingolstadienses Apologia, ista Scripturæ loca, Matth. 28. Ioan. Psal. 110. Ephes. 1. Coloss. 1. & Hebr. 2 recitasset: Hæc, *ait*, sunt testimonia illustria, quæ docent, cur homo Christus dicatur Deus, non quia Deus sit in ipso (qui in omnibus creaturis est non modò natura, sed etiam secundum subsistentiam) sed quia in assumtione carnis dedit huic homini omnem potestatem in cælo & in terra, ornauit ipsum omni scientia & sapientia, communicauit ei omnia dona Spiritus sancti, collocauit eum super omnem principatum, dedit ei nomen super omne nomen, quod nomen est Dei nomen. Et hoc est hominem quoque esse Deum. Nam de æterna Filij diuinitate, quæ in se est, hìc nihil disputamus: Et hoc nisi fateantur nobiscum pij omnes, sequetur aut Christum non esse adorãdum secundum humanitatem, aut si adoratur, manifestam idololatriã committi. *Item:* Vt vno verbo dicam, cùm hominem Deum esse dicimus, nihil aliud per hoc intelligimus, quàm quòd homo ad dexteram Dei sedeat. Quod sedere ad dexteram, est hominis deuinitas, quæ aliâs nulli creaturæ contingit. *Item*: Quatenus homo fuit Christus, potuit mori, & quatenus Deus, habens communicatam deitatem, potuit mortem, quæ totius mortis expiatio esset, superare. *Item in Epitome Colloquij Maulbrun.* Hunc hominem Deum

Fol. 25. *Fol. 39.* *Deitas creatura.* *Protocoll. Heidelb. fol. 164.*

ita in vnitatem personæ assumsit, vt omnem maiestatẽ sibi communicarit, non quòd humanitas sit deitas, sed quòd homo factus est æqualis Deo, & Deus in hunc hominem omnem suam maiestatem & gloriam effuderit: ita (vt hoc appositè declarem) quòd sicut Pater habet vitam in se ipso: Sic etiam dedit Filio habere vitam in se ipso, & potestatem faciendi iudicium, propterea quòd Filius hominis est. Itaque hic homo Christus non aliena vi[illegible]te, vt Petrus, sed propria sua potestate excitat mortuos. Est enim secundum humanitatem suam non tantùm viuus, sed etiam virtutem habet alios viuificandi, & tanquam homo à mortuis excitandi: Sicut etiam propter hanc virtutem caro ipsius viuificus cibus esse dicitur. Vnde Ioannes ait: Ex plenitudine eius omnes accepimus, cuius potentia & virtus non est ad mensuram, sed qui Spiritum accepit absque mensura, quod non de diuinitate ipsius, sed humana natura est dictum. *Item*: Forma Dei apud Paulum non est ipsa Dei essentia, sed communicata maiestas & omnipotentia humanæ naturæ, secundum quam Deo æqualis est. *Item*: Hæc est plenitudo Deitatis, id est, donum Spiritus, non ad mensuram. Non est enim ipsa natura aut substantia Spiritus sancti, aut λόγον, sed donum, inquam, homini Christo collatum.

Christus vt homo communicata potestate excitat mortuos. *Vide Synodum Ephesinam.* *In Epitom. coll. Maul.* *Contra Ingolst. fol. 22.*

Ex hac collatione doctrinæ Antitrinitariorum & Vbiquitariorum, de Deitate hominis Christi, omnes, qui rectè sapiunt, facilè vident & intelligunt, in hisce duobus summum inter ipsos esse consensum: Primò, quòd hominem Christum Deum esse faciunt, non æterna, & coëssentiali illa cum Patre, sed communicata tantùm, per donum & gratiam, Deitate, quam humanæ Christi naturæ competere, ob eamq; tantum, hominem Christum verè Deum dici volunt. Sic enim passim in hac blasphemarum thesium farragine, & alibi sæpe contendit, Christum hominem, non per hypostasin, sed humanæ naturæ respectu, propter communicatam in tempore omnem Deitatis plenitudinem, propriè Deum, atq; sic etiam adorandum esse. Secundò, quòd præcipuæ sacræ Scripturæ dicta & testimonia, quibus omnis Orthodoxa Patrum antiquitas veram & naturalem in Christo Deitatem aduersus hæreticos probauit, vtrique ad communicatam Christo, vt homini, deitatem, omnino consimili fraude detorquent, quo ipso quid aliud faciunt, quàm quòd Ecclesiæ argumenta & probationes, æternam & coëssentialem cum Patre Deitatem in Christo probandi, nefario & scelerato conatu ex manibus excutiunt, & Orthodoxæ vetustatis consensum dissoluunt?

Vide circa thesin 113. *Idem facit Liber Bergensis ca. 8.*

Etsi autem Vbiquitarij etiam naturalem & æternam in Christo Deitatem agnoscere videri velint: tamen hoc contra Antitrinitarios hac ratione nihil quam euincent, aut obtinebunt. Isti enim vnam in Christo deitatem, vnamque in persona Deum Christum esse, ex Scriptura constanter & rectè tuentur volent. Hinc itaque, quoniam præcipua Scripturæ testimonia, de communicata homini per gratiam Deitate, loqui sentiunt, inferre conabuntur, nihil aliud in Christo Deum esse, quam quòd est in forma Dei, habens sibi datum nomen super omne nomen, in quo plenitudo diuinitatis corporaliter habitat, & ei communicata est Spiritus sancti donorum immensitas, absque mensura. Proinde cùm hoc modo Christus homo sit Deus, secundum testimonia Scripturæ, quæ non loquantur de alia, & peculiari quadam æterna, & cum Patre essentiali Deitate Christi, etiam contendent, non esse hanc necessariò in Christo ponendam, sed satis esse credi, hunc hominem Christum, ex Maria virgine natum, esse Deum, quoniam videlicet illi communicata sit omnis Deitatis plenitudo, omnipotentia, & adoratio, præsertim cùm ad communicationem hanc non requiratur alius quidam coæternus à Patre, Deus, Filius.

Hoc etiam Arriani de Verbo affirmabunt, vt thesi 113 est annotatum.

Nam quòd omnis potestas Christo data est, quòd datum est ipsi omne iudicium, nomen super omne nomen, vt vitam habeat in se ipso: Item, quòd in ipso omnis plenitudo diuinitatis habitat, & Spiritus sancti dona absque mensura communicata acceperit, quibus illam hominis Christi Deitatem efficiunt, & constare faciunt eiusdem doctrinæ socij, Antitrinitarij & Vbiquitarij, hæc omnia sic à Patre data esse Christo, Scriptura testatur: Quorsum igitur opus fuerit, aliam & æternam adhuc in Christo diuinitatem asserere, a qua communicatam hanc deitatem accepisse dicatur? Non enim propterea communicatam istam deitatem, respectu æternæ cuiusdam, & cõmunicatæ deitatis Filij, tanquam secundæ hypostasis, sed respectu Patris, à quo data & communicata ipsi Filio sunt hæc omnia, Christus homo, Deus, & æqualis Deo, ita hanc Antitrinitariorum & Vbiquitariorum doctrinam dicendus foret.

Nota. Sicut hæc à Patre Christo, vt Filio sunt data & cõmunicata: Ita Christus per hanc & Filius & Deus est respectu Patris.

Hæc cùm diligentius apud se reputabit noster Disputator, non difficulter intelliget, qui sint illi, qui viam, siue Arrianismo, siue alio Antitrinitario, sternant denique Turcico Alcorano sternant.

Hic respondere, si potest, Vbiquitarij.

138. Quòd autem omnis illa ἐξουσία in cælo & in terra, item, Spiritus ille ad mensuram, & sessio ad dexteram Patris, quæ Christo, quatenus homo, & persona missa est, attribui sentiunt Orthodoxi, non illa ipsa sit absolutissima omnipotentiæ, omniscientiæ, omnipræsentiæ, ac reliquorum Deitatis [illegible] tum, quæ τὸ ὁμοούσιον inferunt, maiestas, sed huic subiecta & inferior, testan[illegible]

etiam Augustini dictum: Christus vt Deus nos sibi cum Patre subiectos habet, vt Sacerdos nobiscum Patri subiectus est. *Augustin.*

139. Atq; ita Christus, licet non tantùm respectu carnis, verùm etiam ratione officij, propter quod Verbum caro factum est, vt persona missa, Patre mittente sit minor: nunquam tamen eidem, respectu diuinæ essentiæ, aqualis esse desinit. Vt non absurdè ex his iam allatis Scripturæ locis, vel aliis similibus, aequalem cum Patre potestatem, maiestatem, gloriam, aut quiduis aliud, diuinæ naturæ proprium, Christo rectè attribui posse, Patres nonnulli in explicatione Scripturæ collegerint. Sed adhibeatur necesse est, Catholicæ fidei regula, quam iidem Patres diligenter obseruant, vt istiusmodi omnia de Christo secundum diuinitatem interpretentur, ac inde Christum verè & natura Deum esse probent, ne perperam alioquin, quisquis diuinitatis propria humanæ naturæ admiscuerit, vtriusq; naturæ proprietates cum Monotheletis confundat. Id quod propria conscientiæ testimonio conuicti Vbiquitarij dissimulant. *Vide Cyrillum lib. 10. Thesauri cap. 2. & lib. 11 cap. 13. in Ioan. Vbi tota iustur de tota persona Christi.*

V

140. Hæc cum ipsa veritate teste, sic proculdubio se habeant: qua igitur fronte Disputator, homo impurissimus, coram vniuersa Ecclesia negare audet, Hæc omnia, quæ de communicata, non Christo, sed ipsius carni, maiestate diuinitatis propria, contra manifesta Scripturæ sacræ testimonia, & sanctorum Patrum explicationem indubitatam somniat, cum expressis sacræ Scripturæ testimoniis, cum Apostolorum & conciliorum Symbolis, & cum perpetuo totius Ecclesiæ consensu, pugnare?

141. Quòd autem falsum esse addit, quando Patres suam ipsorum regulam obseruasse, hoc est, in propositionibus de Christo, Deitatis idiomata diuinæ naturæ, humanitatis verò proprietates naturæ assumtæ, assignasse dicuntur: insania est, contrarium enim nunquam demonstrabit. Sed vel vnicum illud Diui Ambrosii testimonium expendat, & insano Disputatori opponat lector: Retineamus, *inquit Ambrosius*, differentiam diuinitatis & carnis. Quia secundum vtramque loquitur Filius Dei. Cùm enim in ipso sint duæ naturæ, idem loquitur: sed non vbique eodem modo. Nunc enim in ore habet gloriam, nunc humanas passiones, ac vt Deus loquitur de diuinis, quia est Verbum, vt homo autem vtitur humili oratione, quia in mea natura loquitur. *In epist. ad Imperatorē Gratianū. Theodoret. Dial. 2.*

142. Et quidem iam antè ostendimus, quàm vanum sit hoc sophisma, quo Vbiquitarij argumentantur: Quæcunque Scriptura Christum in tempore accepisse dicit, testatur Athanasius propter humanitatem dici, non propter diuinitatem. Sed Christo data est omnis potestas in cælo & in terra: Ergo *Falsum Iacobi Andr. argumentum.*

caro Christi non minùs quàm ipsa Deitas est omnipotens, omniscia, & vbique &c. Et si enim aduersus Arrianos, qui ex datis Christo in tempore, ipsam Verbi æternitatem & homousiam cum Patre negabant, sic interdum loquuntur Patres, vt accepta simpliciter, ad naturam tantùm assumtam referre videantur: tamen certum est, quoties natura assumtæ mentionem faciunt; simul complecti causam incarnationis finalem, quæ in salutis nostræ œconomia consistit, nihilq; aliud voluisse, quàm vt ostendant, multa de Verbo, propter incarnationem dici, quæ Deo absolutè tribui nequeant. Hoc enim Leoni est, secundum hominem accipere, id est, respectu incarnationis & missionis. Et Theodoretus rectè inquit, Sedere à dextris Patris, humanitus de Christo Dei Filio dictum esse. Vt enim Deus absolutè consideratus, sempiternum habet imperium, sic Christus, vt homo missus, accepit, quod vt Deus, nunquam quidem non habebat, in statu tamen humiliationis non semper vsurpabat.

Responsio.

Nazianzenus: Aliter de Verbo incarnato, aliter de deitate ipsius absoluta loquimur.

Sic Cyrill de incarn. Vni cap. 4.

Triplicem igitur fraudem, in peruertenda hac Athanasii & Patrum regula, committit Antagonista: Primò, quòd cùm Arriani per ea, quæ data sunt Christo in tempore, probare vellent, diuinitatem Filij non esse æternam, & consubstantialem cum Patre sed participationis gratia communicatam: non rectè hoc modo hæc ipsorum hæresis potuit refutari. Siquidem Patres, non aliter communicatam hanc humanæ naturæ Deitatis grãtiam, sed hoc contra Arrianos, illa sua regula & responsione probare voluerint: per ea quæ Christo in tempore data dicuntur, nihil ipsius æternæ & cum Patre consubstantiali deitati derogari, propterea quòd hæc de Christo, nõ absolutæ diuinitatis ipsius, qua est Verbum ex Patre, sed assumtæ carnis respectu, quatenus incarnatus & homo, secundum Nazianzeni distinctionem, a Scriptura dicantur. Alioquin quod Arriani de diuinitate Verbi malè senserunt, hoc Athanasium & Patres de communicata humanæ naturæ Deitate sentire & asserere voluisse, minimè inscitè concedi oportebit. Secundò, sequetur hinc, Patres ab hac communicata humanæ naturæ Deitate, nullum prorsus patrocinium præstare potuisse æternæ Verbi diuinitati, contra Arrianos, quod tamen ipsis in illa suæ responsione fuit propositum: quin potiùs hoc pro Ebione & Photino, & quem ipsi docebant deificato per gratiam homine dici, regerere potuissent Arriani: sicuti hodie pro se dictum allegare possent Antitrinitarij, Franciscus Dauidis, & Blandrata, qui Christum hominem per communicatam diuinitatis plenitudinem, qua pari potentia, & diuinæ maiestatis potestate, omnibúsque Deitatis donis, absque mensura, à Patre donatus est, Deum, atque sic Patri æqualem esse docent. Talem verò Deitatem, si quis carni & humanitati Christi

Triplex labes Andr. Frans. in depranada Athanasii regula Athanas. orat. 4. contra Arrianos, Dare & accipere non diminuunt diuinitatem Filij.

comm.

communicatam esse cõcedat, quomodo adhuc aliam in ipso, eamq; coæternam & consubstantialem cum Patre Deitatem constituere, aut constanter contra hæreticos defendere poterit? Tertiò, si ea quæ à Patre data sunt Christo, de reali diuinarum proprietatum communicatione in humanam naturam sunt intelligenda, eaq; communicatio ipsi competit per vnionem: Erit ergo humana natura Deus, per vnionẽ cum Patre. Apparet itaque, quoniam hæc de duabus differentibus personis, Patre videlicet & Filio, seu Verbo incarnato sunt dicta, ideo ad realem illam Deitatis communicationem ex personali vnione cum Verbo, non pertinere, neque hanc inde vlla ratione inferri posse. Quòd si veritatis odio non planè excæcatus esset hic erroris Magister, ex adductis ab eo Athanasii testimoniis intelligere potuisset, hæc non posse de communicata illa in humanam naturam, à secunda hypostasi, Deitate, dicta intelligi.

143. Idem confirmat Athanasius, quando se ipsum quasi explicans, omnia ista Christo propter Verbum data esse testatur. Adeo enim ex regula illa Verbum non vult excluſum, vt ne quidem carni, quæ habitualiter insunt, nedum quæ solius Deitatis sunt, & personæ, à carne denominatæ, tribuuntur, nisi ratione vnionis naturarum hypostaticæ dari posse, concessurus videatur. Propter Verbum enim data sunt, inquit, & vt de incremento donorum perfectionis, cuius sola in Christo humanitas, tanquam creatura, non autem ipsa Deitas, capax est, se loqui ostendat, disertè addit: Ideo enim, quia Verbum in homine erat, istæ GRATIÆ donatæ sunt. Quæ verba Disputator omisit, ne audire cogatur, quòd disparata confundat. Differunt enim dona seu munera, vt ibidem loquitur Athanasius, seu gratiæ donatæ, & Idiomata, seu proprietates verbi essentiales. Postea subiicit: Quæcunque enim homo accepit, omnia dicitur Verbum accepisse, vt ostẽderetur, non fuisse hominem dignum, vt acciperet, quęcunque in illius naturam delata perueniebant: veruntamen per Verbum carnem factum, istiusmodi accepit: quapropter si audias certum aliquid donatum esse Domino, aut aliud quod est istiusmodi, intelligere debemus, datum illi, non veluti indigo, sed homini per eum datum esse. Quasi dicat, quæ nudus homo non potuisset accipere, ea Verbo data, dicitur accepisse, per assumtionem personaliter illi vnitus. Vt autem de beneficiis officij Mediatoris, quæ in nos redundant, simul intelligi se velle, demonstret, addit: "Nimirum omnis, qui pro alio intercedit, gratiam quoq; & ipse accipit, at non quasi indigus, sed illius nomine, pro quo intercedit. Sicut enim infirmitates nostras recepit ipse, non infirmus,

Athanas. contra Arrianos, pag. 272.

Deitas, & diuina natura proprietates, non sunt reals communicatione in humanam naturã delata.

Hic locus Athanasii loquitur de gratia donorũ, quæ accepit Christus pro consortibus suis.

esuriit ipse, non esuriens, sed nostra ista aliò transfert, vt deleantur: ita quoque imbecillium nomine Dei munera ipse vicissim accipit, vt coaptatus homo particeps esse queat. Ideoque locutus est Dominus, Omnia quæ dedisti mihi, dedi eis, & rursus pro eis rogo. Rogabat enim pro nobis, quæ nostra sunt suscipiens, & donabat, quæ perceperat. Quoniam igitur coaptato Verbo homini, ad Verbum respiciens Pater, largitiones has in hominem contulit, vt exaltaretur, vt haberet omnem potestatem, & quæcunque sunt istius generis: Ideo omnia ista Verbo imputantur, & perinde sunt, quasi ipsi sint data, quæ nos per illum acquisiuimus. Nam quemadmodum propter nos homo factus est, ita nos per eum exaltamur. Nihil igitur absurdi, si, quemadmodum semet ipsum propter nos humiliauit, ita propter nos quoque dicatur exaltari. *Hæc ille.*

144. *Nihil hinc prorsus extrui potest pro reali Idiomatum cõmunicatione, nisi etiam nos, quibus illa Mediatoris beneficia parta & acquisita sunt, omnipotentes olim, & omniscios, omnibus denique rebus præsentes, adeoq; incarnatos Deos fore somniemus. Sed opponamus isti vanitati paulò clarius eiusdem autoris testimonium. Sic enim idem Athanasius in explicatione dicti,* Omnia mihi tradita sunt à Patre: Quapropter impiorum, *inquit*, sententia, vana & futilis est. Neque enim, vt sentiunt, res ita se habet, sed sub iis verbis dispensatio rerũ (loquimur ergo de exusia seu potestate officij) per carnẽ gerendarum significatur. Postquam enim peccarat, & lapsus esset homo, eiúsque lapsu, perturbatis omnibus, mors inualuisset, ab Adam vsque ad Christum, terraque execrationi data esset, infernus apertus, paradisus clausus, cælum infensum, & tandem corrupto & interempto homine insiluisset Diabolus contra nos, tum demum Deus, hominum amator, ac nolens perire hominem, ad suam imaginem conditum, in hæc verba locutus est, Quem emittam? & quis proficiscetur? Omnibus obticentibus, locutus est Filius: Ecce ego, emitte me: quo tempore illi respondit Pater: Vade ergo: tum, inquam, dedit illi hominem, vt ipsum Verbum caro fieret, carnemque assumtam in omnibus instauraret. Tradita enim sunt illi, vt medico, qui sanaret morsum serpentis: & vt vitæ, qua excitaret mortuum: & vt luci, quò illuminaret tenebras: & vt rationi, quò redintegraret vim rationalẽ

Athanas. pag. 290.

Omnia data Christo, vt homini, respectu œconomiæ.

Postquam

Postquam igitur tradita illi sunt omnia,& factus est homo, correcta sunt omnia,& perfecta terra,pro maledictione benedictionem obtinuit: Paradisus reserata est: infernus se metu contraxit: monumenta aperta sunt,resurgentibus mortuis: portæ cæli eleuatæ sunt, vt intraret ille ex Edom. Certè qua ratione sibi omnia tradita essent,indicare volens Saluator, per Matthæum subintulit: Venite ad me omnes,qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos, Datum enim est mihi, vt fatigatos reficiam, & mortuos viuificem. Consentit cum istis etiam illud dictum: Pater diligit Filiũ, & omnia dedit in manus eius. Dedit enim, vt quemadmodum per eum facta sunt,ita in eo omnia refici possent. Non enim vt ex paupere diues fieret, neque vt qui non haberet potestatem,acciperet,assumsit omnia,absit: sed,quò omnia vtpote Saluator instauraret. Decebat enim exordium creaturæ per eum fieri,vt esse posset, & instaurationem in eo fieri,vt corrigeretur. Vide verborum differẽtiam. In principio enim creata sunt per eum, vt essent. Postea verò lapsis omnibus, Verbum caro factum est, & carnem induit,vt in eo omnia instaurarentur. Ipse enim patiendo nos refocillauit,& esuriendo aluit,& ad inferos descendendo, extulit. Tunc igitur rebus omnibus creatis, præceptum datum est,vt fierent,quale illud est,Producat & fiat. Ad emendationem autem tradi illi omnia decuit,vt homo fieret,& in ipso omnia renouarentur,eo enim ipso,quo homo erat,humanitas nostra viuificabatur. Nam ideo coniunctum est Verbum homini, ne maledictio vlteriùs vim suam in hominibus haberet. *Hæc Athanasius.*

Nota bene contra eadem Idiomatum cõmunicationem.

145. *Ex quo manifestum est, non modò quàm turpiter hallucinentur, sed etiam quàm enormiter & intolerabiliter impij atque blasphemi sint: qui per maiestatis, essentiæ, & officij confusionem, quod in ipsis est, Christum non tantùm à dextera virtutis & maiestatis Dei detrudunt: verùm etiam naturas cum Eutyche exæquant, & personam cum Nestorio diuellunt, omnem denique proprietatum & actionum distinctionem cum Monotheletis abolent, fingentes, naturam assumtam per vnionem à λόγῳ, diuinam simul essentiam, personam, maiestatem, & actiones Deitatis proprias, verè & realiter communicatas accepisse.*

146. *Si enim humanæ naturæ diuinitas communicata est realiter, ita vt Christus non tantùm respectu æternæ naturæ, qua Patri est ὁμοούσιος, verùm*

Iac. Andr. docet Christum secundum vtrãque naturã esse Deũ. Vide supra thesi 143.

etiam respectu naturæ assumtæ, hoc est, secundum vtramq; naturam, sit Deus, (sic enim Vbiquitariorum iste patronus alibi se explicat, & contrarium qui statuit, vt hæreticissimum cõdemnat) non amplius dici poterit: Iste homo est Deus, sed humanitas in Christo est Deitas, seu ipsa caro Christi est Deus. Atque ita non tantùm creatura exæquabitur Creatori, contra mysterium Trinitatis, verùm etiam incarnatio Filij Dei abolebitur, cùm ad vnionem Christi hypostaticam requirantur duæ naturæ realiter distinctæ, & inæquales, quarum neutra facta sit, quod est altera. Hinc rectè Cyrillus ad Orientales: Per incarnationis modum & vnionem inseparabilem caro est caro, non diuinitas, etiamsi facta sit Dei caro: similiter Verbum Deus est, non caro, etiamsi proprium fecerit carnem per dispensationem.

Realis personæ communicatio destruit mysterium incarnationis.

147. Sic quoque, si persona τοῦ λόγου assumtæ humanæ naturæ communicata est reali participatione, necessariò id etiam communicatum eidem reliquum esse dicendum erit, quod personam τοῦ λόγου constituit, & à Patris, atque Spiritus sancti persona realiter discernit, nimirum characteristica τοῦ λόγου proprietas, quæ est æterna ex Patris substantia generatio. Atque ita caro Christi erit diuinitati τοῦ λόγου non tantùm coessentialis, sed & ipsa ex Patris essentia ab æterno genita fingetur. Vnde idem Christus non modò simul Filius Dei, & Filius hominis dici amplius non poterit, sed duo constituentur in Trinitate Filij, contra Symbolum, Vnus Filius, & caro in diuinitatem absorpta, dissipabit nobis esse homousios: qua ratione Christus ne quidem erit amplius hominis Filius. Adde quòd natura humana, reali participatione sortita personalitatem, quaternitatem pro Trinitate inferet, vt iam Christus non tantùm homo, verùm etiam humanam habere personam, pro diuinæ & humanæ naturæ diuerso respectu dicendus sit. Quæ paradoxa totam Symboli certitudinem euertent. Ex hac autem verè phrenetica Disputatoris thesi, si rectè explicatur, quid aliud sequitur, quàm humanam naturam, propter personæ τοῦ λόγου communicationem, dici & esse Filium Dei. Sic enim idem esse vult, hominem, & humanam naturam. Vt ergo persona, ita quoque filiationis communicationem in humanam naturam fingit, ignarus, quòd hæc filiationis, eiusq; dignitatum communicatio & participatio, à Filio Dei, in Filium hominis, per Nestoriana hæresi à Cyrillo, in sua Niceni Symboli explicatione, sit anathematisata.

Hoc posset concedi κατὰ ἄλλο, *& per hypostasin.*

fol 229. 230.

148. Ita si maiestas virtutis Dei propria realiter assumtæ naturæ communicata est, quod Vbiquitarij, quibus crassiores Sacramentorum profanatores vix extitisse puto, rabiosè & furenter asseuerant, quomodo maiestas illa vir-

tuis

tutis Dei propria dici amplius poterit? Sin eadem per sessionẽ Christi ad dexteram Patris desiit esse Dei propria, cuius igitur consequentiæ ratione Apostolus ad Hebræos, quem & Lutherus imitatur, ex ea ipsa virtutis Dei maiestate, nulli creaturæ communicabili, æternam Deitatem Christi Domini nostri demonstrabit? Sed & quomodo per communicatam hanc maiestatem virtutis Dei, humanam naturam Christi magis vnita erit Filio, quam Patri? *Hebr. 1.*

149. Denique, si actiones diuinitatis propriæ, humanitati assumtæ realiter sunt communicatæ, quomodo easdem Deitatis nihilominus proprias manere demonstrabimus? aut quomodo carnem in se realiter esse viuificam aduersus Eutychen & Apollinarem negabimus? Cuius errori respondens Athanasius, ait, Christus habita Deitatis suæ ratione, Spiritus viuificãs est: itaque propter eam, quam à Patre habet, naturã, viuificat nos, quoniã est vita in sese subsistens, quę forma serui seipsam informauit. *li. 3. dialog.* Aut quid Cyrillo respondebimus, carnem Christi tantùm viuificam nominanti, nõ quatenus caro, & ipsa per se vitæ indigens creatura est, sed quatenus Verbi omnia viuificantis propria facta est? Aut quonam denique satis firmo argumento, vel exæquationem, vel Identitatem duarum in Christo naturarum asseremus? Cùm immota sit apud totam Orthodoxam antiquitatẽ, ab iisdem actionibus, ad easdem proprietates, & hinc rursus ad identitatem naturæ collatio & consecutio: Quorũ igitur actiones & proprietates eædem sunt, eadem est natura, & è contrario. Sancti enim Patres, inquit Damascenus *lib. 3. cap. 15.* concorditer dixerunt, quæ eiusdem sunt substantiæ, eiusdem etiam actionis esse. *Sic Orthodoxi argumentatis sunt contra Monotheletas.*

150. Apertè igitur Monotheletarum, & per consequens Eutychianorum simul, atque Nestorianorum hæresin profitentur, hoc est, pro vnitate personæ, identitatem naturæ, & rursus pro duabus naturis, duas personas substituunt, quicunque realem proprietatum diuinæ naturæ, in carne assumta, seu ratione carnis assumtæ communicationem fingunt, & vnionem hypostaticã per realem naturæ humanæ, cum Deitate vbiuis locorum coexistentiam interpretantur: cùm nec locorum repletionis, nec infinitæ cum Verbo coexistentiæ respectu, sed potiùs per assumtionẽ carnis in vnitatem personæ facta sit ἕνωσις. Vnde naturam assumtam nusquam quidem à Verbo assumente diremtam, aut separatam, vbique tamen ab eodem distinctam, hoc est, cum diuina essentia, nec substantia, nec proprietatibus, nec actionibus confusam esse, necessariò sequitur. *Alioqui etiam sic in terris fuisset, vbicunque operata est diuinitas.*

151. Aliud enim est separare, aliud distinguere. Et quando naturas, proprie-

tates, & actiones distinctas esse dicimus, nullam propterea separationem seu diuulsionem inferri posse ita manifestum est, vt potiùs sublata distinctione, & naturarum confusionem, & personæ diuulsionẽ, adeoq; totius vnionis hypostaticæ deletionem consequi necesse sit. Tunc verò demum naturas & actiones eum Nestorio separari constat, quando vna natura non agit cum communione alterius, quod sibi proprium est, sed à sua propria cuiusque hypostasi, & non ab vno agente actiones proficiscuntur: id quod expressè docet Synodus Constantinopolitana sexta contra Monotheletas. Non fiunt autem agentia separata, quamuis in vna persona Christi, cuius hypostasis est infinita, diuinitas ipsius sit vbique, humanitas verò, seruata naturæ suæ proprietate, in qua est assumta, vno tantùm loco contineatur, sicut hoc vno ore & consensu omnes docent Orthodoxi Patres.

Vide Hessiandrũ cõtra omnipræsentiã carnis &c. cap. 5.

152. Stultè verò pariter & ridiculè, atque ineptè, vt imperiti Dialectici, ratiocinantur: si quæ diuinæ naturæ propria sunt, humanæ naturæ in Christi realiter communicentur, nihilominus Verbi propria manere: siquidem humana natura non sit alter, sed altera.

153. Etenim cùm duo proprietatum genera sint, quorum illud essentiam hoc personam ὁ λόγος cõstituit, vtrumuis naturæ assumtæ, etiam in ipsa vnione, reali participatione communicari fingas, non modò proprietatis illudimen tueri amplius non poterit (impossibile enim est, cùm natura, tum personæ respectu, propriũ manere, cuius siue alter, siue altera, per realem κοινωνίαν particeps fiat: alioqui quoniã vtriusq; naturæ vnum est ὑφιστάμενον, nulla in naturarum diuersitate, proprietatũ differentia futura erit) verùm etiam reali essentialium proprietatum κοινωνίᾳ vtriusq; naturæ confusio & deletio sequetur, iuxta Lutheri axioma: Tollens proprietates, tollit naturas. Ex personalis autem ἰδιώματος ὁ λόγος reali cum assumta carne participatione, τὸ τέταρτον σῶμα in sanctam Trinitatem inferetur, atque itidem vtrumque, tam incarnationis, quàm Trinitatis mysterium euanescit. Quibus portentis nihil horribilius cogitari potest. Colligamus autem quæ hactenus de quatuor realiter carni assumtæ communicatorum gradibus, à nobis ad hanc vsq; thesin disputata sunt, in argumentum summarium, & per ἐνάγωγὸν εἰς ἀδύνατον refutemus Vbiquitariorum vanitatem, vt sequitur:

Quod vtrique naturæ competit, non potest esse vnius naturæ proprium.

Communicatio realis, facta carni à Verbo assumta, commune genus est, secundum quod & Deitatem, & hypostasin, & maiestatem, & actiones diuinas carni Christi realiter competere, Disputator contendit.

Sed per hanc realem, quam fingit communicationem rectè dici contendit humanam Christi naturam esse omnipotentem. Ego

Ergo, eodem modo rectè dici necessariò sequetur, quòd humana natura sit diuina, seu Deus, & quòd humana natura sit persona, & quòd caro Christi sit creatrix cæli ac terræ. Eadem enim communicationis realitate, vt sic loquar, quatuor ista carni Christi congruere disputat. Sed humana natura nec est diuina, aut Deus, nec persona, nec creatrix. Ergo nec omnipotens. Et per consequens, vana est quatuor istorum respectu carnis assumtæ realis communicatio.

154. Cùm igitur tam profligatas, tam execrabiles, tam blasphemas in agrum Domini hæreses, quasi ab Orco reuocent Vbiquitarij, iudicet cælum & terra, iudicent omnes pij, iudicent in quibuscunq; sanæ mentis gutta residet, quò tandem hæc impietas sit euasura? Qui cùm apertè nos Christum æqualem Patri, secundum Deitatem, minorẽ Patre, secundum humanitatem, ex Symbolo profiteri audiant, nec vllam syllabam citra calumniam proferre in medium possint, qua Christum à potẽtia Dei, quæ ipsius propria est, vlla ratione, ne dam penitus, vt impurum os illud mentitur, à nobis excludi demonstrẽt, quem potiùs, vt Deum, Patri ὁμοούσιον, hoc est, eiusdem cum Patre, & Spiritu sancto essentiæ, æqualis gloriæ, coæternæ maiestatis, omnipotentiæ, sapientiæ & immensitatis, cum vniuersa Ecclesia Catholica celebramus, quemq; non sibi, sed nobis æternæ gloriæ caronam (sibi videlicet, vt innocentissimo, lege naturæ sine λύτρῳ debitam, & completo tandem nostræ redemtionis in terris curriculo, pleno fulgore restitutam) sua passione promeruisse prædicamus. Vtq; hanc Ecclesiæ Catholicæ fidem, sicut à Præceptoribus, inter quos caput est Christus, puram accepimus, ita sartam tectam ad posteros propagemus, nec Mahometicis inquinari blasphemiis sinamus, quotidie per istas furias, de fortunis, vita & salute nostra periclitamur, ac triste exilium præ oculis cernimus multorum piorum, doctorũ & sanctorum virorum: quod & nobis, nisi id clementissimus Deus, nostri misertus, vt hactenus, ita in posterum quoque clementer auertat, est metuendum: nihilominùs confessionem inquam, tam sanam, tam integram, tam perspicuam & planam, Alcorano Turcico (cuius impietati, nostratésne, an ipsi potiùs fenestras & portas aperiant, ex Antitrinitariorum libris discere poterant) comparare, reclamante intus conscientia, furenter pergant.

Refutatio calumniæ Iacobi Andreæ.

Persequutio ab Vbiquitariis in Ecclesiã inuecta.

Calumnia plus quàm Diabolica.

155. Quemadmodum autem per realem communicationem maiestatis diuinæ, quæ solius Dei propria est, ideoq; nulli creaturæ participatione reali communicari potest, humanam naturam prorsus extinguũt, & ab omnibus carnis humanæ proprietatibus penitus abstractam, hoc est, diuersæ à nobis speciei

Vbiquitarũ blasphema de Christi passione doctrina.

carnem Christo tribuunt, cui nihil præter nomen nobiscum commune relin-
quunt: sic quoque contra clarissimum Articulum Symboli Apostolici, & Scri-
pturæ sacræ apertissima testimonia, in passione Deitatem cum humanitate
confundunt, & per impiam suam Idiomatum κοινωνίαν, simul cum assum-
ta carne, cuius proprium est pati, ipsam Verbi Deitatem faciunt patibilem.

156. *Etsi enim ὁ λόγος, verus ille & immortalis Dei Filius, in suæ perso-*
næ vnitatem, naturam humanam tali vnionis indissolubilis fœdere assumsit, ut
ne quidem in morte, siue à carne, siue ab anima naturæ assumtæ (quarum ta-
men ceu partium assumtæ humanitatis integralium, realis per mortem in ea
crucis separatio facta est) segregatus vllo modo fuerit: adeoq; verè ipse Filius
Dei, Dominus noster Iesus Christus, vnigenitus Patris, pro nobis passus, crucifi-
xus & mortuus in Symbolo prædicetur: tamen cùm Deus in se nulli omni
Malach. 3. *mutationi sit obnoxius: iuxta illud: Ego Deus, & non mutor: passionis autem*
dolores, & cruciatus mortis cum alteratione & mutatione sensibili necessa-
riò sint coniuncti, non potest sine atroci blasphemia mortis perpessio, & lacera-
tionis dolor, ipsi Filio Dei, in quantum est Filius Dei, hoc est, absolutè, siue in-
spectu assumtæ carnis, cui hæc verè competunt, adscribi. Hac enim ratione cùm
Deitas Verbi non sit alia, quàm Patris, & Spiritus sancti Deitas, vel tota sa-
crosancta Trinitas, iuxta Sabellij & Patripassianorum blasphemiam, pro no-
bis passa esse fingeretur, vel deterioris esset conditionis Filij, quàm Patris De-
Theodoret. dial. 3. *itas, atq; ita secundum Arianos τὸ ὁμοούσιον euanesceret.* Si enim patitur
(inquit Gregorius Nyssenus cõtra Eunomium) Filij diuinitas: Patris ve-
rò essentia ab omni passione seiuncta est: impatibilis igitur natu-
ra prorsus aliena est ab ea, quæ passionem sustinet. *Hæc ille. Quo-*
Quòd hac ipsa ratione frustrà factam esse ἕνωσιν sequeretur. Nisi enim ip-
sum in sua essentia esset impatibilis, non opus fuisset assumtione carnis, ut
mortem pro nobis obiret, ac sustineret. Et quid denique Apostoli testimo-
1. Ioan. 1. *clarius, quid neruosius contra se ipsum Disputator afferre potuisset:* Sanguis
enim Filij Dei, Domini nostri Iesu Christi, purgat nos ab omni
peccato? *Id quod ipse Spiritus sanctus alibi in propositionem æquipollentem*
Act. 20. *resoluens, explicat:* Deus Ecclesiam suam proprio illo sanguine pa-
quisiuit. *Non dicit, Filium Dei, cuius sibi beneficium prædicat, suæ Deitatis*
passione aut compassione, nostram salutem acquisiuisse, sed digitum in myste-
rium incarnationis intendens, διὰ τοῦ ἰδίου αἵματος, inquit, περιποιησά-
μενος τὴν ἐκκλησίαν αὐτοῦ. Vbi singularis articuli vis est obseruanda, quo præstan-
huius sanguinis, & antithesis illa declaratur, quæ copiosiùs exponitur Hebr.

Et quis nisi planè cæcus, & qui vel primis labris nondum attigerit Ecclesiæ doctrinam, non videt, nomina, Iesus, Christus, non naturam humanam seorsum, sed totam personam, in qua diuina & humana natura sunt ὑποστατικῶς copulatæ & vnitæ, significare? Vt mortuus quidem carne sit Christus, iuxta assseuerationem Apostoli Petri: sed emundatio peccatorum non sit solius carnis, sed totius personæ, quia virtus emundationis peccatorum, & viuificationis, est à natura diuina & λόγῳ. Fuit enim hic sanguis verè sanctus, imò verè purificans, & sanctificus sanguis: ex illo manans nimirum, qui sicuti verè homo, ita etiam verè est Deus. Aut igitur Filium Dei etiam sui respectu sanguine præditum esse ostendat Disputator, atq; ita sese Anthropomorphitarum furiis agitari docebit: aut nonnisi respectu carnis assumtæ, sanguinem pro nobis effudisse, hoc est, in sola carne, citra tamen personæ diuulsionem, aut naturarum distractionem, passum & mortuum pro nobis esse Christum θεάνθρωπον concedat. *Quomodo Filij Dei sanguis dicatur.*

157. *Ceterùm, cùm moritur homo, ipsum mori non ad solum corpus, sed ad animam quoque referre, propterea quòd anima, licet corpore extincto, ipsa superstes maneat, appetente tamen mortis agone, naturali quadam erga tabernaculum, vnde euocatur, affici συμπαθείᾳ, nec simpliciter omnis doloris expers esse soleat: planè ἀσύστατον, & à generaliore, hoc est, impropria definitione, competente non tam morti, quàm modo, quo introducitur mors, extructum, adeoq; cum Epicurea profanitate coniunctum est. Mors enim, licet per animæ à corpore separationem inducatur, atque sic relatiuè quodammodo ad animam pertinere dici possit, propriè tamen illi tantùm parti fabricæ humanæ competit, quæ per eam separationem dissoluitur. Est enim mors priuatio vitæ. Nec respectu nudæ duntaxat separationis considerari debet (sic enim etiam hominis anima fieret mortalis) sed potiùs respectu extinctionis & colliquationis, quæ in solam hominis partem terrenam, hoc est, ignobiliorem, per illam separationem inducitur. Manet itaq; anima superstes: solum verò corpus ab anima desertum, dissoluitur, hoc est, in puluerem redit. Iuxta commination em, Puluis es, & in puluerem reuerteris. Atq; ita moriente, id est, exhalante animam corpore, anima simul mori, nulla ratione dici potest.* *Impostura Iac. Andr. de morte corporis & anima.*

158. *Sed consideretur distorti argumenti, quo Disputator vtitur, forma Syllogistica: Mors nihil aliud est, quàm violenta, & doloris plena dissolutio animæ & corporis. Cùm autem moritur homo, fit talis dissolutio, in qua non tantùm corpus, verùm etiam anima sentit dolorem. (Largiamur enim hoc: licet secundum Philosophum anima sit ἀπαθὴς.) Ergo, cùm moritur homo, ipsum*

mori non ad ſolum corpus, ſed ad animam quoque pertinet. Si Maior ſimpliciter vera eſt, toties hominem mori ſequetur, quoties cum acri dolore, vel ab amico, vel à quocunque obiecto grato diuellitur, iuxta illud Senecæ, Homo toties moritur, quoties amittit ſuos. Reſpondeo igitur per inficiationem, quia in Maiore ponitur definitio captioſa, quæ eſt latior definito. Mors enim, cùm propriè loquendo, ſit priuatio vitæ, non pertinet ad vtramque hominis partem, tam animam, quàm corpus, quæ cum dolore diuelluntur, ſed ad eam tantùm, quæ propter illam ſeparationem vita priuatur, & iam extincta incipit reſolui in prima elementa, ex quibus originem traxit. Sic & otioſa ſophiſtica eſt, & manifeſtam cordis ſecuri prodit impietatem; quando ita ludit Diſputator: Mori non eſt corporis, quatenus corpus, ſed animati corporis proprium. Eadem igitur ratione mori pro peccatis totius mundi non eſt corporis animati, ſed deificati proprium: & hinc, vt ſeries ipſa diſputationis oſtendit, Deitatem ſuo modo patibilẽ eſſe in Chriſto, probare vult, ſicut mortẽ corporis etiam ad animam ſpectare nugatur. Quis autem ſine ſtomacho, niſi prorſus nullo pietatis ſenſu afficiatur, hæc legat? Vagam planè terminorum cohærentiam eſſe dico: quin etiam antecedentis, quamuis ſpecioſam præ ſe ferat argutiolam, manifeſta eſt falſitas. Etſi enim corpus, niſi animatum ſit, vita priuari nequit (quia priuatio præſupponit habitum) tamen in homine non ſic animati corporis eſt mori, vt ipſum mori ſimul ad animam (ad hominis inquam animam, id eſt, ad mentem ipſam) pertineat: cùm ne quidem in pecude mori ſimpliciter animati corporis, in quantum, vt ſic loquar, animatur, ſed potius corporis, quatenus ab anima, quæ tamen in pecude ſimul euaneſcit, deſeritur, proprium ſit. Donec enim animatum eſt corpus, ab anima nondum eſt ſeparatum, nec vitæ adhuc expers eſt, atq; ita mortis appellationem, quæ eſt vitæ per animæ ſeparationem, priuatio, nondum admittit. Vnde ſequitur, mortem homini, propriè loquendo, nequaquam reſpectu animæ tribui, quæ non minus poſt, quàm ante ſeparationem ſuperſtes manet, ſed tantùm reſpectu corporis, quod deſertum ab anima, colliquatur & putreſcit. Nam mori tum demum propriè dicitur homo, cùm animam exhalat, itavt corporis illa moles iam exanimata eſſe deſinat, vitæq; expers, fiat cadauer. Quid autem hoc ad corpus Deificatum, hoc eſt, cum diuinitate Verbi aſſumentis perſonaliter vnitum? Fingéſne enim, parem diuinitatis Verbi ab aſſumta humanitate ſeparationi, qualis eſt animæ à corpore exhalatio? aut fingéſne, ſimilem in Verbi Deitate alterationem, ſeu perturbationem, qualem in lucta illa horti mœſtiſſima Seruatoris anima ſenſit, non ſine gemitu quiritantis, animam ſuam vſque ad mortem

Mors ſolli corpori propria.

Argutia Iac. Andr.

mortem conturbari, id est, supra quam dici, imò credi queat, angi? quam tamen mortis participem esse, nulla inde consequentia probaueris. Sed quis tandem istas opinionum furias non execrabitur? Redigat autem denuò lector argumentum Sophistæ in formam Syllogismi, & dolum suo Marte deprehendet.

Falsum & Sophisticum Iacobi Andreæ argumentum de morte Christi.

Quemadmodum se habent anima & corpus in homine ad mortem naturalem, ita se habent duæ naturæ in Christo ad mortem pro peccatis mundi.

Sed corpus & anima in morte naturali, ambo dolore afficiuntur.

Ergo etiam in Christo passio mortis ad vtramque naturam pertinet.

Probet Maiorem præsigiator, postea respondebimus. Non enim simpliciter vera est comparatio, sed habet fallaciam à dicto secundum Quid &c. sit. Interea Epicureismum Disputatoris non obiter introductum, sed ad summum fidei articulum labefactandum astuto consilio insertum, duplici, quod aiunt, obelisco notemus. Mori est corporis animati. Ergo, cùm moritur homo, ipsum mori non ad solum corpus, sed ad animam quoque pertinet. Quod de pecude verum est, ad hominem transfert. O Theologum!

159. *Vt verò profani sui pectoris securitatem prodat amplius, iam etiam à virtute seu efficacia mortis Christi, ad ipsam mortis perpessionem, argumentari incipit. Aut enim mortis Christi virtutem, hoc est, efficaciam, neque diuinitati, neque animæ, sed soli corpori, seu carni eius ascribendam: aut passionem mortis Christi, non tantùm ad carnem, sed ad animam simul, & ad ipsam Verbi assumentis Deitatem referendam esse nugatur. O Sophisticæ perplexitatis strophas, impias simul, & blasphemas! Respondemus autem verbis Damasceni*: *Damasceni 3. ca. 15.* Eiusdem sunt hypostaseos, & quæ diuinitati, & quæ humanitati congruunt. Nam diuina signa diuinitas operabatur, sed non sine carne: & caro humilia exequebatur, sed non sine diuinitate. Patienti enim carni coniuncta erat diuinitas, impassibilis manens, & passiones perficiens salutares. *Hæc ille. Sunt igitur actiones naturarũ in Christo distinctæ, sed non distractæ aut diuulsæ. Sin eiusdem esse naturæ dolores & agones in passione etiam num contẽdas, cuius est passionis virtus: simul cum virtute passionem, & cum passione virtutem ipsam tollas, necesse erit. Virtus enim haud dubiè vis illa viuificatrix est (ex morte enim Christi, vitam nos recuperauimus.) Si igitur carni Christi, & mors, & viuificandi vis pari congruunt ratione, ne mori quidem potuit, atque ita mori visa, superstes tamen mansit. Quo igitur λύτρῳ vitam nobis redemtam asseremus? Rursus si Verbi simul Deitas, in passione mortis sensit aculeos, ipsam vitam essentialem creatricem & conseruatricem omnium in cruce expirasse,*

& ſeuitia mortis ſuccubuiſſe, ſequitur. Qua igitur vi, & à carne ſua, & à nobis carnis illius membris Tyrannum abegiſſe credemus, aduerſus quem, ne quidem ſuam ipſius diuinam eſſentiam, à cuius nutu omnia pendent, immunem præſtiterit?

160. En quò veſana περὶ & παντα χῦ diſputatio cæcas mentes abripiat, vt propter commẽtum realis Idiomatum cõmunicationis vaniſſimum, quod ſemel afflatu antiqui ſerpentis, hoc eſt, Deo, atque Eccleſiæ hoſtiliter aduerſantis, maligni Spiritus, arreptum, mordicus defendunt, non tantùm omnia Scripturæ dicta tetrè deprauent: verùm etiam paſſionem & mortem Saluatoris ad ipſam vſq; Verbi diuinam eſſentiam extendant. Et ſi quis Apoſtoli autoritatem opponat, paſſionem Chriſti ad carnem aſſumtam reſtringentis, ne quidem à blaſphema iſta voce nonnullos ſibi temperaſſe conſtat: Quænam igitur intemperies Petrum iſta ſcribere aut loqui iußit? Sed nos columnam Orthodoxæ fidei opponamus: Salua enim proprietate vtriuſque naturæ, & in vnam coeunte perſonam, ſuſcepta eſt à Maieſtate humilitas, à virtute infirmitas, ab æternitate mortalitas, & ad reſoluendum conditionis noſtræ debitũ, natura inuiolabilis, naturæ vnita eſt paſsibili, vt quod noſtris remediis congruebat, vnus atque idem Mediator Dei ac hominum, homo Chriſtus Ieſus, & mori poſſet ex vno, & mori non poſſet ex altero. *Vt ſanctè Leo Epiſcopus ad Flauianum ſcripſit, epiſtola 10.*

1. Pet. 3. & 4.

Doctor Multus & Prætorius. Leo Romanus in epi. ad Flauianum.

161. Quòd autem Vigilium Diſputator noſter, impudens iſte Orthodoxæ antiquitatis contemtor, & vel maximè ſanctiſſimi huius Martyris ſcurrilis ſugillator, ad ſtabiliendum errorem, quem profitetur, ſubſidiarium quaſi teſtem inuocat, duplici nomine, niſi rei grauitas obſtaret, per quam ridiculum eſſet, quòd haud obſcurè, & quàm domi in collectaneorum Chami fratris ſui armamentario, inermis ſit, patefaciat: & quòd non animaduertat, quàm hoc ipſum, quo ſuum delirium fulcire conatur, non minùs atq; cetera Vigilij teſtimonia vniuerſa, idem, quod ſe nobis perſuaſurũ ſperat, euertat potiùs, quàm ſtabiliat. Vigilij ergo ſententia quænam ſit, ex ipſius ore audiamus: excerpſit enim tantùm particulam Diſputator: quàm callidè autem antecedentia eiuſdem teſtimonij ſilentio præterierit, intelliget lector, etiam non admonitus, ſi locum integrum conſiderauerit, qui de verbo ſic habet: Secundum proprietatem naturæ, ſola caro mortem ſenſit, SOLA caro ſepulturæ officium habuit. Secundum vnionem autem perſonæ, Deus mortuus eſt, & ſepultus eſt, quia perſona Verbi in carne eſt, quæ mortis

Iac. Andr. Orthodoxæ antiquitatis contemtor.

Vigil. lib. 2. cap. 3.

tis dispendium sensit. Ergo secũdum proprietatem naturæ Verbum descendit de cælo, non caro, secundum proprietatem naturæ caro mortua est, non Verbum. Item secundum vnionem personæ & caro descendit de cælo, & Verbum est mortuum atque sepultum. Cùm ergo dicimus, Dominum passum & mortuum, nõ expauescat Nestorius, quia secũdum vnionem personæ dicimus. Rursus cùm dicimus, Dominum nec passum, nec mortuum, quia est omnino impassibilis, non formidet Eutyches, quia secundum naturæ proprietatẽ dicimus, magisque nec nos dicimus, sed Scripturæ loquuntur. Nam Dominum passum Symboli tenet authoritas, & Apostolus tradidit, dicẽs: Si enim cognouissent, nunquã Dominum gloriæ crucifixissent. Rursum non Deum passum, Apostolica nihilominus authoritate docetur, Paulo ita ad Hebræos loquente. Nam paulò minùs minoratum vidimus Iesum, paulò minùs, quàm Angelos, propter passionem mortis, gloria & honore coronatum, vt sine Deo pro omnibus gustaret mortem. Quid est igitur sine Deo gustare mortem? nisi quia Verbum immortale est, & illa passio secundum carnem est. Vnde & Petrus Apostolus ait, Christo itaque passo in carne: Passio ergo propriè ad carnem pertinet, secundum naturam, ad Verbum autem, secundum personam, quia & Verbi & carnis vna est eademque persona, ac per hoc Deus & passus est, & non est passus. Passus secũdum vnionem personæ, impassibilis secundum proprietatem naturæ. Et vt hoc ipsum adhuc manifestiùs clareat, euidentioribus testimoniis approbamus. Constat, Dominum nostrum Iesum Christum, sexta feria crucifixum, & ipsa die ad infernum descendisse, ipsa die in sepulchris iacuisse, ipsa die latroni dixisse, Hodie mecum eris in Paradiso. Caro igitur ipso die non fuit in Paradiso, nec in inferno, sed exanimis iacuit in sepulcro, anima per illud triduum in inferno fuit, non in sepulchro: & verè tamen dicimus, Dominum Iesum Christum in sepulchro iacuisse, sed in sola carne, Dominũ Iesum Christum non derelictum in inferno, sed in sola anima: & cùm in his omnibus Christus, & in his singulis Christus sit, vnus tamen est Christus, cuius sic aliud fuit in sepulchro, aliud in inferno, vt tamen ipse vnus atque totus vbique fuerit, cùm separatim per loca se ipsum dispensauerit. Ergo dicimus, Dominum iacuisse

Hebr. 2.

Quoties de persona loquimur, oportet communia fatere, quæ naturarũ sunt propria.

Luca 23.

Contra Brẽtium Vbiquitariũ.

in sepulcro, sed in sola carne, & Dominum descendisse in infernũ, sed in sola anima. sicuti dicimus: hominem audisse vocem, sed solis auribus, & vidisse lumen, sed solis oculis: sic dicimus, Dominum passum, sed in sola carne, & Dominum non passum, sed in sola diuinitate, ac per hoc, quia caro & Deus vnus est Christus, & passus est, secundum id quod homo est, & impassibilis mansit, secundum id quod Deus: quod breui sermone concludam, passus est Deus, in vnione personæ, non est passus, in proprietate naturæ. Siquidem passionis iniurias etiam diuinitas pertulit, sed passionem SOLA eius CARO persensit. *Hinc iam sequuntur verba, quæ à Disputatore instar trophæi, ante victoriam excitati, thesibus inserta sunt. Agnoscit autem prudens lector, etiam me tacente, quòd suo se ipsum gladio iugulet. Qua enim ratione Deus sepultus dicitur, eadem Vigilius rectè sentit, passum & mortuum esse Deum. Et sicut Filius hominis de cælo descendisse rectè dicitur, respectu tamen Verbi assumẽtis, ita Filius Dei mortuus & sepultus est, respectu scilicet assumtæ carnis. Denique sicut homo videt, sed solis oculis:* ita Christus passus est, sed SOLA CARNE. *Passus igitur est idem, & non passus, secundum aliud, & aliud: passus quidem, secundum id, quod homo est: & est: non est passus, secundum id, quod Deus est.*

Idem sentit August. epist. 57. Fulgent. lib. 3. ad Thrasim. Vide de hoc articulo Christianũ Hessiand. cõtra omnipraesentiã carnis cap. 4.

Hæc omnia ita plana sunt, vt nodum in scirpo quærere videatur, qui ad reallem Idiomatum communicationem ea detorqueat. Insignis igitur impudentia est, quòd Disputator ex isto loco putidæ causæ suæ fulcrum petiit, quem nisi ex Cadmei fratris sui collectaneis descripsisset, suis deliriis ex diametro repugnantem olfacere potuisset. Sed nimirum talem sibi auditorem & lectorem somniauit, qui non inspecto loco, fide simplici, hoc est, stulta credulitate in dictatis acquiesceret, non quid dicatur inquirens, sed nouæ fidei dictatorem suspiciens. Ne tamen insultandi habeat materiam, ad duo respondendum est, quæ ex adducti testimonij appendice vrgere videtur: Primò, quòd Deum Verbum impassibiliter passum scribit Vigilius: Deinde quòd perferre passionẽ, vtriusq; esse dicit: sed cedere passioni, alterius tantùm naturæ. Ad primum quod attinet, Vigilij sententia ex antecedentibus perspicua & plana est. Intelligantur ergo pauciora, secũdum plura. Sin eadẽ ἀκυρολογία sic arrideat Disputatori, vt tanquam fidei canonem inter articulos Symboli recipiẽdum putet, Deum Verbum impassibiliter passum esse, rursus quid illud vulgò tritum sibi velit, expendat: Duo cùm idem dicunt, non est idem. Vigilius enim pro singulari sua lenitate, & studio συμβιβαστικῷ, quo præ ceteris sanctissimum Martyrem

Respõsio ad locum Vigilij à tac. Andrea citatum.

prædilum

præditum fuisse, satis, ni fallor, orationis filum testatur: hoc ferè proprium habet, vt Patribus, quos veritati lucrifacere expetit, indulgeat alicubi, & ipsorum vtatur ἀκυρολογίαις, quales istæ erant Eutychianorum: Impatibiliter Deum Verbum passum esse: Item, Clauis diuinitatem confixam esse. Noluit enim se iusto morosiorem præbere, sed quæ incommodiùs dicta erant, dilucida explicatione præmissa ita temperat, ne propter ἀκυρολογίας aditum videatur præcludere iis, qui se fortè sanabiles exhibituri sint. At noster iste Disputator, vt veritatem, durioribus hinc inde locutionibus astutè conquisitis, magis magisq; obscuret, & discentium animos incertiores reddat, quæ plana sunt, studiosè praterit: & tanquam circulator oculos spectantium suis præstigiis: ita hic suis τερατολογίαις animos imperitorum ludificatur, nō cogitans, se ἀσύστατα, ridicula, absurda & manifestè contradictoria hominibus sanis, piis & doctis nequaquam persuasurum, & pro articulis fidei obtrusurum. Ne igitur nimis sibi ipse placeat, audiat Theodoretū: apud quem Eranisti eandem ἀκυρολογίαν, impatibiliter Deum Verbum passum esse, obiicienti grauiter respōdet Orthodoxus his verbis: Quis autem sana mente præditus feret has deridendas verborum præstigias? Nemo enim vnquam audiuit aut impatibilem passionem, aut mortem immortalem. Nam impatibile non patitur, & patibile non manet passionis expers & vacuum. Nos verò audiamus Diuum Paulum clamantem 1 Timoth. 6. Qui solus habet immortalitatem, lucem habitans inaccessam. *Theodoret. dial. 3. Vbi Vbiquitarios refutat.*

Et si autem in toto illo tertio Dialogo, contra Eutychianos, solam in Christo carnem passam esse, defendat Theodoretus, negat tamen per hoc metuendam esse ipsius carnis à diuinitate separationem: sicut obiiciebant Eutychiani, & nunc idem faciunt Vbiquitary: sed ad differentiam respicientes naturarum, considerare oportere, quid conueniat diuinitati, & quid accommodatum sit corpori, vt suum cuiq; tribuatur. Crucem enim, passionem & mortem audientes, & diuinitatis & humanitatis pariter vnionem cogitare oportere de natura, quæ passionis est capax, nec illa impatibili naturæ adscribere, sed illi tantùm, quæ hanc ob causam est assumta. Ad alterum quod attinet, res iterum plana est consideranti antithesin inter iniurias & dolore: Passio enim vtrumque complectitur, non tantùm plagarum, seu lacerationū, atque cruciatuum sensus, & dolorum quos Christus secundum animam & corpus pertulit, acrimoniam: verùm etiam iniurias, quæ non hæserunt tantùm in assumta natura, ex qua sola Iudæi Christum, vt nudum videlicet hominē æstimabant, sed in ipsum λόγον assumentem, hoc est, in Dominum gloriæ,

qui illam naturam sic modò laceratam, iam ante per incarnationem fecerat sibi propriam, redundarunt. Facta igitur iniuria est ipsi Dei Filio τῷ λόγῳ, cuius tamen Deitas non sensit dolorem, quem caro eius crucifixa sensit: licet illi ipsi dolores & cruciatus, seu agones mortis rectè tribuantur personæ, propter inseparabile illud duarum in Christo naturarum fœdus, seu mysterium vnionis hypostaticæ.

162. *Ex quo intelligi potest, quòd propter naturarum diuersitatem, vni eidemq; personæ, ex diuersis his naturis compositæ, diuersa communicentur Idiomata, quorum tamen secundum suam quæque naturam prudenter accipienda, & explicanda sunt. Sin adhuc dubitas, audiamus Athanasium, quem*

ob 2 cap 4. Vigilius omnium Ecclesiasticorum virorum probatissimum esse testatur. Sic

Theodoret. enim ille ad Epictetum: Quæ humana natura passa est, ea sibi λόγος

dial. 3. accommodauit, vt nos diuinitatis Verbi participes esse possemus. Illud autem admiratione dignissimum est, quòd idem & passus est, & non passus. Passus quidem, quia proprium ipsius corpus, in quo erat, patiebatur. Non passus autem, quia cùm natura sit Deus λόγος, impatibilis est, & ipse quidē incorporeus erat, in patibili corpore, corpus verò habebat intra se impatibile Verbum, quod auferet infirmitates sui corporis. *Item in sermone maiore de fide*: Quamobrem vita non moritur, mortuos verò viuificat: vt enim lux nō læditur in obscuro loco, sic vita pati non potest, sustentans mortalem naturam. Nam diuinitas Verbi immutabilis, & alterationis expers est, sicut per Prophetam inquit Dominus, Malach. 3. Con-

Dialog. 4. siderate me, quòd ego sum, & non mutor. *Item*: Sicut corpus il-

de Trinit. lud animatum, quod sibi Verbum vniuit, proprium ipsius corpus est, non natura, sed secundum œconomiam & dispositionem: ita quoque passio & mors ipsius esse dicitur, non ratione naturæ, quę omnis passionis expers est, sed secūdum vnitionis œconomiam.

Epist. 97. *Hæc Athanasius. Leo Episcopus ad Leonem Augustum, inter alia Patrum te-*

Cyrillus ad *stimonia etiam Cyrilli sententiam recitat, planè memorabilem*: Christum

Nestoriū. dicimus & passum esse, & resurrexisse, non quia Deus Verbum in sua natura passus sit, aut plagas, aut clauorum transfixiones, aut

Ilē ad Eu- alia vulnera (Deus namque incorporalis, & extra passionem est)

optium in sed quia corpus illud, quod ipsius proprium factum est, passum

defensio. est, ideo hæc omnia pro nobis ipse dicitur passus. Inerat namque

Anathem. in eo corpore, quod patiebatur, Deus, qui pati non poterat. Si-

mili

mili modo & mortem ipsius intelligimus. Immortale enim, & incorruptibile est naturaliter, & vita, & viuificans Dei Verbum. Sed quia corpus ipsius proprium, gratia Dei, iuxta Pauli vocem, pro omnibus mortem gustauit, idcircò ipse dicitur mortem pas- *Heb. 2.* sus esse pro nobis. Non quòd ipse mortem esset expertus, quâtum ad ipsius naturam pertinet (insania est enim, hoc vel sentire vel dicere) sed quòd (vt suprà diximus) vera caro ipsius mortem gustauit. Ita & resurgente carne, ipsius rursus resurrectionem dicimus, non quia in corruptionem ceciderit (quod absit) sed quia eius resurrexit corpus. Ita Christum vnum & Dominum confitemur, non tanquam hominem cum Verbo coadorantes, ne diuisionis quædam species inducatur, sed vnum iam & eundem adorantes, quia non est alienum à Verbo corpus suum, cum quo ipsi etiam assidet Patri. *Hæc ille.*

Porrò sic contra commentitium illud communicationis Idiomatum, à naturarum diuersitate, introductum à Sophista nostro discrimen, sentiunt Orthodoxi Patres. *Epist. 57. & lib 3. ca. 20. ad Maximinum.* *Augustinus*: Sicut Filius hominis, secũdum Deum, erat in cælo (cùm videlicet hìc loqueretur Nicodemo) ita Filius Dei secundum hominem crucifigebatur in terra, & ita rectè dici potuit Deus gloriæ crucifixus, cùm ad *solam* carnem passio illa pertineret. *Fulgentius*: Hæc inseparabilis personæ vnitas, in qua Deus & homo vnus est Christus, facit vt homo Christus per gratiam nasceretur ex Deo, salua veritate & plenitudine humanæ naturæ, & idem Deus Christus voluntariè pateretur in carne, salua impassibili plenitudine diuinæ substãtiæ. *Item*: Vnus & idẽ Christus, Deus & homo est, qui quod humanum est, habet Deus, in veritate humanæ naturæ, & quod diuinum est, habet homo, in veritate diuinæ substantiæ. *Non dicit, ea quæ humana sunt, aliter haberi à Deo, & quæ diuina sunt, aliter ab homine, per realem videlicet eorum in humanam ipsius naturam communicationem, sed in veritate diuinæ substantiæ, sicut quæ humana sunt, habentur à Deo, in veritate assumtæ humanæ naturæ.* *lib 3. ad Thrasim.* *Idem Vigilius Martyr.* *Cyrillus*: Idem in eodem Deus & homo, in quo sua facit Deus Verbũ, quæ carnis sunt propria, quia ipsius est corpus, & nõ alterius, & vicissim communes facit cum sua carne diuinæ maiestatis suæ operationes. *Gelasius contra Nestorium*: Sicut legitur Dominus Maiestatis, sic vtique legitur etiam Filius hominis, vnde quicquid *lib. de Incarnat. Vnig. cap. 7.*

Deitatis eſt, habet homo, Filius hominis: & quicquid humanitatis eſt, habet Dominus maieſtatis. Beatum Petrum audiamus, dicentem, Chriſtum paſſum carne, non Deitate, cùm tamen ipſa Deitas totum ſuum faciat, quicquid caro perpeſſa eſt. Sicut & Filius hominis ſuum habet totum, quicquid eſt Dei: & ſub vna perſona meritò vnus atque idem dicitur pati, quicquid Deus homo patitur. Sicut vnus idemque virtutes operatur, quicquid homo Deus operatur. *Item*: Ea dignatione, qua ſuſcipit hominem, eumque ſibi vniuit, ſuum facit, quicquid eſt hominis, quia homini viciſsim tribuit, quicquid eſt Dei. *Propter hanc mutuam vtriuſque naturæ in vnitate perſonæ Idiomatum communicationem, Damaſcenus hanc vocat antidoſin, hoc eſt, mutuæ & reciprocæ attributionis modum.*

lib 3. cap. 3. 4. 5. theſi 74.

163. Nec eſt igitur Idiomatum, ad eorundem communicationem quod attinet, propriè loquendo, diuerſitas. Etſi enim natura humana per vnionem cum Verbo hypoſtaticam nouis ornatur, & quaſi locupletatur qualitatibus, doniſq; gradatim effuſis, ſupra omnes conſortes, ne quidem Angelis exceptis, ineffabiliter iam tranſcendit: tamen hæc ipſa donorum incrementa, non ſunt propriè loquendo Idiomata Dei in carnem effuſa, ſed potiùs eorundem Idiomatum effecta, ſapientiæ inquam, potentiæ, claritatis, vitæ &c. Quamigitur Filio Dei in proprietate eſſentiæ, ſine eiuſdem deſtructione non poteſt tribui mortis paſſio: tam naturæ aſſumtæ maieſtas Idiomatum Dei eſſentialium, vt eorundem caro Chriſti in ſe (in ſe inquam: ne quis cauilletur, à nobis illa admirandam & ineffabilem hypoſtaticam vnionem negari) realiter fieri particeps dicatur, ſalua carnis veritate, communicari nequit.

164. Neque diuerſa Baſilij eſt ſententia, cùm inquit: Domini caro particeps ipſa facta eſt Deitatis, non ſuam propriam tradidit Deitati imbecillitatẽ. *Nec enim negare putandus eſt, quòd per gratiam vnionis ſimul cum aſſumta carne, omnes etiam carnis noſtræ infirmitates, excepto tamen peccato, verè aſſumſerit, ſibiq; proprias fecerit Dominus. Niſi fortè carnem alterius ſpeciei aſſumſiſſe fingamus, ex qua nullus ad nos fructus rediret.*

Eſaiæ 53. *Et dulciſſima illa conſolatio planè nobis eriperetur, qua verè languores noſtros ipſum tuliſſe, & dolores noſtros ipſum ſuſtinuiſſe, cum Propheta gloriamur. Sed potiùs hoc ſibi vult Baſilius, cùm per vnionis gratiam omnia noſtra ſi verè propria fecerit Dominus, ſolo excepto peccato: non tamen aliquid mali ſiue perfectionis, ſiue imperfectionis in diuinam ſuam eſſentiam reduniſſe. Sicut è diuerſo λόγος in tota carne aſſumta ita lucet, vt eandem non quidem*

diuinæ lucis seu gloriæ, perfectione & maiestate simul, quasi perfundat. Id quod gratiam habitualem vulgò cum Scholasticis nominamus. At hoc non impedit, vt quoniam semper est vna Dei & hominis persona, siue ab hac, siue ab illa natura denominetur, eadem quoque sit vnius & alterius naturæ Idiomatum communicationis ratio, quæ quidem personæ in vtraque natura vnitatẽ, non autem ipsarum naturarum diuersitatem & inæqualitatem respicit.

Eadem est sententia dicti Augustini : Iniuria corporis affectam esse fateor, non Deitatem, sicut maiestate Deitatis glorificatam nouimus carnem. *Loquitur enim disertè de glorificatione, per quam nouas, salua carnis substantia, qualitates, diuinitus in Christo, quatenus homo est, accensas esse, si negauerit Disputator, ipsam etiam iniuriam corporis Christi, contra superius Vigilij testimonium, à Verbo penitus excludat, necesse erit.*

165. *Quæ autem Diui Petri sit sententia, declarat antithesis, quam instituit inter carnem, seu naturam Christi assumtam, & eiusdem Spiritum, hoc est, assumentis Verbi Deitatem.* Passus enim est Christus pro peccatis, iustus pro iniustis, vt nos adduceret Deo: mortificatus quidem carne, sed viuificatus Spiritu. *Vnus adeo, idemq; est Christus, vt de eo contraria, & passio seu mors, & sui ipsius ex morte resuscitatio prædicentur: sed non est vna eademq; natura, cui vtrumq; horum tribuatur: Sicut ergo caro Christi se ipsam non resuscitauit, sed viuificator Spiritus, hoc est, eiusdem Christi Deitas: ita Deitas ipsa mortem non gustauit, sed caro. Ideo enim, teste Ecclesia, Beatus author seculi seruile corpus induit, vt carne carnem liberans, non perderet quos condidit. Huic explicationi astipulatur etiam Theodoretus, cuius testimonium asscribam. Est enim consideratione dignissimum. Verba hæc sunt* : Diuus Petrus in Catholica 1 Pet. 4, Christum dixit passum esse carne. Christum verò audiens, non incorporeum intellige Deum Verbum, sed incarnatum. Nam Christi nomen vtramque naturam significat: particula verò, carne, passioni adiecta, non vtramque, sed alteram naturam passam esse significat. Nam audiens carne Christum passum esse, impatibilem ipsum intellige, vt Deum, soli verò carni tribue passionem Sicut enim audientes ipsum alibi dicentem Actor. 2. quòd iurauerit Deus, se Dauidi ex fructu lumborum ipsius secundum carnem Christum excitaturum esse: non Deum Verbum, ex semine Dauidis originem duxisse dicimus, sed carnem cognatam Dauidi, quam Deus Verbũ assumsit. Sic oportet audiẽtem, carne Christum passum esse, scire

Vide Fulgent. lib. 3. ad Thrasimundum.

In fine dialogi 3.

Christi nomen vtramque naturã complectitur.

Suprà theſi 156.

quidem carnis eſſe paſsionem: diuinitatis verò naturam confiteri impatibilem. *Quod igitur diſcrimen ex hac Petri ſententia ſecundum hunc Sophiſtam eſſe poteſt, ſi quis dicat, carnem & humanam naturam Chriſti paſſam eſſe, & mortuam, vel Chriſtum, ſeu Filium Dei paſſum & mortuum, eſſe carne, aut ſecundum humanam naturam?*

166. Cùm igitur vnio perſonalis duarũ naturarum in Chriſto, per vtriuſq; in vna communi hypoſtaſi exiſtentiam, ſeu concurrentiam, ita facta ſit, vt licet per eam λόγῳ aſſumtæ naturæ nouas qualitatum perfectiones conferat, ipſe verò nullam ab eadem alterationẽ percipiat: tamen vtraque natura ſua proprietates eſſentiales retineat, atq; ita diſtinctas Chriſtus operationes, non tamen ſeparatas habe. quibus commune effectum, ſeu beneficium, ſeu apoteleſma noſtræ redemtionis producitur: luce iam meridiana clarius eſt, nullũ reuera diſcrimen eſſe inter formam prædicationis, quam Eccleſia nominat cõmunicationem Idiomatum, ſiue diuinæ naturæ proprietates, Filio hominis, ſiue humanæ naturæ idiomata Filio Dei adſcribantur. Vtrobiq; enim à quacunque natura denominetur perſona, per particulam diſtinctiuam reſtringẽda ſunt idiomata, ad naturam, cui verè competunt, ne ſimul Neſtoriana perſonæ diuulſio, & Eutychiana, ſiue naturarum, ſiue proprietatum, ſiue actionũ confuſio, in Eccleſiam introducatur. Non magis ergo Maieſtas omnipotentia, omniſcientia, & omnipræſentia carni Chriſti aſſumtæ, quàm ipſa mortis paſſio diuinæ eiuſdem eſſentiæ, reali participatione adſcribi, ſeu communicari poteſt.

Cùm dicitur, Deus eſt paſſus, non habetur reſpectus ad naturam diuinam. ſed ad carnẽ.

167. Etſi enim aſſumta humanitas & λόγῳ per vnionem propria facta ſit, cui λόγῳ etiam ſeſe TOTVM *vniuit, nec alius ſit Filius Dei, & alius Filius hominis, ideoq; non verbotenus tantùm, ſed verè & realiter, Verbo incarnato mortis paſsio tribuatur: tamen cùm etiam in vnione aliud ſit Verbi aſſumentis Deitas, aliud eiuſdem caro aſſumta, λόγῳ in ſe, hoc eſt, abſolutè conſiderato, ſine impietatis ſcelere paſsio tribui nullo modo poteſt. Neque blaſphemum illud ſuum dogma, quòd etiam λόγῳ, in quantum, inquam, λόγῳ eſt, paſsio tribuatur, vllo vnquam Diſputator vel recepti Symboli, vel ſacræ Scripturæ teſtimonio, citra calumniam probauerit. Subiiciam autem Theodoreti commonefactionem, grauiter perſtringẽtem inanes verborum præſtigias, quibus Sophiſtæ ludunt:* Qui carne, *inquit*, paſſum eſſe Deum Verbum aſſeuerant, interrogentur de dicti ſententia: ac ſi dicere auſi fuerint: quòd corpore confixo dolorem diuina ſuſtinuerit natura, diſcant, non animæ vicem diuinam naturam ſubire. Nam & animam

Theodoret. dial. 3. circa finem.

Vide Damaſc. lib. 3. cap 26. & lib. 4. ca 7.

nimam Deus Verbum vnà cum corpore assumsit. Si verò hunc sermonem tanquam blasphemum repudiarint, & dixerint, natura passam esse carnem, Deum autem Verbum accommodasse sibi passionem, vt propriæ carnis, non ludant in anibus præstigiis verborum, sed disertè exponant malè sonantis dicti sententiam. Nam interpretationis approbatores habebunt, qui diuinam Scripturam ducem sequi volunt.

De duplici gloria Christi doctrina Iacob. Andreanâ.

168. *Quòd verò de duplici iam tandem Christi hominis gloria concionem adornat, superioribus inuectiuis, quibus hanc ipsam distinctionem Alcorano comparauit, ex diametro repugnat. Vnum ergo, quod reprehendit, ipse bibit. Sed vt suum toxicum admisceat, attẽdamus. Omissa verò iam accuratiore illa distinctione, qua non absurdè alia dicitur esse maiestas Verbi, respectu essentiæ, alia respectu dispensationis: quarum hac ratione simul carnis assumtæ, secundum se, & ratione finis, hoc est, officij, propter quod Verbum caro factum est, consideratur: in præsentia sanè methodũ Disputatoris retineamus. Quòd igitur duplex Christo secundum humanitatem accesserit gloria, seu maiestas, (modò lector superioris commonefactionis, quòd phrasis illa, secũdum humanitatem, non eodem modo vsurpetur, memor sit, nec ambiguitate Disputatoris se decipi patiatur) assentimur, & diligenter cauendum esse, ne quæ differunt, inter se confundantur, summa fidelitate à præceptoribus edocti sumus.*

Prior maiestas gloriæ Christi.

169. *Alia enim est gloria, seu maiestas, quam natura humana in se habet, tanquam in subiecto, à diuinitate τῦ λόγυ acceptam, qua supra omnes angelos, ac beatos homines eminet. Ratione cuius gloriæ corpora nostra ipsius corpori in resurrectione, suo modo cõformia fore, Apostolus affirmat.* *Phil. 3.* *κατὰ τὸ ποιὸν τοίνυν, ἢ κατὰ τὸ ποσὸν, inquit Theodoretus, id est, secundum quale, non secundum quantum.* *Dial. 2.* *Atq; huc referenda sunt omnia illa dona in carnem Christi collata, non ἀνυποστάτως inquam (his enim effusis natura humana in Deitatem iam dudum fuisset absorpta) sed hyperphysica illa, quorum plenissima abundantia naturam illam assumtam supra ceteras res creatas omnes inenarrabili eminentiæ modo euehit, ita tamen vt & ipsa creata esse non desinat.*

Ergo in illorum collatione nõ propriè cõsistit vnio.

Obseruãdum & illud est, hanc summam gloriam donorum habitualium, quibus humana natura secundum se locupletata est, ab assumentis Verbi Deitate gradatim in assumtam carnẽ fuisse effusam, non ab ipso vnitionis momento: quoniam Christum oportuit infirmitatibus omnibus nostris (excepto peccato) re ipsa obnoxiam carnem suscipere, donec impletis omnibus, ad salutem nostram necessariis, nomen supra omne nomen (Deitatem semper excipe) adi-

piſceretur. Et non obſcura ſunt loca Scripturæ, quæ teſtantur, puerum Ieſum profeciſſe ſapiẽtia, ætate & gratia, apud Deum pariter atque homines. Luc. 2.

Altera gloria Christi maiestas Ioan 17.

170. Alia verò gloria eſt diuinæ Maieſtatis propria, de qua Chriſtus in ardenti illa precatione, antequam captiuus abduceretur, loquitur: Pater, glorifica ME apud temet ipſum ea gloria, quam HABVI, priuſquã hic mundus eſſet. Hæc non eſt creata, aut accidentaria Chriſti gloria, vel maieſtas, multò minùs in natura humana, tanquam accidens in ſubiecto, hæret. Sed illa potiùs maieſtas eſt, de qua in Symbolo dicitur, Patris, Filij, & Spiritus ſancti vna Deitas, æqualis gloria, coæterna maieſtas. Et cùm ſit diuina eſſentiæ propria, vnita quidem eſt carni aſſumtæ, vnà cum reliquis Verbi aſſumenti proprietatibus eſſentialibus, per vnionem hypoſtaticam, ſed quòd eandem humanam naturam realiter ſibi à Deitate communicatam acceperit, nulla ratione probari poteſt: quin potiùs, ſi ita ſe res haberet, nec gloria illa diuina ampliùs maieſtatis propria dici rectè poſſet, nec illa ipſa Filij Dei ardentiſſima precatio ſibi conſtaret. Non enim dicit: Pater, glorifica meam carnem: Sed ME (inquit) glorifica, Pater: quaſi dicat: Nunc miſſus, ſubiectus ſum cruci, & ſeruio meæ vocationi, nec agnoſcit mundus, me coæternũ eſſe Filium tuum. Reſtitue igitur mihi gloriam, quam ab æterno habui, id eſt, adiuua luctantem, & liberã, vt in victoria & regno conſpiciatur tandem gloria, quam nunc propter humiliationem mundus in me non agnoſcit. Loquitur dictum de perſona miſſa, & confertur præſens ſtatus humiliationis, cum futuro ſtatu glorificationis. Petit ergo glorificari, hoc eſt, declarari, quòd is ſit, pro quo non agnoſcebatur, licet idem eſſe nunquam deſierit. Et quanta ſit abſurditas, eam gloriam, quæ petit glorificari à Patre Chriſtus, ad aſſumtam naturam, tanquam realiter eidem per vnionem communicatam referre, vel cæcus, quod dicitur, manibus palpet. Si enim realiter iam tum fuit communicata aſſumtæ carni, quorſum opus fuit petere ſibi communicari, quam iam realiter communicatam poſſidebat? Si à momento (inquam) vnitionis, corpus Chriſti fuit ἐνδοξον, quorſum glorificationem corporis, iam tum ab vtero matris (vt impiè ſcribit) clarificati, petere opus habuit? Deinde cùm petat, ſe ea gloria glorificari, quam apud Patrem habuit, priuſquam hic mundus exiſteret: ſiquidem is gloriam petit, qui iam olim habuit, dicemúſne aſſumtam naturam ante mundum ab æterno fuiſſe? Denique non erit hæc Filij Dei propria & naturalis, à qua per exinanitionem quaſi exiuit ipſe gloriæ Dominus, ſed aduentitia humanæ naturæ gloria, quam petit Chriſtus. Rectiùs itaque Apoſtolus hunc locum intelligens, Chriſtum ſcribit, cùm in forma Dei eſſet, hoc eſt, verus Deus, & Patri

Pratorius theſi 228.

Phil. 2.

æqualis,

æqualis, se ipsum exinaniuisse formam serui assumendo, vt, quemadmodum id egregiè explicat Cyrillus, incarnationis mysterio consummato, ad pristinam gloriam rediret. *Lib. 11 in Ioan. ca. 14.* Vt enim omnino harum quoque rerum Patrem autorem ostenderet, sic eum alloquitur, Tempus iam esse demonstrans, vt ad naturæ suæ dignitatem cum carne ascendat. Ascendat autem non alterius ministerio, sed vt sapientia Dei Patris, & virtus. Consideretur hic etiam obiter friuola illa, & hactenus in hoc mysterio planè inaudita, ideoq; impia distinctio, qua Nanus quidam, hæreticorum simia, maiestatem Idiomatum diuinorum naturæ assumtæ in Christo competere scribit χρήσει: diuinæ verò naturæ Verbi assumentis κτήσει. Vt enim iam nihil opponã prolixius, cùm phrasis illa sit iuridica, & dominium, vt loquuntur, directum, quod Græci κτῆσιν nominant, à dominio vtili, quod χρῆσιν vocant, suo loco eruditè discernat, sequetur, Idiomata Dei, quæ nihil aliud sunt, quàm ipsa Dei simplicissima & absolutissima essentia, non semper esse actu talia: cùm vsus seu χρῆσις omnipotentiæ, omniscientiæ, & omnipræsentiæ, non diuinæ, sed humanæ naturæ adscribatur, sicut directum & vtile dominium eodem modo inter se discernuntur. Imò proprietates Dei essentiales, quibus remotis, ipsa Dei essentia tollitur, inter τὰ πρός τι, hoc est, inter accidentia numerabuntur: & quidem non à natura, sed potiùs à voluntatis humanæ arbitrio, & quasi pacto, vt sunt contractus, inter Dominum feudi, atque vasallum, orta seu dependentia. Quibus ineptiis, imò blasphemiis, ab ineffabili hoc mysterio vnionis duarum naturarum in Christo piè explicando, nihil alienius excogitari poterat. *Scl neccerus hæreticorũ simia.*

Neq; verò sibi hac thesi satis cauet Disputator, quòd hanc gloriam non accidentariam esse, nec vt accidens in subiecto hærere dicit. Etsi enim ea maximè apud Patrem fuerit ab æterno, vt argutatur Sophista: tamen quia, vt dictum est, non esset hæc gloria humanæ naturæ propria, & naturalis, sed aduentitia, non aliter ipsi, quàm vt accidens subiecto, realiter competere posset. Quin igitur potiùs cum Cyrillo, & Patribus fatemur, quòd Filius Dei, propter incarnationis œconomiam qua paupertatem nostram sibi propriam fecit, gloriam, quam ab æterno habuit, vt in principio Deus Verbum, sibi rursum dari petit, vt eam nunc habeat, vt Verbum caro factum, & Filius Dei in carne manifestatus. Proinde vnus & idem sibi gloriam dari petit, qui iam olim hanc habuit: sed alio assumtæ naturæ respectu petit per œconomiam, quod also & diuerso naturæ respectu semper habuit per essentiam, vnde Cyrillus: Propria quidem sunt omnia Verbi, quatenus natum est ex Deo, & dominatur omnibus cum Patre. Accepit autem hæc secundum huma- *lib. de fide ad reginas. & de incarnat. Vnig. cap. 4.*

nitatem, quando factus est sicut nos. *Item*: Sufficit, quòd Dominus noster Iesus Christus nulla externa & aduentitia gloria opus habeat: quomodo ergo Dominus gloriâ accipit à Patre? Nónne manifestum est, quòd is sermo iterum dispẽsatiuè factus est? Nam accipit quidem, vt homo: & est sic gloriæ Dominus, vt Deus. Atq; ita cùm sit gloriæ Dominus, gloriam dicitur accipere. *Item*: Glorificatur quidem à Patre, nõ quòd gloria indigeat, cùm extra carnem Deus ex Deo intelligatur, sed quoniã erat homo, quasi propriæ naturæ fructum non habens, potentiam operandi efficaciter diuinè accipit quodammodo illam per vnionem, & ineffabilem cõcursum, qui intelligitur Dei Verbi esse cum humanitate. *Item*: Vnus est Filius cum Patre, identitate essentiæ, quamuis in propria subsistentia sit. Verùm quoniam propter nostram salutem à sua dignitate & claritate exiuit (hoc enim significat exinaniuit se ipsum) accepit rursus cum carne (hoc est incarnatus) gloriam, quam semper habuit, vt Deus. Quoniam ergo templũ, quod ex Virgine accepit, quamuis consubstantiale Deo Patri non sit, vnitũ est tamen ita cum Verbo, vt vna persona cum eo sit (vnus n. Christus, & vnus Filius est, etiã homo factus.) Idcircò vnitatẽ cum Deo accepisse dicitur, quòd templum suum, quod à se Deus non est, vnum cum Verbo factum est. Et vt breuiùs dicam & clariùs, quod templo suo datum est, sibi datum Vnigenitus ait, datum videlicet à PATRE per ipsum in Spiritu. Non enim aliam habet viam hic modus vnitatis cum Deo. Intelligitur enim in Christo, vnitate ineffabili, caro sanctificata, absque vlla confusione ad vnitatem Verbi ascendere, & per Verbum ad vnitatem Patris, habitudine silicet quadam, nõ naturaliter. Hanc igitur claritatem & gloriam Pater (inquit Christus) quam mihi dedisti, quæ est, vt tecum vnum sim, dedi eis, vt sint vnum, sicuti nos sumus vnũ. *Item*: Existens in forma & æqualitate Patris, Deus Verbum, exinanitus quidem dicitur, propter humanitatem. Exaltatus verò rursus, non in externam dignitatem, & qua olim caruerit, conscendens, sed rediens ad gloriam & eminentiam sibi implantam, & in ipso semper existentem. Exaltatur enim humanè (seu humanitatis respectu) quamuis secundum naturam sit altissimus: factus est enim homo, & hæc est, vt opinor, naturæ conditio & exinanitio, quæ dicitur.

Ergo aliud est loqui de Filio Dei simpliciter, aliud vt incarnato.

Nota bene. Hac nõ possunt de rea communicatione in humanam naturam intelligi.

Vnitas cum Verbo est ipsa gratia Vnionis.

In li. de recta fide ad Reginas. & in li. 10. ca. 20 in Ioan.

Exinanitio Christi.

Hæ

Hæc ita Cyrillus, ex quibus tria sunt pertinentia ad rem notanda. Primò, quòd de tota persona Christi, & ipso Vnigenito Dei Filio intelligatur, quòd gloriam, quam sibi à Patre dari petit, accipit, quamuis hoc non absolutè de ipso, vt Deo Verbo, sed vt in carne misso & manifestato, dicatur, qui per hoc gloriæ propter assumtæ naturæ conditionem, inops & indigus factus videtur, quamuis sit gloriæ Dominus. Huc pertinent quæ Damascenus scribit: Cùm de carne loquimur, deificationem, verbificationem, superexaltationem & vnctionem dicimus. Hæc certè à Deitate sunt, & circa carnem considerantur. Et quando de Verbo, exinanitionem, incarnationem, humanationem & humilitatem, atque alia quædã dicimus, à carne de Verbo & Deo dicuntur. Ipse enim hæc sustinuit volens. Secundò, quòd hæc non de externa & aduentitia gloria, sed quam Christus ab æterno, vt Deus verus existens, naturaliter habuit, intelligantur. Non igitur de gloria & maiestate, in humanam naturam reali communicatione effusa, quæ ipsi certè non nisi externa & aduētitia esse posset, atque hoc tantò minus, quòd talis gloria nec essentialiter, nec formaliter, nec habitualiter, nec subiectiuè, nec per se, nec per accidens ei sit data, dicta intelligi possunt: nam hoc modo gloriã sibi à Patre dari, Christũ petiisse, impium esset sentire. Tertiò, quòd cùm Cyrillus dicat, quod templo Christi datum est, ipsi Vnigenito datum videri, propterea quòd vnũ cum Verbo factum est, ac per hoc carnem ipsius ad vnitatem cum Patre ascendere: non posit hoc aliter, quàm per vnionis gratiam, qua idem cum Verbo ὑφισάμενον est, intelligi: vt sicut datum est carni vnum esse cum Verbo, per hypostasin: ita quoque per hanc vnionem sit ei datum, hoc modo vnitatem cum Deo Patre habere, habitudine videlicet quadam, & non naturaliter: quæ tamen si de reali à Patre in humanam naturam gloriæ communicatione, vt vult Vbiquitarius noster Disputator, intelligantur, necessariò efficient, humanam naturam cum Patre, per hanc realem communicationem, personali vnione coniungi & copulari.

infrà thesi 186.

Lib. 4. cap. 19.

Caro facta est Verbũ, nõ in se, sed κατὰ ὑπόστασιν.

Damasc. li 3. cap. 17.

Vide hic Paraphrastẽ.

Notate Vbiquitary.

171 Quam itaque thesi 123 maiestatem τοῦ λόγου propriam esse dixit, iam fatetur non esse τοῦ λόγου, sed totius diuinitatis propriam, hoc est, æterno Verbo, cum Patre & Spiritu sancto, perinde atque ipsam Deitatis essentiam, communem: eamq; nihilominus, vt non bis, sed infinities sibi ipsi contradicat, carni assumtæ per vnionem realiter communicare pergit. Ne tamen conscientia intus reclamantis scrupulum præteriisse videatur, non propterea totam incarnari Trinitatem, scilicet, pascisci tur. Quod quàm sit firmũ, examinabimus.

172. Sic autem argumentatur: Vnitas Deitatis, simplicissimæ illius essen-

tia, quam λόγος cum Patre & Spiritu sancto communem habet, non probibet, quò minùs in sola persona τοῦ λόγου, diuinæ & humanæ naturæ facta sit vnio.

Sed gloriæ & maiestatis diuinæ, quam λόγος cum Patre & Spiritu sancto communem habet, eadem est vnitas in sacrosancta Trinitate, quæ ipsius simplicissimæ diuinæ essentiæ. Hinc iam Orthodoxè inferre poterat.

Vera illatio Iacob-Andreani argumẽti.

Ergo etiam vnitas illius gloriæ & maiestatis diuinæ, quam λόγος cum Patre & Spiritu sancto communem habet, non dissoluitur, nec obstat, quò minùs in sola persona τοῦ λόγου diuinæ & humanæ naturæ facta sit vnio. Sic cùm recte quidem argumentari potuisset, sed absq; sui delirij commodo, ne tamen ab insano dogmate ad fidei sanitatem reflectere cogatur, pro fabrili sua versutia, non hoc quod ex præmissis bona consequentia vltrò sequitur, sed aliud, quod nõ ineſt, extorquere conatur. Ideoq; ab vnione personæ ad realem communicationem proprietatum, quam humanæ naturæ (naturæ inquam humanæ) factam clamitat, id est, ad distributum ab indistributo procedit, & disparata confundit, hoc est, inter Verbi hypostasin, eiusq; essentiam non discernit. Sic enim concludit. Ergo & hæc gloriæ, & maiestatis diuinæ, quæ ab æterno fuit cum Patre, communicatio nihil obstat, quò minùs & humanæ naturæ, NATVRÆ, inquam, HVMANÆ, in persona τοῦ λόγου sit communicata, nec propterea Pater, aut Spiritus sanctus verè incarnatus dicatur. Quibus verbis non simplex stabilitur impietas: nam & verba Christi peruertuntur, quibus eam gloriam sibi, vt personæ missæ, & ratione officij iam humiliatæ, restitui petit, quam ab æterno SB (SB inquam) apud Patrem habuisse testatur. Non inquit, gloriam, seu maiestatem illam ab æterno cum Patre, vel apud Patrem fuisse (sicut hoc astuta fraude iniicit Disputator.) Sic enim singularis tribueretur gloriæ illi æternæ hypostasis, ac quaternio inferretur, cùm apud Patrem, vel cum Patre esse, sit personæ, non essentiæ nota. Ioan. 1. Et vnio insuper à Verbi hypostasi, qua sola distinctus est Filius à Patre & Spiritu sancto, ad id, quod Filius cum Patre & Spiritu sancto commune habet, nimirum ad maiestatem essentiæ transfertur. Vnde quicquid tandem excipiat, alterutrum horum necessariò sequi nulla ratione negari poterit. Aut nimirum totam incarnatam esse Trinitatem, cùm per vnionem natura humana tandem cum Verbo participet maiestatem, quam non habet Filius à Patre & Spiritu sancto distinctam, sed cum iisdem communem: atq; ita Sabellij & Patripaßianorum blaſphemiam renouari certum est: aut si id non concedat, deteriorem saltem Filij, quàm Patris & Spiritus sancti gloriæ conditionem affinget, cùm il-

Hanc fallaciam nõ viderunt nouæ matæologiæ Doctores creati.

Falsa illatio Iacob-Andreana.

Reſpõdeat hic ſipoteſt, blaſphemus hareſium renouator.

lam

lam statuat realiter communicabilem creaturæ, hoc est, carni assumtæ, hanc verò non item. Quod Arrianum est, & individuæ Trinitatis substantiam separat.

Sed agè, ostendamus adhuc iterum aliquantò prolixiùs, quomodo per hanc realem maiestatis gloriæ Dei communicationem, etiam incarnatio Patris ab hoc nostro Disputatore introducatur. Suprà thesi 170 dixit, gloriã diuinæ maiestatis propriam, de qua Christus ait: Pater, glorifica me apud te ipsum &c. *humanæ naturæ à diuina communicatam esse per vnionem: ac proinde humanam naturam virtute vnionis hypostaticæ hanc realiter communicatam accepisse, adeo vt sine hac reali communicatione personæ vnitatem solui sit necesse. At quia hanc gloriam Christus secundum humanam naturam (vt vult Thesis) petit sibi dari, & accipit quoque à Patre, Annon euidentissimè hinc consequitur, per hanc maiestatis gloriæ Dei realem communicationem, qua velut propria differentia personalis vnio constet, humanam naturam vnitam esse cum Patre? Manifestum est itaque, quoties hæc dicta Scripturæ:* Pater diligit Filium, & omnia in manus ipsius dedit. *Item:* Data est mihi omnis potestas. *Item:* Omnia mihi tradita sunt à Patre. *Item:* Pater glorifica me. *Item:* Dedit illi nomẽ super omne nomen. *Item:* Gloria & honore coronasti eum: *a. aj. his similia, ad realem diuinarum proprietatum communicationem in humanam naturam detorquent Orthodoxæ veritatis aduersarij, sicut hoc nouo & inaudito hactenus in Ecclesia sensu facit Liber Bergensis, inquiens:* Ex vnione personali venit, quod Christus etiam de humana sua natura dicit Matth. 28. Mihi data est omnis potestas in cælo & terra. Et Iohan. 13. Sciebat Iesus, quòd omnia dedisset ei Pater in manus. *Quoties inquam ex his dictis realis illa diuinarum proprietatum communicatio, quæ ex vnione personali humanæ naturæ Christi competat & tribuatur, ita vt ex reali communicatione, à Patre facta, humanitas Christi reipsa sit omnipotens, & omnipræsens, ac propterea etiam viuifica, & adoranda, probare conabuntur, toties illam cum Patre hypostaticè vniunt, & Patrem hac vnione incarnant. Quod qui non vident, nec animaduertunt, hos neque quid dicant & sentiant, fateri est necesse. Aut enim si hoc negare volent, ista Scripturæ dicta nihil ad ipsorum commentum, de reali Idiomatum in naturis communicatione pertinere, absque contradictionæ concedere cogentur: aut hanc ex personali vnione non consequi, nec inferri posse, necessariò fatebuntur. Ad quæ quid responsurus sit ille hæresium in sua disputatione Renouator, non sine*

Eodẽ modo Arriani hinc probare volue-runt, Verbũ Patris esse facultatẽ Deum. Suprà thesi 137. Iac. Andr. thesi Tubing. 23. Manifestus Scriptura abusus.

Liber Bergensis Ger. fol 312 Lat. fol 747. de persona Christi.

desiderio quis expectabit intelligere. Verùm inuertamus etiam Sophisticationis suæ, quâ hoc telum eludere conatus est, illationem, hoc modo: Sicut nitas diuinæ & simplicissimæ naturæ, quam λόγ@ cum Patre & Spiritu sancto re ipsa communem habet, non facit, vt per vnionem hypostaticâ in persona & λόγu, communis hac toti Trinitati Deitatis natura, humanæ naturæ realiter communicetur, alioqui tota incarnaretur Trinitas: ita quoq; in persona & λόγu hypostaticè facta vnio non requirit, nec efflagitat realem aliquam totius individuæ Trinitatis gloriæ & maiestatis (quæ ab ipsa Deitatis natura separari non potest) in humana natura communicationem.

Proprietates Deitatis in Filio, non re, sed solâ ratione differunt à Deitate Patris.

173. Eo ipso enim, quia in persona (in persona inquam) & quidem solius λόγu facta est incarnatio, non in essentia, aut essentiali proprietate, seu maiestate, quam sacrosancta Trinitas inter se communem habet, etiam in eo, quod solius personæ & λόγu proprium est, & per quod velut characteristica sua proprietate à Patre & Spiritu sancto discernitur, vnionem seu incarnationem factam esse, fateri erit necesse, ac proinde realis illa maiestatis Dei propriam carnem assumtam transfusio excluditur. Cùm vna, inquit Augustinus, sit Deitas, impleuit quidem carnem Christi, & Pater, & Spiritus sanctus, sed maiestate, non susceptione. *Solus enim Filius susceptit humanitatem, & quidem in singularitate personæ, non in vnitate diuinæ naturæ, seu maiestatis, id est, in eo quod proprium est Filij, non quod commune est Trinitati. Nec tamen propterea (vt quidam calumniantur) ab vnione hypostatica, seu incarnatione Filij excluditur ipsa Dei essentia (cùm Filius nihil aliud sit, quàm essentia diuina: non simpliciter, sed cum proprietate hac consideratâ, quæ est, à Patre æternò genitum esse) sed potiùs discernitur inter terminus (vt sic loquar) à quo, & in quem. Tota enim Deitas vnita est toti naturæ humanæ, sed in sola Filij persona: vt pulcrè declarat Damascenus lib. 3. cap. 6. Licet Pater & Spiritus sanctus non minùs sint distinctæ in Deo personæ, quàm Filius, atq; ita hæ tres personæ sint vnus essentia Deus: tamen alia est persona Filij, quàm Patris & Spiritus sancti. Ideoq; non Pater aut Spiritus sanctus, sed solus Filius homo factus est, assumens, quod non erat, & permanens, quod erat: Vt idem iam sit coessentialis, & Patri, & nobis: perfectus nimirum Deus & perfectus homo: ex anima rationali, & humano corpore subsistens. Sicut apertè Scripturæ testimonia id confirmant: Ioan. 1. Verbum caro factum est. Rom. 8. Deus misit Filium suum in similitudine carnis peccatricis. Rom. 1. Qui genitus fuit ex semine Dauid, secundum carnem, declaratus fuit Filius Dei &c.*

Damasc. lib. 3 cap. 7.

Augustin. serm. 3 Domin. Adu. Domini.

Quemad-

174. Quemadmodum igitur vna eſt aterna Diuinitas, eterna illa, & infinita Patris, Filij, & Spiritus ſancti Deitas: ſic vna quoq; eſt gloria & maieſtas: videlicet infinita illa, & immenſa potentia, ſapientia & bonitas, ad cuius κοινωνίαν, ſeu virtutem caro Chriſti, teſte Cyrillo, aliter non conſcendit, quàm ſicut eodem modo ad vnitatem Verbi, abſque confuſione, propter vnam carnis & Verbi hypoſtaſin conſcendit, hoc eſt, quia Verbum caro factum, ſibi eam vnione hypoſtatica vniuit, ita vt Filius Dei idem iam ſit Filius hominis, & quæcunque de Filio Dei verè dici & credi poſſunt, debent q; eadem de Filio hominis propter vnitatem perſonæ, rectè prædicentur, & credantur: nec tamen propterea caro, vel in Deitatem abſorpta vel conuerſa ſit, vel diuinam maieſtatis gloriam in ſe receperit. *Cyrillus li. 1. cap. 27 in Ioan.*

175. Nec enim alioqui ſiue heri, ſiue nudiustertius, ad paſcendam Eccleſiam vocati, ſiue Neophyti denique, ſiue πολιοκρόταφοι, ſiue quicunq; ſanè, quos pungere hic voluit Diſputator maledicus, ne ſe veteratorem agere diſſimularet, ex reali eſſentialium Dei proprietatum, in carnem tranſfuſione, ſeu communicatione ipſius, Deitatis duplicitatem ſimul, & naturarum in Chriſto identitatem colligunt, vllo ſatis firmo & idoneo argumento, citra calumniam refutari vnquam poterunt. Neque verò capillorum, ſeu barbæ canitiem, vt ferè moris habet, loco probationis obiiciat ὁ ψευδοπολιοκρόταφος, ne vel OSBÆ illud audire cogatur: Et iam canities obrepſit veteratori, & tamen non intelligit: *vel prouerbium vulgari ſermone tritum:* αἱ λευκαὶ τρίχες ὑ πυνθάνου πῶ φρένα: *Item* αἱ πολιαὶ χρόνου μήνυσις, ὐ φρονήσεως: *ſecundum Menandrum. Vel illud Leonis de Eutyche, primo huius ſectæ patrono, qui ideo erroris Magiſter extitiſſe ſcribitur, quia veritatis diſcipulus nunquam fuerat.* Quam enim eruditionem de ſacris Noui ac Veteris Teſtamenti paginis acquiſierit, qui nec ipſius quidem Symboli initia comprehendit: & quod per totum mundum omnium regeneratorum voce depromitur, iſtius, quamuis ſenis, corde nondũ capitur? *Hæc Leo. Sed noſtrum illum Eutychen continuæ forſan iſtæ, quibus ſe oblectat, vt innocentibus inſidias ſtruat, & ſacram, qua ſanctiſſimus Pater vexatur, auri famem ſaturet, rabiemq; vindictæ, cuius vritur flãmis, expleat, atq; inanis, cui inhiat, gloriolæ ſitim reſtinguat, circumuectationes excuſabunt. Omiſſis igitur parergis ad argumenta reuertamur.* *Duplex in Chriſto Vbiquiſtarũ Deitas: alia naturalis, alia per gratiã. Vnde & duplex & diuerſa adoratio. Leo Romanus.*

176. Cùm enim proprietates Dei eſſentiales ipſam diuinam eſſentiam definiant, adeo vt euicunque realiter illæ tribuantur, eſſentiam ipſam tribui neceſſe ſit: fieri nulla ratione poteſt, quin per nouum hoc realis Idiomatum

communicationis figmentum, quo carni assumtæ, ipsa Dei omnipotentia, omniscientia, & omnipræsentia, tota denique plenitudo Deitatis, reali participatione attribuitur: ita vt Deitas donatrix, humanitas verò proprietatum Deitatis acceptatrix nominetur, simul & carnis cum Deitate identitas, seu exæquatio, & Deitatis creatæ nimirum, & increatæ, siue communicantis & accipientis duplicitas statuatur. Id quod nulla vnquam Sophistica labefactari aut euerti posse, vel hinc saltem æstimemus licet, quòd Disputator, quo magis in argumenti huius immota consequentia soluenda se torquet, hoc artius se ipsum cõstringit. Quid enim est, quòd naturarum exæquationem & identitatem friuola ista distinctione inter τὸ εἶναι καὶ τὸ ἔχειν, hoc est, inter ipsum habere, amoliri studet? Si eadem realiter accipit caro ex gratia, quæ Deus vel habet natura, vel essentialiter ab æterno esse dicitur, ratione quidem principij qualiscunque, ratione formæ nulla erit naturarum in Christo inæqualitas: atque eo ipso Ditheitarum blasphemia stabilietur, quòd ratione principij saltem, non autem ratione formæ, hoc est communicatæ Deitatis, naturaliter se differre statuuntur. Quæ porrò huius & 87 theseos est harmonia, vbi illic neutra natura proprietates alterius, vel per se, vel per accidens habeat? catur: hic verò contrarium asseratur, quòd videlicet natura humana τῷ ἔχειν, hoc est, habendo fiat, quod Deitas Christi ab æterno essentialiter existit. Quidve hoc monstri esse dicamus, quòd, quæ neque per se, neque per accidens habere dicitur, personaliter tamen & realiter habeat? Aut quis nobis non istas argutias conciliabit, quòd natura Christi humana se ipsa non sit persona, & tamen omnes diuinæ naturæ proprietates, adeoq; quicquid Christus essentialiter iuxta diuinam naturam existit, reali participatione sibi communicatum & datum personaliter habeat? Quin potiùs, sicut humanitas Christi per se non est persona, quia non in suæ naturæ propria, sed in alterna Filij Dei persona & hypostasi subsistit & sustentatur: ita quoque nihil in se personaliter habere propriè dici potest. Quòd si verò omnes diuinæ naturæ proprietates sic personaliter in se habere intelligi debet humana Christi natura, sicut Verbum & Filium Dei sibi vnitum habet, per hypostasin. Ergo secundum hunc habendi modum, nulla potest realis in humanam naturam communicatio introduci.

Humanitas cur non sit persona.

Ergo sic habebit κατὰ ἄλλο.

177. Quæ ratione non stultam saltem veritatis ignorantiam, sed manifestam planè amentiam & insaniam, vel effrenem potiùs malitiam produnt, qui illa non tantùm ἀσυνδιονύσως, καὶ οὐδὲν πρὸς ἕπος respondeant, verùm etiam contradictiones contradictionibus cumulent, Orthodoxorum tamen argu-

menta, quæ non heri aut nudiustertius, vt nugantur, per ignorantiam excogitata sunt, sed vnanimi omnium rectè sentientium inde ab Ecclesiæ initio, consensu nituntur, explosa esse, aut explodi vlla Sycophantarum rabie ex fidelium animis posse, sibi, suisq; persuadere non verentur. Physicis interea excutiendum relinquo, quod thesi antecedēte scribit Disputator, animæ essentiam, hoc est, τὸ τί ἐστιν εἶναι, seu ὁρισμὸν ὑσιώδη, nihil aliud esse, quàm omnes animæ potentias: idq; ideo, quia Spiritus sit ἀμέριστον. Multiplex enim huius assertionis absurditas est. Primum tollitur discrimen inter Spiritum diuinum, in quem non cadit accidens, cùm sit πνεῦμα τῇ οὐσίᾳ ἢ φύσει ἀγαθὸν: & inter Spiritus creatos, qui sunt ἀγαθοὶ τῆς ἀγαθότητος μετοχῇ, vt Athanasius loquitur. Deinde confunditur anima hominis, cum pecudum animabus: & constituitur partim bruta, partim λογικὴ, adeoq; non tota, sed tantùm ex parte immortalis: cùm negari non possit, nihil in homine præter τὸ λογικὸν à morte esse immune. Tertiò, erudita Physicorum doctrina reclamat, qui potentias inferiores in homine, vt τὸ ζωτικὸν, καὶ τὸ αἰσθητικὸν, hoc est, vegetatiuam, & sensitiuam, propriè corporis esse δυνάμεις docent: quia corpus organicum est δυνάμει tale, cuius δυνάμεως prima ἐνδελέχεια seu ἐνέργεια est anima, secundum Aristotelem. Ac de his duabus facultatibus etiam in Ecclesia verè dici constat, oriri eas à semine, & esse vel temperamenta, vel δυνάμεις in corpore. Itaque communio ista animæ cum corpore essentialis, & physica, de qua Disputator imperitè philosophatur, pertinet tantùm ad actum potentiarum, quæ sunt in corpore. Vt, ideo corpus animatum dicitur viuere, sentire, moueri: quia est corpus organicum, potentia vitam habentis, cui potentiæ ἐνδελέχειαν affert anima. Nemo autem vnquam hinc euincet, quòd corpus animatum habendo rectè & propriè dici possit natura spiritualis, aut intelligens: seu quòd corpus τῷ νοεῖν sit intelligentia præditum: licet anima, quæ actu primo, id est, substantiali, corpus physicum, organicum, δυνάμει vitam habens, viuificat, reuera sit Spiritus intelligens. Multò minùs hinc realis natura Christi assumta omnipotentia demonstrari poterit. Sed pleniorem huius doctrinæ explicationem ab eruditis Physicorum & Medicorum scholis expectabimus.

Error Iacobi Andreæ de anima hominis.

178. *Sic quoq; cùm vnionem hypostaticam non nisi ex reali Idiomatum κοινωνίᾳ, seu quod idem est, ex totius energiæ diuinæ in naturā assumtam transfusione definiant, nec aliud inter Petrum & Christum discrimen statuendum clamitent, quàm quòd Filius Dei, quem sua essentia non minùs Petrum atque hominē Christū, vt loquūtur, implere fingunt, Petro quidem aliquas, homini*

Brentius in Recogn. & Iac. Andr. thesi Tub. 22 & 23.

autem Christo proprietates suas omnes reali participatione cõmunicet, hu-
inquam, & non aliunde, cùm differentiam inter mysterium vnionis hypo-
tic æ, & reliquos præsentiæ Dei gradus petendam vociferentur: occlusis ocu-
culis, in luce meridiana petulãter cæcutire oportet, qui non videat, quòd Chri-
stum tantùm secundum plus & minus à reliquis sanctis discernant.

Schola Kemnitij omnium sophismatũ & fallaciarum schola.

179. Quòd enim ex schola Chami fratris sophistica, friuolas suas nenias, & flaccida fulcra repetit Disputator, bellamq; illam de reali Idiomatum communicatione fabulam, cùm, quid sit, explicare nequeat (τὸ διὰ μέσου ἀκριβὲς λεγόμενον) per quid non sit saluare studet: & vanum & ridiculũ est, suoq; ipsius commento maximè omnium repugnat & aduersatur. Si enim caro Christi nec essentialiter, nec formaliter, nec habitualiter, nec subiectiuè, nec replitiua capacitate, denique neque per se, neque per accidens, habendo diuinæ naturæ proprietates, est omnipotens, omniscia, vbique: id quod fabulæ historiæ veritatis euidentia conuictus, ipse tandem fatetur: reuera horum nihil esse sequitur. Quid autem ista ῥημάτων δαύματα sibi velint, saltem explicare decuisset uorum Doctorum in sua Mataeologia creatorem, quo facilius simplicissimi quales paciscitur, auditores nouam cabalam assequerentur. Sed nobis hic sufficiat exemplis rem breuiter adumbrasse. Essentialiter enim est Deus sapiens, bonus, misericors, omnipotens, immensus: quia virtutes in Deo non sunt qualitates, sed ipsam constituũt essentiam Dei, vnde etiam proprietates Dei essentiales appellantur. Formaliter autem rationis compos est homo, quia rationem dat esse homini, & constituit eius formam, secundum quam à brutis differt: enim animal rationale. Habitualiter verò doctus est Plato, Socrates sapiens, & Aristides iustus, quia crebris studiorum, meditationum, & iustarum actionum, seu honestæ disciplinæ exercitiis, eruditionis, sapientiæ, atque iustitiæ ciuilis habitum sibi comparauerunt. Subiectiuè porrò coloratus est paries, quia color in pariete hæret, vt in subiecto. Sed capaciter, vt sic loquar, replentur vasa, liquoribus olei, aquæ, aut vini effusis. Iam verò caro Christi proprietatum diuinæ naturæ, re ipsa, nec essentialiter, nec formaliter, nec habitualiter, nec subiectiuè, nec effusione illa repletiua particeps esse dicitur: Cum omnipotentia, omniscientia, & omnipræsentia, nec carnis essentiã constituat (sic enim ipsi Deitati esset æqualis, quod nulli creaturæ competit) nec finitæ naturæ assumtæ forma, quæ dat esse rei (sic enim diuersa esset specici, & nõ possemus esse aut dici ὁμοούσιοι) nec porrò sint habitus, aut crebris carnis exercitiis acquisiti (nam alioquin languidiores initiò, & imperfectiores existerent) omnipotentia, omniscientia, & omnipræsentia, in carne Christi virtutes sua-

Incomprehensibile Vbiquistarũ de reali communicatione cõmentum.

oportet.

oporteret, atq; ita non semper tueri nomen suum potuissent. Donec enim, quò quis amplius aspiret, restat: Omnia posse & nosse, sibiq; re ipsa præsentia habere nondum verè dicitur) aut supernaturaliter per gratiam infusi (sic enim essent creata dona, & non diuinæ naturæ Idiomata) nec vt subiecto naturæ assumtæ insint. Cùm non desinant esse solius diuinæ naturæ Idiomata, quorum proprium est, τὸ ἀχίνητον. Denique nec in carnem (quam tamen superiùs omnium Dei Idiomatum & perfectionum plenè capacem finxit Disputator) ita effundantur, vt thesauris omnipotentiæ, & omniscientiæ atq; immensitatis, seu omnipræsentiæ eam repleant. Necessariò igitur concludimus, quòd caro Christi nulla reali Idiomatum communicatione, vel omnipotens, vel omniscia, vel vbique sit.

Sin excipiat Disputator, insufficientem esse enumerationem, & omissum illud, quo carnem Christi, seu naturam Verbi assumtam dixit habendo, seu τῷ ἔχειν, illarum proprietatum diuinæ naturæ participem esse. Respondeo. Si ita se rem habere ponamus, fieri non posse, quin τὸ ἔχειν vel per se, vel per accidens carni assumtæ competat. Sed neutrum horum sine Eutychismi simul, & Nestorianismi assertione, admitti posse, suprà thesi 87, author ipse rectè cõclusit. Ergo realis Idiomatum cõmunicatio, respectu naturæ assumtæ, in Christo prorsus concidit: atq; ita, quid non sit disputando, quòd ne fit quidem, demonstrasse Antagonistam, manifestum est. Id quod paulò clarius hinc etiam prudens lector diiudicare poterit. Si enim caro Christi habendo est omnipotens, omniscia, omnipræsens, habebit ista Dei ἰδιώματα, vel per se, inquam, vel per accidens. Si per se, necesse erit, vt eadem diuinæ naturæ Idiomata, insint naturæ assumtæ, vel vt eius existentia, vel vt pars, vel vt proprietas, vel vt proprium effectum, propriæ attributum causæ: Sed horum modorum nullo possidet habétve caro Christi vim omnipotentiæ, omniscientiæ, & omnipræsentiæ. Ergo per se, vel quod idem est, in se, vel secundum se non habet. Sin per accidens habet, non tantùm aliunde habeat oportet, sed idem, quod est λόγῳ existendo, cùm habeat: sequetur, carnem Christi per accidens esse, quod est ipsa Verbi Deitas per se. Atque ita duos habebimus Dei Filios, essentialem & accidentarium: totidemq; in Christo personas, essentialem & accidentariam, duplicem denique Deitatem, omnipotentiam, omniscientiam, & omnipræsentiam, adeoq; duo infinita, essentiale nimirum & accidentarium. Rursus: si aliunde carnem Christi diuinas proprietates habere dicamus, vtpote realiter sibi à Verbi Deitate communicatas, aut intra se habebit, vt subiectum, cui insint, sicut de eo dici & prædicari debent, quod Disputator re ipsa statuens, ore per-

An caro Christi habendo sit omnipotens.

Nota. Quid habet caro, aut in se, & subiecto, aut in sua hypostasi, cui vnita est, habet.

negat: aut extra se, hoc est, in assumentis Verbi hypostasi habere intelligitur, κατ' ἄλλο, hoc est, non respectu sui, sed respectu personæ, in quam assumta est. Hypostasis autem in communicatione Idiomatum non nisi prædicationes concreti admittit: & sic Vigilius Martyr hæc intelligenda explicat: Quia enim, *inquit,* Verbũ cum carne ita inexplicabili modo est vnitum, vt ipsum Verbum caro dicatur, licet Deus non sit caro, quia non est in carnem mutatum, item vt caro dicatur Deus, licet non sit in Deitatis naturam mutata: sed Verbum propter carnem suam homo sit, & caro propter Verbum Deus sit: & quicquid est proprium Verbi, sit commune cum carne, & quicquid est proprium carnis, commune cum Verbo sit, quomodo Verbum & caro vnus est Christus, & vna persona &c. *Ex qua Orthodoxa explicatione, caro Christi non alia ratione per vnionẽ habet, vt Deus sit, quàm in Verbo, in cuius hypostasin est assumta. Eodem igitur etiam modo dici potest habere, vt sit omnipotens, omniscia, & vbique, non in se, sed in Verbo. Eadem est enim, vt suprà dictum est, naturarum & proprietatum in vnitate hypostasis κοινωνία, eaq; propter sicut naturæ vnitæ sunt: ita etiam attributa naturarum permutantur, secundum regulam Nazianzeni ad Cledonium. Ergo propositiones in abstracto, quibus caro Christi dicitur habendo idem esse realiter, quod est Deitas existendo, non tantùm impropriæ, verùm etiam manifestæ falsæ sunt.* Impium enim & sacrilegum est, *inquit idem Vigilius lib. 5,* ea quæ sunt propria Verbi, naturæ carnis adscribere. *Cùm autem Disputator ambiguitate τοῦ ἔχειν ludat, consideret lector phrases Scripturæ æquipollentes, quibus eadem significatione, vita in λόγῳ esse, & ipsemet Verbum est vita, & vitam habere, & ipsa vita esse. Quin etiam Pater omnia, quæ Filio dedit, habere dicitur, & Filius se gloriam suam ab æterno apud Patrẽ habuisse testatur. Vnde manifestum est, verbis illis habendi, & essendi, τοῦ ἔχειν, καὶ τοῦ εἶναι, eandem describi essentiam: vt etiam dandi, & accipiendi verbis inter Patrem & Filium non essentiæ diuersitas, sed personarum ordo exprimitur. Quibus quòd Orthodoxus apud Theodoretum istam Disputatoris λεπτολογίαν grauiamdudum sententia explosit, ostendens, naturam in Christo humanam non tam habere, quàm haberi.* Quemadmodum enim aliud est, *inquit,* assumens, aliud assumtum: vnus autem ex ambobus Christus consideratur: ita habens, ab eo, quod habetur, plurimum differt: nec tamen in duas personas diuidit hæc differentia Christum, hoc modo consideratum. *Hæc ille. Idem sibi vult sanctissimus martyr Vigilius, qui*

lib. 2 cõtra Nestor. & Eutychen.

Theodoret. dial. 1.

Theodoret. dial 2. Natura humana in Christo magis haberi, quàm haberedicitur.

qui habere, vel non habere, ſimpliciter ad vnionem perſonæ refert. Id autem, quod hæc perſona habere dicitur, naturarum eſſe docet: Habet enim Chriſtus vtriuſque naturæ Idiomata, tam humana, quàm diuina, in vnione perſonæ, nõ in vnitate ſeu identitate naturæ. Nec enim ſecundum humanam naturam diuina, nec ſecundum diuinam naturam, humana dicitur habere Idiomata, ſed potius vnus idemq; Chriſtus, cùm ſit Deus, & homo, in vnione hypoſtatica, ſecundum aliud, & aliud, & humana & diuina habet Idiomata, illa in carne, hæc in Deitate: ſalua naturarum ſimul diſtinctione, & perſonæ ſingularitate: de quo ſic iterum Vigilius: Vnus eſt Chriſtus, idem Deus & homo, habens in dictis & geſtis vnum, quod humanitatis: aliud, quod diuinitatis eius naturæ propriè conueniat, licet vtrumque ad vnam eius perſonam, vel ſubſtantiam pertineat. *Eo ipſo igitur, quod Diſputator humanam Chriſti naturam habendo contendit eſſe omnipotentem, peculiarem, ſecũdum Vigilium, naturæ aſſumtæ perſonam attribui, quod Neſtorianum eſt: perinde vt Eutychianum eſt, tribuere Deitati, quæ ſunt humanitatis, vt paſſionem, mortem, item præſentiam localem: & humanitati, quæ ſunt Deitatis, vt omnipotentiam, omniſcientiam, omnipræſentiam. Sed denuò Vigilium ipſum audiamus, cuius hæc ſunt verba, non tantùm recitatu, verùm etiam memoria dignißima, lib. 2. cap. 2. Nunc videamus, quo fuerint ſtorq. Neſtorius & Eutyches errore decepti.* Neſtorius duas intuendo naturas, duas putauit eſſe perſonas, & ob hoc arbitratus eſt, ſacrilego dogmate duos Chriſtos inducere. Eutyches reſpiciens vnam perſonam, vnam cenſuit eſſe naturam, & ob hoc humanã auſus eſt denegare. Et quia eſt in Chriſto, & naturarum proprietas, & perſonæ vnio, Neſtorius proprietatem attendendo naturarum, à perſonæ excidit vnione, & duos putauit Chriſtos, vnum paſsibilem, alterum impaſsibilem eſſe. Eutyches vnam intuendo perſonam, à naturarum proprietate deſciuit, & ipſam diuinitatem adſeruit paſſam. In tantum ergo non ſunt duo Chriſti, nec duæ perſonæ, vt Eutyches vnam dicat eſſe naturam. Rurſus in tantum non eſt vna natura, ſed duæ, vt Neſtorius duos Chriſtos, duáſque perſonas putet eſſe. Itaque Neſtorius, vt impietatem ſui dogmatis muniat, quo alterum in paſsione vult intelligi Chriſtum, illo vtitur Apoſtoli teſtimonio, ad Hebr. ita ſcribẽtis: Nam paulò minùs quàm angelos, minoratum vidimus, Ieſum gloria & honore coronatũ, vt ſine Deo pro omnibus guſtaret mortem. Rurſus Eutyches, vt

Vigilius. Error Neſtorij.

Errar Eutychis.

Hebr. 2.

Deitatem ſubiiciat paſsioni, teſtem nihilominus producit Apoſtolum, dicentem de Principibus ſeculi, qui ſapientiam Dei non
1 Cor. 2. cognouerunt: Si enim cognouiſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Vides, quanti periculi res ſit, aut vnam in Chriſto non credere perſonam, aut duas nolle profiteri naturas. Magni ex vtroque latere inſidiarum laquei prætenduntur, quos Prophetico Spiritu Salomon cautiùs præcepit euitandos, meritò di-
Eccleſ. 9. cens: Quia in medio laqueorum ambulas. Hinc enim Eutyches, inde Neſtorius armati, perfidiæ mucronibus adſtant, dum vnam contra Neſtorium Chriſti defendo perſonam, exiſtimor ſecundum Eutychen humanam negare naturam. Dum contra Eutychen duas aſſero naturas, exiſtimor ſecundum Neſtorium duas profiteri perſonas, quia ille duabus naturis duos Chriſtos, duáſq; perſonas credidit adſcribendas. *Hactenus ille. Hic obiter conſideret lector teſtimonium Apoſtolicum, Hebr. 2: à Neſtorianis iam olim corruptum. Vbi enim textus habet*: Sed Ieſum illum cernimus gloria & honore coronatum, qui pauliſper fuit inferior Angelis factus, propter mortis perpeſsionem, vt beneficio Dei [χάριτι Θεοῦ] pro omnibus mortem guſtaret: *admonet Græcus Scholiaſtes, Neſtorianos quondã hunc locum auſos fuiſſe deprauare, & pro* χάριτι Θεοῦ *ſcribere* χωρὶς Θεοῦ, *abſque Deo, nempe vt à patiente homine* DEVM *ſepararent. Vigilius autem ſu quodam conſilio lucrifaciendi ſanabiles, & ſtudio* συμβιβαστικῷ, *eandem lectionem retinuit, vt oſtenderet, etiamſi hac in parte Neſtorianis indulgeamus, nihil tamen detrimenti accipere veritatem: cùm ſine Deo guſtare mortem, non continuò ſeparationem Deitatis à carne morti obnoxia inferat, ſed potiùs Verbum quieuiſſe ſignificet, vt caro mortem deguſtare poſſet. Pergit ibi*

Cur non ſic eum Orthodoxa antiquitate loquuntur Vbiquitarij

Vigilius libri eiuſdem capite 3. Sed vt horum (*inquit, tam Eutychianorum videlicet, quàm Neſtorianorum*) impios, & deteſtabiles Catholico ſenſu refutemus errores, vtriuſque naturæ proprietatis myſterium, & vnius perſonæ tractemus arcanum. Vnus eſt Chriſtus, idemque Deus, idemque homo, habens in verbis & geſtis, vnum quod humanitatis, aliud quod propriæ diuinitatis eius naturę conueniat: licet vtraque ſimul ad vnam eius perſonam vel ſubſtantiam pertineant. Quod dictum eſt, In principio erat Verbum, & Verbum
Iohan 1. erat apud Deum, & Deus erat Verbum, hoc erat in principio apud
Iohan 8. Deũ: Et quod ipſe ait, Ante Abraham ego ſum, non poteſt ad hu-

ma-

manitatis eius referri naturã, quæ initiũ sumsit ex Virgine. Rursus quod de eo dicitur, Puer autem crescebat, & confortabatur, repletus sapientia & gratia Dei super eum, & cùm esset annorum duodecim, ascendit cum parentibus Hierosolymam. Et quod infertur, Iesus autem proficiebat ætate, & sapientia, & gratia apud Deum & homines, non potest Deitatis eius naturæ congruere. Quia Deitas nec ætatis profectum accipit, nec aliquod sentit augmentum, nec curriculo subiicitur temporum, nec numero calculatur annorum, & vt omnia breuiter dicam, non est vnius naturæ, licet sit vnius personæ: Patrem sibi æqualem dicere, & Patre se minorem adserere, initium non habere, & ex initio subsistere, hæc est naturarum proprietas, ex quibus vnus Dei Filius, idemq; hominis Filius, Christus subsistens, vnam habet, geritque personam. Ergo hic vnus, atque idem, & æqualis Patri secundum Deitatem, & inferior est Patre, secundum humanitatis naturam, atque ita nec initium habet, quia Deus est, & habet initium, quia idem Deus homo est. Si ergo me interroges, vtrum Christus habeat initium, an non habeat? Respondebo tibi, Et habet, & non habet: habet, secũdum humanitatem suam, non habet, secũdum diuinitatem suam. Cùm dico, Habet, vel non habet, ad personæ pertinet vnionem: cùm dico secundum diuinitatem, & secũdum humanitatem, ad naturarum pertinet proprietatem. *Hæc Vigilius Martyr.* *Eadem est Fulgentij sententia, cùm inquit lib. 3. ad Thrasimundum*: Vnus idemque Christus est, qui, quod humanum est, habet Deus in veritate humanæ, &, quod diuinum est, habet homo in veritate diuinæ naturæ. *Item Cyrill. lib. 5. de Trinit.* Sic quæ de Christo dicuntur, intelligenda sunt, vt nec quæ Deitati conueniunt, humanitati ipsius tribuantur, nec quæ humanitatis propria sunt, ad Deitatem ipsius detorqueantur.

Luc. 2

Idem Damasc. lib. 3. cap. 4.

Ceterùm monẽdus est circa thesin hanc lector, in qua Sophista noster egregiè se istis suis verborum strophis & præstigiis absurditatem dogmatis, de reali Idiomatum in naturis communicatione, velut asperso sepiæ atramento, palliasse & occultasse existimat, quo tandem hæc res sit euasura. Quoniam enim ista realis Idiomatum communicatio dicitur esse Forma Dei, secundum quam humanitas Christi æqualis, seu exæquata sit Deo potentia, gloria & maiestate: Item plenitudo diuinitatis, quæ in Christo corporaliter habitat, qualis

Sic docent Iac. Andr. & Brẽtiani omnes.

quasó potest esse illa Dei forma, & Diuinitatis plenitudo, quæ Christo necessarialiter, nec formaliter, nec habitualiter, nec subiectiuè, adeoq; nec per se, nec per accidens competere queat, & attribui? Sciliset talem nobis Christum, eiusq; diuinitatem commendare voluit Apostolus. O verè odio dignam impiam Matæologis sophisticam! quæ nihil aliud est, quàm Diabolica Christianæ fidei subsannatio.

Alibi thesis 22. T. sing. dicit quasi per accidens.

Realis proprietatum effusio est vtriusque naturæ negatio.

180. Et quidem eam ipsam ob causam, quòd diuinitas euacuaretur, si proprietates Dei essentiales, quocũq; tandẽ id fieri posse, siue crasso, siue subtili, siue naturali, siue supernaturali, siue physico, siue hyperphysico, siue maiestuoso, deniq; siue glorioso modo fingamus, in assumtã naturam effusæ, aut reali eiũ participatione communicatæ essent: negamus, carnem Christi omnipotentẽ, omniscium, aut vbique esse: cùm fieri nulla prorsus ratione queat, vt Deus, vel seipsum abneget, vel suas proprietates, quæ sunt ipsa Dei immutabilis essentia, in creaturam, sine vtriusq; tam suæ, inquam, hoc est, diuinæ essentiæ, quàm recipientis creaturæ, cùm immutatione, tum deletione transferat. Ne dicã, quòd etiamsi absq; naturarum interitu, talis aliqua proprietatum diuinæ naturæ cum assumta carne participatio seu κοινωνία realis in Christo, fieri posse statueretur, nulla tamen inde vnio hypostatica, sed tantùm accidẽtaria Verbi iuxta carnem assistentia, seu præsentia societatis, & auxilij secutura esset. Cùm certum sit, Christum hac ratione, propriè loquendo, non θεάνθρωπον, sed potiùs θεῖον esse ἄνθρωπον, hoc est, non hominem DEVM, sed hominem diuinum tantùm, seu diuinis dotibus, & proprietatibus, non per naturam, sed per gratiam exornatum: quod Nestorianum cùm sit, falsum, & hæreticum est.

Cyrillus in expos. Symboli Nicæi.

181. Etsi autem vocabulo effusionis non tantùm de donorum diuersitate in sanctis, verùm etiam de gratia habituali, seu donis perfectionis, quorum in se capax est natura Christi assumta, piè cum Ecclesia vtimur: tamen ad gratiam vnionis, & communicationem Idiomatum idem vocabulum detorquere, profana dicimus temeritatis esse, cum manifesta impietate coniuncta.

182. Cùm enim Spiritus sanctus super Ecclesiam effundi, & in sanctis habitare dicitur, nequaquam essentialis aliqua coniunctio, vel personalis vnio describitur: sed Deum habitare in Ecclesia, aut Spiritum sanctum effundi super Ecclesiam est, per Filium voce Euangelij veram Dei notitiam accendere, & consolari cor, & per Spiritum sanctum regere cor: vt habeat motus ipsi placites, & initia iustitiæ, ac vitæ æternæ. Et quidem hæc præsentia Dei in sanctis communis est toti Trinitati, sed cuiusque personæ proprietate seruata. Cùm

Augustin. Tract. 80 in Ioan.

cum

enim personæ diuelli nequeant, simul cum Spiritu sancto habitãte in fidelium cordibus, adsunt ceteræ personæ, sed distinctas habent operationes. Filius dicit verbum in corde, & ita ostendit Patrem: qui simul tunc per Filium cor perfundit Spiritu sancto, qui est causa lætitiæ in Deo. Hinc Athanasius inquit: Quandocunque dicitur in aliquo esse Spiritus, intelligitur in eo esse Verbum dans Spiritum. Et Nazianzenus: Ex lumine Patre, accipimus lumen Filium, in lumine Spiritu sancto, ἐν φῶτι πατρὸς καταλαμβάνομεν φῶς τὸν υἱὸν ἐν φωτὶ ἁγίῳ πνεύματι. Item Augustinus 4. de Trinitate dicit: quotidie mitti Filium in corda sanctorum. Et addit: Aliter mittitur vt sit homo, aliter, vt sit cum homine. *Athanas.*

Longè igitur diuersissima ratio est, quando Paulus descripturus mysterium vnionis duarum naturarum in Christo hypostaticæ, inquit: In ipso inhabitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter. Et quando Disputator fingit: quòd Deus in assumtam, & ad dexteram virtutis, ac maiestatis omnipotentis Dei collocatam humanam naturam, omnem plenitudinem diuinitatis effuderit. Non enim dicit Apostolus, in assumtam humanam naturam omnẽ plenitudinem diuinitatis à Deo effusam esse: sed potiùs inter Christum Filiũ Dei, & inter alios sanctos distinguens, testatur Christum esse æqualem Patri, Deum natura, seu Deum ipsum essentialiter: cùm in sanctis tantùm spirituali Deus efficacia, non vnum cum iisdem σῶμα seu ὑφιστάμενον constituendo, nec essentialiter per eos sese manifestando, habitet. Estq; obseruatu dignissimum, quòd Scriptura nusquam affirmat, Spiritum sanctum vel in Christũ, vel in carnem Christi effundi, sed potius visibili specie columbæ descendisse in eum, & manere, seu quiescere super eo scribitur. Hæc enim massa humanæ naturæ assumta ex Virgine vngi dicitur à diuinitate λόγου, plenitudine Spiritus sancti, propter vnionem personalem, qua fit, vt hic homo Christus habeat Spiritum sanctum super se, & in se manentem. Quia in ipso tota plenitudo Deitatis habitat σωματικῶς, & ex eiusdem plenitudine omnes accipimus: gratiam pro gratia. Vnde etiam Spiritus Christi, & Spiritus Filij nuncupatur. Quia hic Dominus est ea persona, per quam à Patre Spiritus sanctus in cetera Ecclesiæ mẽbra, per fidem sibi tanquam capiti insita, opulentè effunditur. Et ipse baptizat Spiritu sancto: Est ipse dator & largitor Spiritus, qui in electos effundit Spiritum, & in quo manet, non in quem effunditur Spiritus. Vbi etiam Nazianzeni illud consideretur: qui dictũ Ioannis 3: Non enim ἐκ μέτρου δίδωσι τὸ πνεῦμα, id est, non assueratiuè, sed negatiuè accipiendum esse docet. *Spiritus S. non dicitur in Christũ effundi.* *Coloss. 2.* *Ioan 1.* *Rom. 8.* *Galat. 4.* *lib. 2 de Fide, quem misit, admetitur, seu ad mensuram dat Deus Spiritum: ὐ θετικῶς, sed ἀφυπικῶς δὲ, pag. 216.*

pag. 318. οὐδὲ ἐκ μέτρου δίδωσιν ὁ Θεὸς τὸ πνεῦμα· ὅτε δὲ δίδωσιν, ὅτε μεμετρημένον οὐδὲ μετρᾶται παρὰ Θεοῦ, Θεὸς. *hoc est,* Non ad mensuram dat Deus Spiritum. Neque enim dat. Nec mensura definitur. Neq; enim Deus Deum metitur. *Hæc ille.*

Augustin. lib 10 de ciuitate Dei. cap. 23. Cùm ergo Christianis, vt sapienter Augustinus monet, ad certam regulam loquifas sit, ne verborum licentia etiam de rebus, quæ his significãtur, impiam gignat opinionem: nulla Sophistica persuaderi nobis patiamur, vt idem esse credamus, diuinæ maiestatis in carnem effusionẽ, & Verbi cum carne assumptæ vnionem: cùm neque Scripturæ Canon, neque Orthodoxæ Ecclesiæ Doctores sic vnquam locuti sint.

183. Quanquam verò diuinæ suæ gloriæ Maiestatem illam, ab essentiæ suæ æternitate indistinctam, nunquam ὁ λόγος vel exuerit, vel deposuerit, adeóq; homo iam factus, ne quidem in abiectissimo humiliationis statu à gubernatione vniuersi destiterit, quin cum Patre cooperando, & omnia potenti nutu suo regendo, diuinæ suæ virtutis vim semper exereret: tamen donec in his terris ambulauit, vt persona missa, plenum eiusdem gloriæ fulgorem coram mundi oculis nusquam exhibuisse legitur, nisi quatenus diuini quidam radij interdum ex miraculis, quibus omnipotentiæ suæ gloriam Ecclesiæ manifestauit, micuerunt.

184. Aliud enim est, si dicas, Verbum incarnatum ab iis operibus, quæ in æterna rerum conseruatione, cum Patre & Spiritu sancto, vt creator & sustentator vniuersi perpetuò communia habet, nunquam cessauisse: & aliud, si idem Verbum incarnatum in statu humiliationis, ratione officij, vt agnum Dei tollentem peccata mundi, seu vt generis humani redemtorem, & operum Diaboli destructorem, ad tempus quieuisse dicamus: hoc est, omnipotentiam suam contra peculiarem illam missionis suæ vocationem, & contra mandatum Patris, non exeruisse, sed contumeliæ iniuriarum & mortis, carnem suam vltrò subiecisse, quam tamen in nihilum redigi minimè concesserit, iuxta dulcissimum Irenæi dictum: Sicut homo erat, vt tentaretur, sic & Verbum erat, vt glorificaretur: requiescente quidem Verbo, vt posset tentari, crucifigi, & mori: & tamen humanitati vnito, vt posset vincere, & perferre, & benefacere, & resuscitare, & recreare.

Refellitur cauillatio Dac. Andr.

Theodor. Dial 3.

Exinanitio Christi, quomodo intelligenda. 185. Ideóq; quæ de exinanitione Christi in Scripturis dicuntur, nequaquam de sola humanitate, sed de ipso Verbo, quatenus caro factum est, hoc est, serui formam, sine tamen Deitatis suæ diminutione, assumsit, accipienda sunt: nisi in castra Nestorij nos recipere velimus, qui ψιλὸν ἄνθρωπον ad mortem vsque

crucis

crucishumiliatũ finxit, adeoq; cum Ario diuinitatem Christi impugnauit. Et nisi Apostolũ mẽdacij arguere velimus, qui Christum in forma seu natura Dei se exinaniisse docet. Atque ita simul in Eutychianorum ruemus insaniam, qui carnem Christi per vnionem cum Verbo, æqualem Deo statuerunt. *Phil. 2.*

Quòd autem Orthodoxorum sententiam cum Arrianorum blasphemia cõparat Disputator, impudens calumnia est, & refutatur per regulam, qua Verbi alia dicitur absolutè considerati, alia relatiuè, respectu videlicet missionis & œconomiæ, esse ratio. Ἄλλο κατὰ φύσιν, ἄλλο κατ' οἰκονομίας λόγος, *inquit Nazianzenus. Et rectè Cyrillus, eandem refutans calumniam:* Missio & obedientia, *inquit*, non tollunt æqualitatem potentiæ, aut naturæ. *Calumnia I. N. Andr. in Orthodoxorũ sententiam.*

Idem confirmat gencrosus ille Leo, quem lupus testem inuocare simulans, rugientem, vt in circum intromitteret, sustinere non potuit. Sic autem contra Disputatoris vlulatum iam olim disseruit: Exinanitio illa, qua se inuisibilis visibilem præbuit, & creator, ac Dominus omnium rerum vnus voluit esse mortalium. Inclinatio fuit miserationis, non defectio potestatis. *Audin', exinanitionem ad ipsum Deum* λόγον, *inuisibilem illum creatorem, ac Dominum vniuersi referri: Modum autem exinanitionis exprimi, quòd sit Domini illius inuisibilis in visibili, & quidem mortali nostra carne manifestatio? Ne tamen Arianam Deitatis Verbi diminutionem obiicias, annexam simul refutationem expendas.* Incarnatio enim illa, seu Verbi in carnem missio, inclinatio fuit miserationis, non defectio potestatis. Proinde qui manens in forma Dei, fecit hominem: IDEM in forma serui factus est homo. *Idem in epistola ad Leonem Augustum:* Quæ autem est eius exinanitio, quæve paupertas, nisi formæ seruilis acceptio, per quam Verbi maiestate velata, dispensatio humanæ redemtionis impleta est. *Hæc ille.* *Leo Rom. in epist. ad Flauianũ. Exinanitio Christi. Modum exinanitionis est seruilis forma per incarnationem acceptio.*

Quòd si apud Leonem per formam Dei intelligas carnem maiestuosam, per formam autem serui, carnem humilitate depressam, constitues eandem carnem ex hoc Leonis decreto sui ipsius creatricem. Sed addit: Tenet enim sine defectu proprietatem suam vtraque natura. Et sicut formam serui, Dei forma non adimit: ita formam Dei, serui forma non minuit. *Hactenus verba Leonis Episcopi, ex quibus manifestè conuinci & retundi improbi istius Disputatoris impudentia potest.* *Iac. Andr. falsò & improbè allegat Orthodoxum consensum Patrum.*

186. Atque hæc est omnium Orthodoxorum vnanimis sententia & consensus, quoties secundum humanam Christi naturam, quæcunque ad eius exinanitionem spectant, intelligenda & explicanda esse docent. Modum enim

Basilius. *exinanitionis, quæ per Verbi incarnationem* κατὰ τὴν ἐκκένωσιν, ἢ διὰ τὴν ἀνθρωπότητα, ἢ ἐν τῇ τῆς ἀνθρωπότητος οἰκονομίᾳ, ἢ φανέρωσιν, *Basilius loquitur, id est, per mysterij incarnationis manifestationem, & mirandam illam Verbi in nostram carnem* συγκατάβασιν, *seu humiliationem, facta est, exprimunt. Exinanitionem autem ipsam ad solam naturam assumptam minimè restringunt, sed tantùm humanæ naturæ respectu, per quam incarnatus, nobis similis & pauper factus est Christus, intelligenda esse volunt; idq; Orthodoxus Patrum consensus, omnium euidentissimè, cõtra hunc Disputatorem, falsò se hoc consensu iuuantem, testatur Cyrillus:* Plenum secundum naturam, & ex omni parte perfectum Deum Verbum, qui ex sua plenitudine bona creaturis distribuit, exinanitum dicimus, nihil in propria natura mutatum, nec vt aliter se haberet cõmunicatum, nec inferiùs ex vlla parte factum. Quod verò factũ est caro, humanitatis paupertatem propriam facit. *Item:* Vnus est Filius cum Patre, identitate substantiæ, verùm quia propter nostram salutem à sua dignitate & claritate exiuit (hoc enim est, exinaniuit semet ipsum) ideo accepit rursus cum carne claritatẽ, quã semper habuit, vt Deus. *Item:* Existens in forma & æqualitate Patris, Deus Verbum, exinanitus quidem dicitur, propter humanitatem (hoc est, assumtæ carnis nostræ respectu) exaltatus verò rursus, non in externam dignitatem, qua olim caruit, conscendens, sed rediens ad gloriam & eminentiam sibi implantatam, & in ipso semper existentem. *Fulgentius lib 3. ad Thrasimundum:* Quid est igitur illa Vnigeniti exinanitio, nisi accepta passibilis ac mortalis humanitas Christi? quæ est autem Vnigeniti plenitudo, nisi permanens impassibilis atque immortalis diuinitas Christi? quod proculdubio plenitudinis nomen Apostolum de Christo loquentem audiamus: quia in ipso habitat omnis plenitudo corporaliter, & estis in illa repleti. Quæ autem sit, quæ in Christo inhabitat, plenitudo diuinitatis, Ioannes ostendit, Verbum, inquit, caro factum est, & habitauit in nobis. *Nazianzenus:* Quilocuples alios facit, eget, carnis enim meæ paupertatem subiit, vt ipse illius diuinitate ditescat. Qui plenus est, exinanitur, & exhauritur: sua enim gloria ad breue tempus exhauritur, vt plenitudinis ipsius ego particeps efficiar. *Damascenus:* Quando de Verbo exinanitionem, incarnationem, humanationem, & alia dicũtur, à car-

Cyrillus li. de incarn. Vnig. ca. 4

Lib. 11. ca. 27 in Ioan.

Lib. de recta fide ad Reginas.

Exaltatio de tota persona missa intelligitur.

de natiuit. Christi.

lib 4. ca 19.

ne

ne de Verbo & Deo dicuntur. *Sed & Synodus Ephesina, in sua ad Nestorium epistola, ex hoc Ecclesiæ consensu, eodem modo exinanitionem Christi esse dicit,* quia Vnigenitus Dei Filius incarnatus, & homo factus est, hoc est, ex vtero nasci, carne ex sancta Virgine sibi assumta & appropriata, humano more sustinuit, & homo è muliere prodiit. *Quid aduersus hæc Disputator? An etiam fortè in ipsam Synodum blasphemã suam agitare volet linguam? Quomodo autem verè se Christum nosse, certus esse potest, qui neque quid in Christo forma Dei, quid ipsius exinanitio, nec denique quid accepta forma serui sit, intelligere sustinet?* *Christum humano more ex Virgine natum.* *Inst. 2 thes. 200.*

187. *Et si enim Deitatis essentia nulli est mutationi vel alterationi obnoxia, & sola natura Christi assumta minui & extolli realiter potest: tamẽ vt missio Filij ab initio sit Ecclesiæ, cui perpetuò Mediator adest, patefaciens promissionem, per quam sibi colligit, & seruat Ecclesiam: ita humiliatio, qua Patri Filius in carne sit obediens, vsq; ad mortem, mortem autem crucis, est persona Agni missi, & mactati ab initio. Iuxta illud:* Oblatus est, quia voluit. *Priuarentur enim sancti in veteri Testamento Saluatore, si humiliatio Christi tantùm ad humanam naturam, quæ tum nondum erat assumta, referri deberet. Quid? quòd æternus Pater sic dilexit mundum, vt dederit Filium suum vnigenitũ, vt* OMNES *(siue ante, siue post incarnationem viuentes) qui crediderint in eum, non pereant, sed habeant vitam æternam. Qua dulcissima sententia Vnigenitum ipsum pro nobis traditum esse admonemur. Voluit enim Filius illam suam obedientiam, fuitq; intercessor, propitiator, & saluator ab initio propter illam ipsam futuram obedientiam, quæ est persona, postquam assumsit naturam humanam. Nec missio & obedientia tollunt æqualitatem potentiæ, teste Cyrillo. Et clarè inquit Nazianzenus:* ὁ ὢν ἐκένωσε, καὶ ὁ μὴ ὢν προσέλαβεν, οὐ δύο γιόμενοι, ἀλλ' ἓν ἐκ τῶν δύο γενέσθαι ἀναγκόμενοι. *Simul & quis, & quomodo se exinaniuerit, explicans. Loquitur autem de Deo Verbo, de quo Ioannis scriptum est, Verbum erat in principio, & Verbum erat apud Deum, & Verbum erat Deus.* Ter, *inquit Nazianzenus,* eandem vocem, *erat,* ad confirmandam Verbi æternitatem repeti audis. Quod igitur erat, exinaniuit, & quod non erat, assumsit. Non duo factus, sed vnum ex duobus fieri dignatus. *Hæc ille.* *Nazianzenus in dictum Euangelij Matth. 19.*

188. *Nec dubium est, in summum dignitatis fastigium carnem nostram per hypostasin illam cum Verbo vnionem euectam esse. Quæ enim maior creaturæ eminentia contingere poterat, quàm cum Deo ipso [illegible] omnia potenti nutu suo, vnam constituere hypostasin? Vt [illegible] humano dicatur,*

ac verè sit æternus & omnipotẽs, verus, atque substantialis Dei Filius, creator & sustentator omnium: vt fons ille, & conseruator omnis existentiæ, idem sit, inquam, caro ex carne nostra, sanguis ex sanguine nostro, & os ex ossibus nostris. Simili honore nusquam Deus Angelicam naturam dignatus esse, aut dignaturus vnquam legitur.

Hebr. 2.

189. *Etsi igitur hoc reuera ita se habeat, vt altissimo nihil possit cogitari altius, adeoq; natura nostri generis ab altissimo Dei Filio in vnitatem personæ assumta, exaltari ad altiorem dignitatis gradum non potuerit: tamen cum mysterium incarnationis & λόγου nequaquam propter indiuiduam duntaxat assumtæ carnis massam, sed propter totam generis humani speciem, sapientissimo æterni Dei consilio decretum sit, & definito tempore, Verbum non propter se, sed propter nos homines, & propter nostram salutem de cælo descenderit: nostræq; redemtionis opus sine λύτρῳ pro peccatis mundi, cuius infinita bonitas iustitiæ Dei æquiualens esset, peragi non potuerit: id verò solius humanæ naturæ, quantumuis supra ipsos etiam Angelos, omnemq; creaturarum eminentiã ineffabili modo euectæ, præstantia & dignitas nunquam præstare valuisset: toto profectò cælo errant, qui Saluatoris exinanitionem, & obedientiam, Deo pro recuperanda salute nostra præstitam, tãtùm ex communicatis illius maiestatis, in quam caro Christi euecta est, depressione æstimant.*

Finis incarnationis respicit totius generis humani salutem.

Ioan. 3.

190. *Quin potiùs idem proculdubio, qui propter nos homo factus est, & humiliatus, & exaltatus credi debet: Filius nimirum Dei, vnigenitus ille Patris, quiuenit in hunc mundum, vt restitueret in integrum quod perierat: Iuxta stimonium Scripturæ:* Proprio Filio non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus tradidit illum. Ipse enim Dei Filius humiliatus est, assumta natura humana: *ideoq; idem etiam cum humana natura est exaltatus ad eam gloriam, quam habuit apud Patrem, ante conditum mundum, quam non potest dici habuisse natura assumta, quæ cœpit in tempore. Et quidem nomen Pontificis ad officium personæ, & vtramq; naturam pertinens, clarè refutat somnia Disputatoris, de humiliatione & exaltatione solius naturæ assumtæ: Talis enim decebat, inquit Apostolus,, vt esset nobis Pontifex, pius, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & sublimior cælis factus. Ratiocinatur ab annexis, vt summum illum Ecclesiæ Christianæ Pontificem à Sacerdotibus Leuiticis distinguat. Perinde enim est, ac si dicat: Conditiones istæ (vulgò qualitates appellant) necessariò requiruntur in summo Pontifice, vt iustus sit, innocens, purus sceleris, omniq; macula: & quidem cælis factus sublimior. In solum autem Christum competit*

Rom. 8.

Ioan 17.

Christus est Pontifex noster secundum vtrãque naturam.

Heb. 7.

hic honor. Ergo ſolus Chriſtus verus, & ſanctus ille coram Deo vero, & ſancto ſacerdos eſt. Quod autem addit: Sublimior cælis factus, *nequaquam de ſolius naturæ humanæ exaltatione intelligi poteſt, niſi ad eandem cum Stancaro Pontificis nomen reſtringere libeat, ſed potius neminem cum Deo nos cõiungere poſſe oſtendit, niſi qui omnes creaturarum ordines tranſcẽdens, adeoq; ſupra etiam angelos eminens, ad Deum ipſum, vt ſic loquar, pertingat: hoc eſt, ſimul Deus ſit & homo. Id quod ſoli Chriſto competit, propterea quòd natura Deus eſſe (factus iam homo) nunquam deſiit, atq; ita in carne aſſumta ſupra cælos omnes, vel quod idem eſt, ſupra nomen omne quod nominari poteſt, ad dextram Patris vſq; euectus, iam tandem declaratus eſt, æternus ſimul æterni Patris Filius, ſummúſque Eccleſiæ Rex & Pontifex, qualem eſſe Chriſtum, ante illam glorificationem ingratus mundus non admittebat.*

Quod verò ex dicto Euangelij: Nemo in cælum aſcendit, niſi qui deſcendit: Filius hominis, qui EST IN cælo: *carnis aſſumtæ maieſtuoſam illam Vbiquitatem, quam ſinxit, extruere conatur, tum demum obtinebit Diſputator, quando eandem carnem ex cælo deſcendiſſe demonſtrauerit, ſicut Apollinaris olim fœdè delirabat. Cùm autem nihil frequentius in ore habeant Vbiquitarij, quàm huius præclaræ ſententiæ male detortam allegationem, non incommodum, nec moleſtum fore æquo lectori ſpero, ſi vnum atque alterum, ex Orthodoxa antiquitate teſtimonium adducam, vt conſtet, quomodo ſancti Patres hoc inſigne Chriſti dictum interpretati ſint. Sic ergo Caſſianus, lib. 4. cap. 1.* Nemo, *inquit*, aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo, Filius hominis, qui eſt in cælo. Verbum vtique Patris ſemper in cælo fuit: & quomodo ille, Filium hominis ſemper in cælo fuiſſe memorauit? Intellige ergo, quòd eum Filium hominis eſſe docuit, qui ſemper Dei Filius fuit: cùm vtique eum, qui Filius hominis nuper extitit, in cælo ſemper fuiſſe confirmet. Huc accedit maius aliud, quòd eundem Filium hominis, id eſt, Verbum Dei, quod deſcendiſſe de cælo dixit, etiam tunc cùm in terra loquitur, in cælo eſſe teſtatur. Nemo enim, *inquit*, aſcendit in cælum, niſi qui de cælo deſcendit, Filius hominis, qui eſt in cælo. Quis, quæſo eſt, qui hoc loquitur? Chriſtus vtique. Vbi autem tunc erat, cùm loqueretur? In terra ſcilicet. Et quomodo ſe & è cælo, cùm natus eſt, deſcendiſſe, & cùm loquitur, in cælo eſſe teſtatur: & eundem Filium hominis eſſe dicit, cùm vtique & è cælo, niſi Deus deſcendere non potuerit: & cùm in terra loquitur, in

Ioan 3.

Vide Orthodoxum conſenſum in prolegomenis.

Caſſianus fol 28.

Christus nō potest esse in plurib⁹ locis, nisi per Deitatem.

cælo vtique nisi per Dei infinitatem, esse non posit? Aduerte ergo tandem, & percipe, quòd idem est Filius hominis, qui Verbum Dei: quia & Filius est hominis, dum ex homine verè nascitur: & Verbum Dei, dum idem, qui in terra loquitur, manet semper in cælo. Ac sic humanæ est natiuitatis, quòd Filium se hominis verè dicit, diuinæ autem infinitatis, quòd è cælo penitùs non recedit.

Vigilius. fol. 94.

Idem dicit Vigilius lib. 2 cap. 3. Verbum Dei credimus descēdisse de cælo, sine carne, sine hominis appellatione, sic tamen vt non deseret cælos. Hoc Verbum virginali vtero incarnatum, non in carnem mutatum, hominis Filium factum, & appellatum. Si quis aliter credit, sine dubio anathema est. Si quis dicit hominem, id est, carnem de cælo descendisse, profectò anathema est. Quid sibi ergo vult, quod idem Dominus ait, Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cęlo descendit, Filius hominis, qui est in cælo? Et iterum: Si videritis Filium hominis ascendentem illuc, vbi priùs fuerat. Ecce Filius hominis legitur descendisse de cœlo, cùm constet, solum Verbum, id est, nudum sine carne, sine hominis appellatione descendisse de cælo. Ecce caro, id est, Filius hominis, legitur tunc fuisse in cælo, quæ nunquam inde descendit, & quę illuc nec dum ascenderat, sed hoc est vnius personæ mysterium, hoc vnius Christi, ex vtroque subsistentis Sacramentum, hoc vtrarumque naturarum proprietatis arcanum. Quia enim Verbum cum carne ita est inexplicabili modo vnitum, vt ipsum Verbum caro dicatur factum, licet non sit caro, quia non est in carnem mutatum, & caro dicatur Deus, licet non sit in Deitatis naturam mutata, sed Verbum propter carnem suam homo sit, & caro propter Verbū Deus sit, & quicquid est proprium Verbi, sit commune cum carne, & quicquid est proprium carnis, commune cum Verbo sit, quomodo Verbum, & caro vnus est Christus, & vna persona. Idcirco propter hanc communionem, quam, salua naturarum proprietate, personæ vnio præstat, & Verbum cum carne, id est, Filius hominis legitur descendisse de cælo, cùm solum Verbum sine carne descenderit, & Deus legitur sepultus, & in monumento tribus iacuisse diebus, cùm sola caro sepulta sit: Ergo secundum proprietatem naturæ solum Verbum descendit de cælo, secundum vnionem personæ simul & caro descendit, quoniam persona carnis in Verbo est, quod descendit.

Ioann. 3.

Ioan 6.

Mysterium proprietatis vtriusq; naturæ.

Item

Item Fulgentius lib. 2. cap. 5. Ne Dei in terra visio, & cum hominibus conuersatio, Deum immensum putaretur alienasse de cælo, propter hoc ipse Filius, vt immensitatem diuinitatis suæ in terra positus demonstraret, & secundum hominem, quem susceperat, in terra positus, secundum Deum, quod semper erat, præsentem se etiam cælo doceret, ait: Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, Filius hominis, qui est in cælo. Non quia humana Christi substantia fuisset vbique diffusa, sed quoniam vnus, idemque Dei Filius, atque hominis Filius, verus Deus ex Patre, sicut homo verus ex homine, licet secundum veram humanitatem suam localiter tunc esset in terra: secundum diuinitatem tamen (quæ loco nullatenus continetur) cælum totus impleret, & terrã. *Hæc illi.* *Fulgentius folio 127. Idem August. in epistola ad Dardanũ.*

191. *Nequaquam igitur ad repressam tantùm fictitiam illam maiestatem, reali scilicet Idiomatum Dei κοινωνίᾳ, in carnẽ Christi per vnionem effusam, restringenda est admirabilis illa Mediatoris exinanitio: quasi verò realiter acceptam omnipotentiam, omniscientiam, & omnipræsentiam suam, ad tempus quasi maiestate sese abdicans, non apertè vsurparit assumta caro, sed in forma Dei, cùm esset scilicet, vt pati & mori posset, seruilem habitum induendo, sese ita exinanierit, vt maiestatem per vnionem acceptam ad tempus dissimularet, hoc est, publicè non ostenderet. Hæc enim est noua, & insulsa ista rei tanti momenti non inquam explicatio, sed implicatio. In qua cùm omnia sint falsa & impia, tum vel maximè intolerabile est, quòd haud obscurè carni assumtæ formam Dei adscribit Disputator, per quam tamen non vult intelligi ipsam Deitatis essentiam, sed diuinitus acceptam, nescio quam omnipotentiæ maiestatem. Vnde etiam in sequentibus Thesibus formam serui tantùm de seruili quadam conditione, seu larua, quam postea deposuerit Christus, interpretatur. Cumq; hic Christum passum & mortuum esse contendat, non apertè maiestatem illam seu formam Dei acceptam, vsurpando, seu ostendendo, sed sese ad tempus quasi abdicando: quid hoc aliud est, quàm passionem Christi in Marcioniticum phantasma transformare? præsertim cùm thesi 198 formam illam Dei, hoc est, maiestatem realiter acceptæ omnipotentiæ, omniscientiæ, & omnipræsentiæ nunquam à carne verè depositam, sed tantùm retractam fuisse contendat, ne humanitas Christi, vt thesi 193 loquitur, potenter mortem repelleret. Idem ergo Christus eiusdem assumtæ carnis respectu, eodem temporis momento, realiter fuit potentissimus, & omnium nihilominus infirmissimus habitus est: repleuit secundum carnẽ realiter cælum & terram, fuit q; Athenis,* *Falsa Exc. Andreæ de exinanitione Christi doctrina. Forma Dei secundum vbiquitas. Idem Exc. Andr. in colloquio Maulbrunensi.*

Romæ, & vbique locorum, quando in Golgotha, manibus, ac pedibus transfixus, de ligno crucis pendulus videbatur. Atq; ita seſe QVASI *abdicando, & vim repellendi mortem, quaſi retrahendo, hoc eſt, non* APERTE *vſurpando, manſit tamen eadem caro intus reuera* IN FORMA *Dei, quam transfigi, occidi, ſepeliri, loco denique circumſcribi, impoßibile eſt. Qui ergo coram oculis hominum pati, crucifigi, mori, ſepeliri credebatur, reuera ſimul omnis paſſionis expers manſit,* QVASI *tantùm ſeſe ad tempus abdicans, & non aperiens maieſtatem, qua intus fruebatur, & reuera præditus erat, etiam carnis aſſumtæ reſpectu. Quid hinc aliud concludamus, quàm Chriſtum in carne, quaſi crucifixum, quaſi paſſum, quaſi mortuum, quaſi ſepultum eſſe? hoc eſt,* non τῇ ἀληθείᾳ, ἀλλὰ τῇ δοκήσει. *Talia cùm ſuo etiam tempore à fœdis hæreticis diſputari intelligeret ſanctiſſimus martyr Ignatius, Vide quid ad Trallianos ſcripſerit*: Obturate aures veſtras, *inquit*, cùm vobis quiſpiam loquitur, excludens Ieſum Chriſtum, qui natus eſt ex Dauide, ex Maria, qui verè natus eſt, verè edit & bibit, crucifixus & mortuus eſt ſub Pontio Pilato, videntibus cæleſtibus, terreſtribus, & ſubterraneis. *Item ad Smyrnæos*: Si opinione hæc geſta ſunt à Domino noſtro, ego quoque opinione vinctus ſum. Cur igitur me ipſum morti obieci, quam petam per ignem, per gladium, per beſtias? Sed quò propius abſum à gladio, eò propius accedo ad Deum. Omnia enim ſuſtineo propter Chriſtum, vt fiam ſocius paſſionis eius, ipſo me corroborante perfecto homine, quem aliqui ignorantes negant. *Hæc ille.*

Ignatius. Theodoret. dial. 1.

192. *Sed ne lector vaniſſimis Diſputatoris nugis & blaſphemiis, quibus vtramq; in Chriſto naturam, tam Dei quàm ſerui formam impiè non tantùm contaminat, verùm etiam quantum in ſe eſt, planè deſtruit, rurſus opponamus ſæuo iſti & ſanguinario lupo generoſum noſtrum Leonem, ad Leonem Auguſtum, de forma Dei & forma ſerui, deq; Verbi incarnati exinanitione ſic piè admodum & Orthodoxè diſſerentem*: Secundum formam Dei, ipſe & Pater vnum ſunt: ſecundum formam autem ſerui, non venit facere voluntatem ſuam, ſed voluntatem eius, qui miſit eum. Secundum formam Dei, ſicut Pater vitam habet in ſemetipſo, ſic dedit & Filio vitam habere in ſemetipſo. Secundum formam ſerui, triſtis eſt anima eius vſque ad mortem. Et idem ipſe eſt, ſicut ait Apoſtolus, & diues, & pauper: diues, quia Euangeliſta dicente, In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat

Leo epiſc. ad Leonem Auguſtũ, epiſt. 97.

Ioan 10 & 6 Ioan. 5. Matth. 26.

2. Cor. 8.

Ioan. 1.

rat Verbum, hoc erat in principio apud Deum, omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil: Pauper verò, quia propter nos Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Quæ autem est eius exinanitio, quæve paupertas, nisi formæ seruilis acceptio? Per quam Verbi maiestate velata, dispensatio humanæ redemtionis impleta est. Nam quia captiuitatis nostræ resolui originalia vincula non poterāt, nisi existeret homo nostri generis, nostræq; naturæ, quem peccati præiudicia non tenerent, & qui immaculato sanguine suo chirographum lethale dilueret, sicut ab initio erat diuinitus præordinatū, ita est in plenitudine præfiniti temporis factū, vt multis modis significata promissio, in diu expectatū veniret effectum, nec posset esse ambiguum, quod cōtinuis testificationibus semper fuerat nunciatum. In magno autem sacrilegio se versari, hæreticorū manifestat impietas, cùm sub specie Deitatis honorandæ, humanæ carnis in Christo denegant veritatem, & religiosè existimāt credi, si dicatur in Saluatore nostro, verum non esse, quòd saluat, cùm ita secūdum promissionem omnia secula præcurrentem, mundus sit Deo reconciliatus in Christo, vt nisi Verbum dignaretur caro fieri, nulla posset caro saluari. *Hactenus Leo Episcopus.* *Coloss. 2.*

Naziāzenus hac descriptione vtitur: κένωσιν δὲ λέγω, τὸν τῆς δόξης, οἷον ὑφεῖντε, ἢ ἐλάττωσιν, διὰ τοῦτο χωρητὸς γίνεται. *Dicit, exinanitionem esse ipsam Verbi humiliationem, qua Deus, qui natura est incomprehensibilis, fiat comprehensibilis. Eandem sententiam confirmat D. Athanasius dial. 2. de Trinitate:* Forma serui est tota humanitas: sicut forma Dei tota est diuinitas. *Item Basilius in refutatione Eunomij:* Ego sic statuo, formam Dei esse æqualitatem essentiæ diuinæ. Vt enim assumtio formæ serui significat essentiam naturæ humanæ: sic cùm nominatur forma Dei, diuinæ essentiæ proprietas significatur. *Idem lib. 4 contra Eunomium:* Illud in forma Dei, est in essentia Dei. Nec enim aliud est forma, aliud essentia Dei, ne sit compositus. Ergo qui forma est æqualis, itidem est essentia æqualis *Eáque est consentiens Cyrilli, Augustini, Fulgentij, aliorumq; Patrum sententia. His astipulatur etiam Lutherus, in Postillis maioribus, vbi sententiam suam valdè ingenuè & piè explicat, inquiens:* Scriptura pulcrè personam cum natura iungit, ac rursum naturas nequaquam cōfundit, vt pauci sint (quod humanis *Nazianzenus in dictum Euangelij Matt. 19.* *Athanas. Basilius. Theodoret. dial. 2.* *Lutherus in festum Genethliacum Heb. 1.*

commentis debemus, quibus ætatem noſtram attriuimus, & ingenium corrupimus) qui id rectè percipiant, vt ipſe profectò perſæpe in his & ſimilibus locis errauerim, & naturæ tribuerim, quod competit perſonæ, & contrà, vt in illo loco Pauli Philipp. 2. hodie poſsit alicui vſuuenire, vbi dicit, Tametſi in forma Dei eſſet &c. Quod in forma Dei fuiſſe prædicatur, certè diuinitatem indicat, item quòd ſe exinaniuiſſe dicitur. Porrò inanitio & ſerui forma quid aliud, quàm humanitatem teſtantur?

Vbiquiſtis tota Symboli hiſtoria mera ſimulatio eſt, contra quos Gide Gelaſium contra Eutychen.

193. *Quicquid ergo tandem Diſputator ſuo more aſtutè hic excipiat, ne videatur victus, & conſtrictus à veritatis Orthodoxæ patronis teneatur: cauere tamen nullâ ratione poterit, quin totam hiſtoriam Symboli in meram ſimulationem, ſeu phantaſiam, καὶ δόκησιν, id eſt, nudam opinionem conuertat, & ſimul reparatæ per Filium Dei ſalutis noſtræ certitudinem penitùs euertat, ſi Eccleſiæ perſuaſerit, vt pro articulo fidei habeat, Chriſtum non niſi per mauſtatis vſum ad tempus ſcilicet in carne retractum, in ſumma illa paupertate, atque etiam in vili & ſordido ſtabulo, alioquin hoſpitio ab aliis iam occupato, & nullus præterea in diuerſorio Bethleemitico locus ſupereſſet, natum eſſe, & ab vberibus matris p. ndiſſe, denique omnia, quæ ad ſtatum humiliationis ſpectãt, ſub aſcititia duntaxat ſerui forma ceu larua geſsiſſe, adeo, vt idem ille infantulus, quem paruo lacte pauit mater, eiuſdem carnis ſuæ, quæ nutrimento indigebat, diuinitus accepta maieſtate, animantia omnia pauerit, & vniuerſum orbem ſuſtentarit, fuerit q; ab ipſo vnitionis momento, etiam ante virgineum partum, vt Vbiquitariis placet, extra matris vterum, vbiuis paſsim locorum, & reuera diuinæ iam tum maieſtatis gloria præditus, multo clariori, & illuſtriore (licet homines non animaduerterent) quàm lux illa cæleſtis, & claritas transfigurationis ſplenduerit, quæ poſtea in monte ab ipſo refulſit. Sed hoc inficietur Diſputator, & denuò excipiet, Chriſtum in humiliatione, ſeu vt ipſe loquitur, retractione diuinæ illius Maieſtatis, quam carni per vnionẽ realiter communicatam fingit, ita ſeſe ad tempus ſub forma ſerui abdicaſſe, vt naſcendo, creſcendo, comedendo, bibendo, dormiendo, vigilando, exulando, concionando, patiendo, denique & moriendo hominum oculos phantaſmate minimè luſerit, ſicut proculdubiò non aliter ſe credere, & ſentire clamitabit: in eo tamen ſibi ipſi contradicet, quod alibi vnionis hypoſtaticæ differentiam ſpecificam ex realibus huius maieſtatis κοινωνίαις pendere contendit. Hoc enim ſi largiamur, quæſtio erit, quomodo igitur tempore exinanitionis Chriſtum verè & eſſentialiter, hoc eſt, vt theſi 42 loquebatur, actu primo, qui proculdubio*

Portentoſa Vbiquiſtarũ doctrina.

Contradictio Iacobi Andreæ.

φυσικῶτατ@ est, non actu secundo, hyperphysicè acquisito, Filium Dei simul, & Filium hominis fuisse demonstraturus sit: cùm id, quod vnionis hypostaticæ differentiam specificam, & vt ita loquar, formam substantialem constituit, ad tempus retractum, re ipsa nusquam extet. Aut enim caro Christi, ab ipso vnitionis hypostaticæ momento, realiter (ἐνεργείᾳ, ὃ δυνάμει) fuit omnipotens, omniscia, omnipræsens, iuxta Vbiquitarios, qui ex reali Idiomatum κοινωνίᾳ vnionis hypostaticæ, à reliquis præsentiæ Dei gradibus differentiam specificam petunt, atque ita historiæ fidei, & salutis nostræ certitudo labefactabitur. Aut secundum eandem differentiam specificam, mysterium vnionis hypostaticæ, tempore humiliationis minùs fuit perfectum. Atq; ita fingent filii in Christo pro essentiali atq; æterno, secũdarium, hoc est, imaginarium Deum, qui non energia, sed potentia, οὐ φύσει, ἀλλὰ χάριτι, non natura, sed aduentitia quadam gratia, id est, non per se, sed per accidens, adeoq; non actu primo physico, sed actu secundo ὀπτικτήτῳ, fuerit omnipotens, immensus, omniscius, quod Arianum est. Sin hoc rursus negent, & personæ integritati nihil decessisse obiiciant, etiamsi tempore exinanitionis, simul & semel Christi caro non fuerit in diuersis locis, eo ipso argumento & suam fictitiam differentiam specificam euertent, & quos per carnis assumtæ circumscriptionem Christum diuellere calumniantur, vltrò scelerùs absoluent, vel eiusdem se criminis reos peragent. Sed & quicquid pro excusatione huius suæ thesis protendere volet præstigiator, negari non potest, hanc cum Docetarum hæresi prorsus consentire. Sentit enim humanitatem Christi non esse assumtam cum naturali sua mortalitatis conditione, sed ab omni passione & morte per vnionis maiestatẽ fuisse immunem, passam autem & mortuam per dispensationem, hoc est, communicatæ maiestatis retractationem, quod etiam Docetæ, de incorruptibili suo Christi corpore sensisse, testes sunt Nicephorus, Euagrius, Nicetas, & Leontius.

Adde Fulgent. lib 3. ad Thrasi.

Vbiquistæ dispensatoe est communicata maiestatis retractio.

194. Quandiu igitur humiliationis seu exinanitionis status durauit, Christus quidem Deitatis suæ omnipotentiam non exeruit, ad auertendam à carne sua iniuriarum & contumeliarum molem: interea tamen carnem suam etiã in morte non deseruit, atq; simul cum Patre & Spiritu sancto, nõ tantùm, quo ad conseruationem mundi, æquali ἐνεργείᾳ cooperatus est, verùm etiam in sanctissimo illo Trinitatis mysterio, ratione, seu modo, nulli prorsus creaturæ comprehensibili, arcanam actionum cum Patre & Spiritu sancto κοινωνίαν habuit, habetq; ab æterno in æternum. Cuius mysterij inenarrabilem κοινωνίαν credere sufficit, scrutari non licet: cùm ne quidem opera Dei externa,

quibus se in creatione ac conseruatione mundi, peculiariter verò in generis humani redemtione & sanctificatione Ecclesiæ patefecit, satis assequamur. Quod autem Disputator hæc omnia inuertit & peruertit, hoc est, à diuina Christi essentia, cuius propria sunt, ad carnem assumtam transfert, quàm sit impium & sacrilegum, vel hinc æstimet prudens & pius lector, quòd hac ipsa propositione nolens volens fateri cogitur, diuinæ omnipotentiæ, omniscientiæ, & omnipræsentiæ maiestatem in se, suiq; respectu, licet nostris sensibus haud pateat, semper actu esse talem, hoc est, ἐνεργητικὸν, vt licet in statu humiliationis eam contra vocationem & mãdatum Patris non exeruerit ὁ λόγος, auertendo iniurias suæ carnis, non tamen ἀπλῶς, & omnino requieuerit, ab eiusdem carnis assumtæ in suam hypostasin, sustentatione, quin potius in media ærumnis, gloriam interdum suam, editis prodigiis, quæ Deitatis erant argumenta, manifestarit: nedum quod ab vniuersi sustentatione, in qua modo nobis ineffabili diuinam suam cum Patre & Spiritu sancto ἐνέργειαν semper communicat, desiterit. Cùm ergo carnis assumtæ maiestas tempore passionis suam, vt scribit, ἐνέργειαν penitus retraxerit, necessariò sequitur, toto genere eam à diuina maiestatis proprietate differre. Aut si eandem vtriusque naturæ maiestatem omnipotentiæ, omniscientiæ, & omnipræsentiæ esse nihilominus asseuerare pergat, non tantùm passionem, cum tota Christi historia in δόκησιν conuertet (cùm eundem secundum eandem naturam hac ratione maiestatis suæ ἐνέργειαν in morte & retraxisse, vt mori posset, & non retraxisse, sed hactenus saltem vsurpasse oportuerit, ne se ipsum cum tota rerum vniuersitate in nihilum redigi pateretur, atque ita simul & mortuum secundum carnem, & secundum eandem carnem Christum non mortuum fuisse sequeretur) verùm etiam naturarum in Christo ἑτεροουσίαν seu distinctionem tollet, & æqualem vtriusq; naturæ essentiam constituet: cùm ex eo, quod Pater & Filius, & Spiritus sanctus vsque modo eadem ἐνεργείᾳ cooperentur, æqualis simul omnipotentiæ virtus, & τὸ τῆς ἁγίας τριάδος ὁμοούσιον demonstretur. Atq; ipse etiam Christus apud Ioannem ex eo, quod inde vsque ab initio cum Patre operetur, suam Deitatem asserat. Quid? quòd vis edendi miracula vniuersale omnibus Orthodoxis argumentum hactenus præbuit, Deitatem in Christo contra veterum, nouorúmque Antitrinitariorum blasphemias defendendi: quibus posthac nulla idonea refutatio poterit opponi, stante nimirum Disputatoris delirio, quo eandem vim in carnem assumtam transfert.

An communicata carnis maiestas tempore passionis penitus cessauerit.

Ioan. 5.

Cyrillus.

Opponamus ergo Cyrilli decretum: Necesse est reddere Deo, quæ sunt Dei, & humanitati, quæ ei debentur: ne id quod creatum est, ad diuinam

diuinam deducentes essentiam: aut id quod est diuinæ naturæ, ad locum, qui creaturis congruit, deponentes, in aliquem incidamus errorem. *Sic Leo episcopus ad Leonem Augustum inter sententias Patrum, Hilarij testimonium adducit, quod Vbiquitariorum dogma ex fundamento euertit.* *Hilarius.* *Verba hæc sunt*: Videsne ita Deum, & hominem prędicari, vt mors homini, Deo verò carnis excitatio deputetur? Non tamen vt alius sit, qui mortuus est, & alius sit, per quem mortuus resurgit? Spoliata enim caro, Christus est mortuus: & rursus Christum à mortuis excitans, idem Christus est, carne se expolians. Naturam Dei in virtute resurrectionis intellige, dispensationem hominis in morte cognosce, & cùm sint vtraque suis gesta naturis, vnum tamen Christum Iesum eum memento esse, qui vtrumq; est. *Caro Christi non à se, sed à Deitate ex mortuis excitata fuit.* *Adducit etiam Ambrosium, pulcrè explicantem illud Apostoli, qui eiusdem verbi repetitione vsus est, dicens de Domino Iesu Christo*: Cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semet ipsum exinaniuit, formam serui accipiens. Quid est, in forma Dei, nisi in plenitudine Deitatis, in illa perfectionis diuinæ expresione? Et cùm esset in plenitudine diuinitatis, exinaniuit se, & accepit plenitudinem naturæ, & perfectionis humanæ. Sicut Deo nihil deerat, ita nec hominis consummationi, vt esset perfectus in vtraque forma. Vnde & Dauid dicit: Speciosus forma præ filiis hominum. Concluditur Apollinarista, nec quò se vertat, habet, suis clauditur retibus. Ipse enim dixit, Formam serui accepit, non seruus locutus est. Iterum ergo interrogo: Quid est, in forma Dei? Respondit, In natura Dei. Sicut enim ait Apostolus, qui non sunt natura Dij. Quæro quid sit, formam serui accipere? Sine dubio perfectionem naturæ & conditionis, vt dixi, humanæ, vt esset in hominum similitudine. Et pulcrè, non carnis, sed hominum dixit similitudinem, quia in eadem carne est. Sed quia sine peccato erat solus, omnis autem homo in peccato, in specie hominis videbatur. Vnde & Propheta ait, Et homo est, & quis cognoscet eum? Homo secundum carnem, sed vltra hominem diuina operatione. Denique, cùm leprosum tangeret, homo videbatur, sed vltra hominem cùm mundaret. Et cùm Lazarum mortuum fleret, mortuum quasi homo flebat: sed supra hominem erat, cùm mortuum vinctis iuberet pedibus exire. Homo videbatur, cùm

Ambrosius Philipp. 2. In forma Dei esse.

In forma serus esse.

Discrimen naturarũ in editione miraculorum.

Idem Fulg. lib. 3. ad Thrasim.

penderet à cruce, sed supra hominem, cùm reseratis tumulis mortuos suscitaret. *Hactenus Ambrosius, citante Leone, qui simul Orthodoxæ Ecclesiæ sententiam suis declarat verbis, ad Flauianum inter cetera sic scribens*: Nullum est in hac vnitate mendacium, dum inuicem sunt & humilitas hominis, & altitudo Deitatis. Sicut enim Deus non mutatur miseratione, ita homo non consumitur dignitate. Agit enim vtraque forma, cum alterius communione, quod proprium est, Verbo scilicet operante, quod Verbi est, & carne exequente, quod carnis est. Vnum horum coruscat miraculis, aliud succumbit iniuriis. Et sicut Verbum ab æqualitate paternæ gloriæ nõ recessit, ita caro naturam nostri generis non reliquit. *Et paulò post*: Quem itaque sicut hominem Diabolica tentat astutia, eidẽ, sicut Deo angelica famulantur officia. Esurire, sitire, lassescere, atque dormire, euidenter humanum est. Sed & de quinque panibus quinque millia hominum satiare, & largiri Samaritanæ aquam viuam, cuius haustus bibenti præstat, ne vltrà iam sitiat: Super dorsum maris, plantis non subsidentibus, ambulare, & elationes fluctuum, increpata tempestate, consternere, sine ambiguitate diuinum est. Sicut ergo (vt multa præteream) non eiusdem naturæ est, flere miserationis affectu amicum mortuum, & eundem remoto quatriduanæ aggere sepulturæ, ad vocis imperium excitare rediuiuum, aut in ligno pendere, & in noctem luce conuersa omnia elementa tremefacere, aut clauis transfixum esse, & Paradisi portam fidei latronis aperire: ita non eiusdem naturæ est dicere, Ego & Pater vnum sumus: & dicere, Pater maior me est. Quanuis enim in Domino Iesu Christo, Dei & hominis vna persona sit, aliud tamen est, vnde in vtroque communis est cõtumelia, aliud, vnde communis est gloria. De nostro enim illi est minor Patre humanitas, de Patre illi est æqualis cum Patre diuinitas. *Hæc ille.*

Leo ad Flauianum.

Vnum in Christo, nõ duo edunt miracula.

Matth. 4.

Ioann. 6.

Ioan. 4.

Ioan. 11.

Matth. 27.

Ioan. 10.

Ioan. 14.

195. *Vt igitur non simulauit, se ignorare diem iudicij, cùm reuera secundum humanam naturam, seu respectu naturæ assumtæ, etiam Luthero in postillis maioribus, ste,* Christus neque omnipotens, neque omniscius sit: *ita humilitas eius non simulatio fuit, sed vera Filij incarnati secundum Patris æterni decretum obedientia,* καὶ εὐλάβεια. *Cùm autem Lutheri mentio facta sit, præstat ipsum loquentem audire. Verba hæc sunt*: Intempestiuam quidam enar-

Marc. 13.

In postillis maioribus super epist. Hebr. 1.

Hebr. 5.

enarrationem afferunt, dicentes, Filius nescit, id est, non vult scire. Christus verus homo fuit, quare vt alius purus & sanctus homo, non quolibet tempore cogitauit, dixit, voluit, intellexit omnia: sicut imperiti quidam omnipotentem in eo hominem faciunt, permiscentes duas naturas, atque opera naturarum parum prudenter. *Hæc Lutherus. Obseruet autem illud etiam Lector, quòd Brentius iam olim exinanitionem nihil aliud, quàm cælestis maiestatis in carnem Christi realiter transfusæ dißimulationem esse scripserit. Idem cùm re ipsa sentiat Disputator, hic tamen sese negare simulat.* *Vide Cyril. lib. 6. de Trinit. fol 372.* *Brent. lib. de person. vnione, pa. 12.*

196. *Sic non simulauit se esurire, aut sitire, sed reuera esuriit, & sitiuit: neque si voluisset, nisi diuinæ naturæ potentia, sine fame & siti, inediam perferre potuisset. Quòd enim in deserto per 40 dies, nocteſq; cibum, quo destituebatur, non gustauit, sed ad quem appetendum, nulla etiam esurie mouebatur, Deitatis argumentum fuit, non humanæ fragilitatis opus.* *Matth. 4.*

197. *Sic non simulauit se pati & mori, sed reuera passus, & mortuus est carne. Quanquam autem si vires omnipotentiæ suæ contra mortem exerere voluisset ὁ λόγος, pro sua diuina ἐνεργείᾳ, qua sibi omnia subiicere potest, non minùs assumtam carnem, quàm se ipsum ab eius tyrannide, immunem præstare proculdubio facillimè potuisset: tamen caro se ipsam ex mortis vinculis, licet voluisset eximere, nũquam potuisset, cùm ne quidem in cruce, etiam antequam animam exhalauerat, sibi ipsi (humana inquam Christi natura) vt apertè testatur Lutherus, opem ferre potuerit. Et certè expetiisse Christum secundum carnem, qua non potest non destructionem sui reformidare, calicis translationem, ter repetiti ardentißimi illi gemitus testantur, quibus disertè inter Patris (cum quo eiusdem vt essentiæ, ita voluntatis & potentiæ est Filius) atque carnis suæ voluntatem discernit. Nec tamen inde sequitur (nisi fortè non serium fuisse precantis votum somniemus) quòd sicut immunitatem à calice, salua tamen Patris εὐδοκίᾳ, adeoq; sine ἀταξίᾳ peccati optauit: eadem ratione, etiamsi vt libuit, inquam, ita licuisse fingamus, eandem sibi ipsi, vi carnis præstare potuisset. Sin hoc neget Disputator: vt vnam eandemq; naturarum potentiam: ita eandem quoque & vnam, non χάσει, sed numero voluntatem in Christo statuat, necesse habebit. Atq; sic apertè in Monotheletarum castra se transiisse testabitur.* 1. Pet. 3. 4. *In postillis Heb. 1. Leo Rom. ait, Christũ sicut carnẽ, ita quoque mortalitatem ipsius assumsisse.*

198. *Ceterùm cùm personæ vnitatem non nisi ex reali diuinæ maiestatis in carnem Christi transfusa κοινωνίᾳ æstimet, & formam Dei de ipsa carne interpretetur, statumq; humiliationis & glorificationis, seu exinanitionis, &*

exaltationis, per maiestatis illius, quam formæ Dei appellatione intelligit, usurpationem duntaxat, vel repressionem discernat: quis nisi planè amens sit, primisq; fidei elementis nondum imbutus, in dubium vocare amplius poterit, quin hac ratione & naturarum exæquationem introducat Disputator, quod Eutychianum est, & ipsam formam Dei patibilem faciat, quæ Theopaschitarum fuit blasphemia, Et mediatoris officium ad solam carnem restringat: quo Stancari delirium renouatur, Et statum denique humiliationis, atq; glorificationis re ipsa confundat, quod τῶν δοκητῶν portenta stabilit, totamq; fidei certitudinem labefactat.

199. Quin etiam Pauli locum, quo vix alius extat ad refellendas omnes aduersus Christi personam hæreses, illustrior, dedita quasi opera deprauat, aut saltem pro virili obscurat, & totum argumenti scopum peruertit. Nequaquam enim Apostolus ab humana tantùm Christi natura, sed ab ipsa Christi Iesu persona, nos ad restinguendas contentionis & ambitionis flammas, salutare exemplum capere voluit: tali nimirum argumento vsus: Christus Iesus cùm Deus esset, ac proinde in ea gloria & maiestate, quæ Deo vni conuenit, adeoq; æqualis Deo esset, sciebat quidem sibi ius fasq; esse, non in humili carne apparere, sed cum magnificentia Deo digna: nec in eo, quòd Deo, inquam, æqualis esset, alienum se quicquam vsurpaturum: tamen veluti deposita hac gloria, hucque se demisit, vt talis fieret, quales sunt Dei serui, id est, vt hominem assumeret, imò vt non tantùm, quod non erat, fieret, hoc est, homo: saluo tamen, quod erat, hoc est, Deus: verùm etiam vt Patri, tanquam Domino (vt missus, videlicet mittente inferior factus) ad ignominiosissimam vsque mortem subeundam se se vltrò submitteret, & nos mortales, & infimos seruos non pudeat arrogantiæ, quasi fratribus nostris præcellamus? Hoc est, inquam, Apostoli argumentum, quo nemo non videt, nihil grauius, aut vehementius dici potuisse, quòd videlicet Christus, non solùm quà homo, sed etiam quà Deus est, Patri, cui natura æqualis est, se submiserit. Itaq; in hoc versiculo Paulus Christi diuinam naturam describit, quod etiam declaratur participio ὑπάρχων. Et etiamsi μορφῆς nomine gloriam ac maiestatem declaret: tamen cùm gloria Dei non possit sine sacrilegio ab ipsa diuinitate separari, & ratione argumenti, per summam Dei magnificentiam Filij incarnati humilimam illam συγκατάβασιν καὶ ταπεινοφροσύνην nobis, quasi in speculo contemplandam obiculos propositurus esset, non potuit melius declarare Apostolus Christi Deitatem, quàm cùm diceret, eum in forma Dei fuisse, id est, verè Deum: præsertim cùm eundem parem esse cum Deo diserte affirmet. Qua phrasi τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ, parem

Phil. 2. Corrupte-la, quam Iac. Andr. loco Pauli affingit.

Vera explicatio argumenti, quo vtitur Paulus. Vide Cyrillum lib. 2. cap. 3. in Ioan.

parem esse cum Deo (non enim inquit, τὸ ἔχειν ἴσα Θεῷ, id est, paria habere cum Deo, sicut Antagonista inani verborum εἶ) χ) ἔχειν distinctione ludit) simul paucis quidem verbis, sed graui admodum sententia iugulatur Sabellius, qui personarum distinctionem tollit, cùm in paritate necesse sit, comparationem, ac proinde distinctas hypostases interuenire. Iugulatur etiam Arius, qui Deum secundarium imaginatur, quia par non est, qui secundus est ab alio, cùm non sit ὁμοούσιος, sed ὁμοιούσιος. Quòd si quis non contentus hypostases distinxisse, etiam οὐσίαν Dei separet, iam Deo parem esse, aut non erit infinitum, & omnipotentem esse: aut plures cum Manichæis infinitos, & plures omnipotentes statui necesse erit: quam blasphemiam simul hic iugulari certum est. *Refutatio Sabellij.* *Refutatio Arij.*

Quid autem hinc aliud concludamus, quàm Disputatorem vno eodémque argumento, quo scopum & sententiam argumenti Paulini eludit, omnibus istis errorum portentis patronum se præbere? Siquidem enim formam Dei carni attribuit, necessariò eidem parem cum Deo æqualitatem attribuit (sicut hic expressè fatetur, Christum in humana natura Deo æqualem esse) atq; ita totam Trinitatem incarnat, quorum illud Eutychianum & Stenckfeldicum, hoc Sabellianum est. Rursus cùm non Patris aut Spiritus sancti, sed solius Filij omnipotentiam, omniscientiam, & omnipræsentiam realiter communicatam esse carni fingat, adeoq; formam Dei, quam carni adscribit, solius Filij maiestate definiat, manifestum est, quòd non tantùm hypostases distinguat, verùm etiam οὐσίαν in Deo separet: quod Arrianum est, & Mahometicum. Cumq; in paritate necesse sit, comparationem, ac proinde duas minimum hypostases interuenire, & carnem Christi propter formam Dei in se receptam, non possit non parem cum Deo somniare Disputator, vnitatem personæ ab eodem tolli, & naturarum distinctionem, in distinctas hypostases dissolui necessariò sequitur: quod Nestorianum est. Denique licet plures infiniti, & plures omnipotentes nullo modo possint existere: tamen cùm non tantùm parem, sed planè eandem carni assumtæ, cum assumentis Verbi Deitate maiestatem omnipotentiæ, omniscientiæ, & omnipræsentiæ, hoc est, ipsam Dei formam assignet, plures infinitos, & plures omnipotentes simul comminiscatur oportet: quod portentum iam olim in Manichæis (non minùs quàm reliquæ istæ hæreses omnes, cum suo quælibet autore, & assectis) graui Ecclesiæ iudicio damnatum est.

200. Quandoquidem igitur, quod semel assumsit, nunquam deponit, & serui forma propriè ipsam humanam essentiam seu naturam, cum omnibus naturalibus proprietatibus designat, in qua nimirum Filius Dei factus est minister nostræ redemtionis: sicut ipse testatur, inquiens, Non venit Filius *Forma serui in Christo non est deposita.*

hominis, vt sibi ministraretur, sed vt ipse ministraret. *Item*: Ego, quem rectè vos magistrum & DOMINVM appellatis (SVM BNIM) is ipse [inquam] EGO in medio vestrum, vt qui ministrat. *Quæ dicta sine sacrilegio non possunt ad alterutram tantùm naturam restringi, nisi carnem cælitus venisse, cum Apollinaristis somniare, & cum Stancaro Christum non nisi secundum humanam naturam Mediatorem esse fingere libeat. Ideoq; fieri non potest, vt formam serui penitus deposuerit Christus, quin simul non tantùm ipsam naturæ humanæ essentiam, quod nũquam fiet, exuerit (natura enim, essentia, & forma sunt idem, teste Cyrillo, in compendiaria fidei Orthodoxæ explicatione) sed etiam officium mediationis, seu interceßionis deposuerit. Et si enim meritum, seu obedientia, & paßio est certi temporis: tamen applicatio illius meriti, quæ fit in interceßione, nequaquã ad humiliationis duntaxat statum referri debet: sed potiùs interceßor est Filius Dei, etiam antequam assumsit naturam humanam, nec desiit interceßu, postquam præteriit tempus paßionis. Nam in Psalmo dicitur*: Postula, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam. *Et ad Romanos*: Est ad dexteram Dei, qui & interpellat pro nobis. *Item ad Hebræos*: Semper viuens, vt intercedat pro eis. *Sic etiam Nazianzenus inquit*: Vnus Deus, & vnus Mediator Dei, & hominum, homo Iesus Christus. Adhuc enim vt homo, id est, naturam humanam retinens, pro mea salute intercedit, & est cum corpore, quod assumsit.

Si formæ serui in Christo est deposita, quomodo in ipso agit vtraq; forma?

Nazianz.

Vt autem hæreticum illud, & blaſphemum commentum, de reali in naturis Idiomatum communicatione, nonnisi scelerate contortis & depravatis sacræ Scripturæ testimoniis defenditur, ita ex hoc loco turpißimè, & audaciß. mè abisto Disputatore corrupto, vera & æterna Christi Deitas prorsus, vt dictum est, in dubium vocatur, si non omnino negatur & excluditur. Constat enim Paulum loqui de toto Christo, quatenus in ipso, vt mediatore & redemtore nostro omnis est consolatio. Hunc dicit esse in forma Dei, & assumta forma serui, adeoq; totam Christi personam duabus hisce formis constare: sicut hoc ex vniuersali totius Orthodoxæ Ecclesiæ consensu, & approbata Leonis Romani sententia hac: Qui manens in forma Dei, fecit hominem, idem in forma serui factus est homo: & sicut formam serui, Dei forma non adimit: ita formam Dei, serui forma non minuit. *Et post*: Agit enim vtraque in Christo forma, cum communione alterius, quod sibi proprium est, Verbo agente, quod Verbi est, & carne exequente, quod carnis est: *statuit, atque definit Chalcedonensis &*

Leo Rom. cuius Epistola vocatur columna Orthodoxa fidei.

Idẽ Nyssenus in Ephesino concilio citatus fol. 343.

Constan-

Constantinopolitana Synodus sexta, quæ totum Christum, nec alium in persona, nec aliud in naturis, quàm in vtraque ista Dei & serui forma, Deum & hominem agnoscit, cuius contrarium sentire, procul dubio iampridem ex Ecclesia anathemate profligata hæresis est. Iam verò si forma Dei, & forma serui non sunt essentiales in Christo duæ & diuersæ naturæ, ex quibus, vt Athanasius ait, per diuinam & adorandam vnitionem Dei cum forma serui, idem Deus & homo Christus est, sed, vt flagitioso & sectario errore vult hic omnis Orthodoxæ antiquitatis hostis, & Christianæ fidei profanator, duos tantùm & diuersos humanæ naturæ status significant, ex quibus alter ille, qui est in forma serui, iam penitus sit à Christo homine depositus, quid hinc consecuturum est aliud, quàm Christum, secundum hanc vnamq; Dei & serui formam, nihil esse aliud, quàm in communicata Deitatis forma ψίλον ἄνθρωπον, hoc est, simplicem & deificatum hominem, quod olim Ebion & Photinus docuerunt, & nunc eodem huius Paulini loci deprauato sensu in Transsyluania probant Antitrinitarij, cum quibus hunc Disputatorem, quamuis contrarium simulet, reuera sentire & facere, manifestissimè, ex propriæ suæ doctrinæ fundamentis conuincitur. Quoniam enim passim docet, & ne monitus quidē errorem istum emendat, Hominem Christum, & humanitatem Christi, idem prorsus esse, neque differre, si quis dicat: Homo Christus est omnipotens, & humanitas Christi est omnipotens: quis non videt hinc sequi, totum in vtraq; illa Dei & serui, quam ipse desinit, forma, & non alium, quàm hunc hominē Christum esse? At qualis sit hic Homo, in hac Dei & serui forma, Christus, videamus.

Dial. de Trinit. Vide Cyril. li. 1 & 3 dialogor. & Ambros. epist. 47. lib. 7.

Vide suprà collationē doctrina.

In protocol. Maulb. fol. 56. & 103. & contra Heidelber. lib. post. fol. 28.

In colloquio Maulbrunensi, cùm aduersus ipsum produceretur iste Pauli ad Philippenses, de forma Dei & serui, locus, ausus est hic Spermologus, pro sua impudentia perfractè negare: Formam Dei apud Paulum esse Deum, seu Dei essentiā, hoc enim ex eo loco probari non posse, quia Deus non sit æqualis Deo, sed significare maiestatem & gloriam Dei, secundum quam se homo Christus, vt Deum ostendit, cùm ex aqua vinum, & alia miracula faceret. Itaque quòd in forma Dei æqualis est Deo Christus, non de diuina, sed humana ipsius natura, propter communicatam maiestatem intelligi oportere. *Idem in Epitome huius Colloquij in hac verba scribit:* Forma Dei non est ipsa Dei essentia, sed communicata maiestas & omnipotentia humanæ naturæ Christi, secundum quam Deo est æqualis: Per maiestatem enim non intelligimus Dei essentiam, sed donum, per quod hu-

In protocol. Maulbrun. fol. 96.

In protocol. Heidelber. fo 197. 247. 271.

Aliter Brēnius cap. 2. ad Philipp. Anno 1550.

mana natura nunquam in essentiam Dei mutatur.

Lac. Andr. Antitrinitaria secta patronus. Vide Simlerum contra Antitrinit. fol. 194. & seq. Idem dicit Lac. Andr. supra thesi 115. & 191.

Hæc de forma Dei Antitrinitariæ sectæ patronus iste, quibus pulchrè consentit illa Albæ Iuliæ anno 66, ab Antitrinitariis edita confessio, in qua cap. 2. sic de forma Dei in Christo sentiunt: Paulus non de inuisibili aliquo Filio Dei æterno, qui verè humiliari nulla ratione potuit (iuxta Sophistarum deliria) sed de homine Christo loquebatur, de quo ait: Qui cum esset in forma Dei, & æqualis potentiæ efficacia, id est, cùm esset ad dexteram Patris euectus, noluit illa maiestate & potentia abuti, sed ad vilissimi hominis speciem se demisit.

Non est igitur ex vtriusq; horum sententia Christus à forma Dei, naturaliter, verè, & ab æterno Deus. Quia verò similiter quoque formam serui, eodem cum Antitrinitariis errore, nequaquam humanam Christi naturam, sed seruilem tantùm ipsius conditionem & statum significare, hoc loco contendit Spermologus, quid amplius ex hac sua mataeologia Christum, quàm in vtraque illa Dei & hominis forma, per donum & gratiam, deificatum hominem esse facit? Neq; enim aliud est Christus, per hypostasin, quam qui cùm in forma Dei esset, formam serui accepit. Non ergo sic Patri per naturam coæternus, sed in ista forma Dei, per gratiam, Christus homo Deus est.

At verò quòd hæc falsaria Paulinæ sententiæ corruptela, tanquam ipsi non consentiens, ex agro & finibus Ecclesiæ planè sit cum authore suo exterminanda, facilè conuincit ipse verborum contextus. Christum enim dicit Paulus in forma Dei esse, non humanam ipsius naturam, quæ non est Christus, sed æquale tantùm, & quasi quædam pars Christi. Fuit igitur ipsa Christi hypostasis in forma Dei, & Deo Patri, vt homousios per naturam, ita etiam æqualis. Et hæc Christi hypostasis serui formam incarnatam accepit: cùm alioqui ex Disputatoris nostri corruptela, humanam naturam Christi communicatam Deitatem accepisse, dicendum foret. Nam si per naturam Christus non fuit in forma Dei, vtique hanc per gratiam accepisse, concedendum erit. Contra quod sic in Niceni Symboli expositione sic scribit Cyrillus: Exinanitus esse dicitur, eò quòd ante exinanitionē plenitudinem habuit in propria natura, secūdum quam intelligitur Deus, non autem homo existens, vt fieret æqualis Deo, secundum participiū locupletatus est. *Sed & quando Christum in forma Dei esse, non autem hanc accepisse, dicit Paulus, certè per hoc ipsum, vt formæ Dei subiectum, hanc q; Dei formam, vt in suo proprio subiecto, esse, negari non potest. Quorsum igitur fictitia illa Dei forma, quam per realem communicationem humanæ naturæ, non essentialiter,*

Christus per hypostasin est in forma Dei. Ambrosius. 2. cap. 4. de fide.

non

non formaliter, non habitualiter, non ſubiectiuè competere, fraudulenta & ludibriosa ſophiſtica comminiſcuntur Patres Bergenſes? An Christus non eſt eſſentialiter & formaliter in Dei forma, hoc eſt, ab æterno Deus, & Deo Patri æqualis? nec Christus eſt proprium formæ Dei, in quo eſſentialiter & formaliter ineſt, ſubiectum? O ſceleratam & nefariam iſtorum nouorum hominũ mataeologiam, qua omnes præcipui Scripturæ loci, quibus æterna Christi Deitas probatur, alieno ſenſu deprauantur, & ad communicatam homini Deitatem & maieſtatem impiè detorquentur. *Supra thes. 179.* *Hæc eſt via ad Turcicũ Alcoranũ.*

Eſt autem & hoc loco ſilentio non prætereundum, quòd etſi iam pridem in Protocollo Heidelbergenſi, ſuper actis Colloquij Maulbrunenſis, ex Ambroſio & Luthero conſtantiſſimè refutata, & erroris conuicta ſit hæc recens, & ab Antitrinitariis deſumta forma Dei & ſerui in Christo malè ſana explicatio: tamen pro ſua impudentiſſima temeritate non veritus fuerit hic impoſtor ad Ambroſii & Lutheri authoritatem prouocare. *Fol. 145. & 149.*

201. *Sicut ergo Lutherum cum Ambroſio, per formam ſerui, nequaquam ſeruilem tantùm κένωσιν, ſeu conditionem, & habitum, multò minus Vbiquiſticum, aut Marcioniticum corporis ſchema, ſeu phantaſma intellexiſſe, ſed potiùs ipſam naturam aſſumtam, in qua Filius Dei noſter factus eſt ſeruus, vt nos æterno Patri ſua obedientia, vſq; ad mortem, reconciliaret, recitatis iam antè perſpicuis ipſorum teſtimoniis demonſtrauimus: ita vel ſoli patrono ſuo Brentio ſe docilem vt præberet Diſputator, æquum erat. Quem enim audiat, ſi parentem ſui dogmatis non audiat? Is ergo, priuſquam in deliræ ſenectæ amentiam incidit, ſic olim de forma Dei non tolerabiliter ſaltem, ſed planè Orthodoxè & piè ſcripſit, vt ſequitur*: Paulus Chriſto tribuit, quòd ſit in forma Dei, hoc eſt, quòd habeat formam, naturam, & eſſentiam Dei, ac ſit verus Deus. Vbi enim eſt forma, hoc eſt, natura, & eſſentia Dei, ibi certè eſt Deus ipſe verus. Ac res ipſa probat, Chriſtum eſſe in forma Dei, hoc eſt, verum eſſe Deum. Vicit enim mortem, reſurrexit à mortuis, ſua virtute. Hoc autem eſt ſolius Dei. Adhæc diuulgauit ſua virtute Euangelium in orbem terræ, & edidit nomine ſuo per Apoſtolos miracula, quod etiam eſt ſolius Dei. Cùm igitur hæc perfecerit Chriſtus ſuo nomine, ſua virtute, manifeſtũ eſt, quòd ſit verus Deus: deinde quòd ſit Deo æqualis. Chriſtus eſt Deus, & Deo æqualis. Quomodo hæc cõueniunt? Optimè. Vnus tantùm eſt Deus eſſentia, ſed in hac vna diuina eſſentia tres ſunt diſtinctæ hypoſtaſes, ſeu perſonæ. Inter has autem Chriſtus eſt ſe- *Sententia Ambroſii à Iac. Andr. depranata.* *Brentij ſectus ſententia de forma Dei & ſerui.*

cunda persona, ideóque dicitur Deo æqualis, quia est secũda persona in vna diuina essentia. Est enim æqualis Deo Patri in essentia, in maiestate, in omnipotentia, in dominatione. *Hæc ille. Quum sum igitur noua ista, & Ecclesiæ hactenus inaudita, exinanitionis atq; glorificationis, qualem Disputator comminiscitur, descriptio? Paulus enim exinanitionem ei tribuit, qui cùm esset in forma Dei, & æqualis Deo (hoc est, secundum Orthodoxam Brentij explicationem, verus Deus, & quidem secunda Trinitatis persona) formam serui (hoc est, vt alibi se ipsum Apostolus explicat, semen Abrahæ) assumsit, atq; ita homo factus, Patri vsque ad mortem, quam in carne sustinuit, pro nobis redimendis obedientiam præstitit. Hæc omnia inuertit Disputator, & eidem naturæ assumtæ, vtramq;, tam Dei, quàm serui formam quasi diuersam in actione histrionica laruam induit, vt idem Christus in eadem natura carnis assumtæ, nunc Dei, nunc serui, seu hominis personam egerit scilicet. Vnde necesse erit, ex Paulini quidem argumenti contextu, prius forma Dei, quàm forma serui, carnem illam præditam fuisse: vt sit sententia: Cùm esset caro Christi in forma Dei, adeoq; æqualis Deo, assumsit serui formam. Vnde eadem caro fingetur assumtrix simul, & assumta esse natura. Erit igitur creatrix simul & creata: æterna & temporanea. Deinde cùm per serui formam, quam assumsit, facta sit visibilis, circumscripta, palpabilis & mortalis, atq; ita λύτρον pro generis humani peccatis persoluerit, secundum solam illam carnem officio Mediatoris fungi Christum, atq; ita frustrà Verbum incarnatum esse: imò ne quidem Verbum, sed Dei illam communicatam carni formam, assumta serui forma, in carne visibili & mortali apparuisse sequetur. Denique cùm per exaltationem deposita iam serui illa forma circumscripta, palpabili & visibili, carnem nactus sit perfecta planè forma Dei illustratam, seu præditam, hoc est, incircumscriptam, impalpabilem, invisibilem: nostræ iam carni ὁμοούσιος esse planè desierit oportet. Sed apparebit tamen in eadem forma, visibili, palpabili, & circumscripta, sub finem mundi, quando reuersurus est ad iudicium. Eandem igitur serui formam, quam penitus per resurrectionis gloriam deposuit, pro libitu rursus induet, & assumet, vt hominum scilicet oculis appareat visibilis, & se nobis palpabilem præbeat. Erit igitur assumtionis semel in virgineo vtero factæ, iteratio, & repetitio, & multiplicatio statuenda infinita, qua non poterit non & Christus ipse in phantasma conuerti, & totius nostræ salutis certitudo euerti: cùm ex sola Christi carne, quatenus in eadem Filius Dei nobis consubstãtialis factus, hoc est, iisdem quibus nostra caro, substantialibus proprietatibus præditus est, omnis salutis nostra*

Hebr. 2.

Falsa interpretatio quam Iac. Andr. loco Pauli affingit.

Caro in tali forma Dei non est nostri generis caro.

nostræ ratio & certitudo pendeat. Harum ergo blasphemiarum nouus iste architectus, quàm impudenter & impiè non tantùm vniuersam Scripturam in alienum sensum detorqueat, verùm etiam Orthodoxæ antiquitatis testimonia malitiosè deprauet, vel vnico iam Athanasii dicto demõstrasse sufficiat: quo sententiam Apostoli descriptam à Luca: Sciat ergo tota domus Israël, quòd Dominum & Christum FECERIT DEVS hunc Iesum, QVEM vos crucifixistis: *sic explicat*: DOMINVM illum, & Christũ fecit, quem vos crucifixistis. Non hîc scriptum est, *inquit Athanasius*, Fecit eum sibi Filiũ, aut fecit eum sibi VERBVM, sed fecit eum Dominum, idque non simpliciter, sed apud nos, & in medio nostri eum fecit, quod idem est, ac si dixisset, declarauit eum Dominum. Nam illud vocabulum FECIT, quod in fine dicebatur, id sub alia voce, nempe DECLARAVIT, in principio posuit. Ex signis enim, iisque quæ fecit Dominus, declaratum est, non simpliciter eum hominem fuisse, sed Deum, & hominem in corpore, eundemque Christum fuisse. *Hactenus verba D. Athanasii. Idem sibi vult, cùm alibi dicit*, Christum potestatem accepisse, vt hominem, quam semper habebat, vt Deus, *vt frustrà toties inculcet Disputator, auream illam, quam suprà explicauimus regulam, cùm nõ modò vanissimum de transfusis in carnem Christi diuinæ maiestatis proprietatibus, & energia, commentum minimè illa fulciat, verùm etiam planè euertat. Etsi enim humanitus carnis glorificationem, vt omnibus piis notum est, accepit Christus: tamen ex glorificatione, non protinus extruenda est realis Idiomatum κοινωνία, qua certum est, & iam antè plus satis demonstratum, non glorificari, sed penitus absorberi carnem.* Cauendum autem, *teste Augustino*, ne sic maiestatem hominis astruamus, vt veritatem carnis auferamus. Carni enim suæ immortalitatem dedit Christus, veritatem non abstulit. *Cúmque Athanasius eadem in nos firmiter posidenda in posterum ex carne Christi tradi affirmet, quæ ipsa in Christo per glorificationem accepit: perspicuum est, quòd non de diuinæ naturæ maiestate, & proprietatibus loquatur, siquidem harum nos minimè reddemur participes, nisi tot omnipotentes, omniscios, & omnipræsentes, hoc est, Deos, quot æternæ beatitudinis hæredes futuri sunt, fingere libeat: sed potiùs de donis sanctificationis, seu viuificationis, quæ ex vite illa vitæ, tanquam ex radice, in palmites, aut ex capite in membra, diuinæ energiæ virtute defluunt. Vnde non rarò eandem regulam idem scriptor ita explicat, vt quæ secundum carnem Christus accepisse dicitur*

Act. 2. Athanas. oratione 3. contra Arianos.

Facere Christũ Dominum, est ipsum talẽ declarare.

in tempore, non ſibi ſed nobis accepiſſe teſtetur. Atq; huc ſpectat illud, quod appendicis loco huic theſi planè mutilatum, & in alium prorſus ab Athanaſii mente ſenſum detortum inſeruit Diſputator. Quanquam autem orationis, ex qua laciniam iſtam decerpſit, nonnulli ne quidem authorem agnoſcant Athanaſium: Locum tamen integrum adſcribendum duxi, vt denuò exemplum haberet lector, ex vngue, quod aiunt, Leonem agnoſcèdi, hoc eſt, qua fide primùm iſti autoritates adducant, prudenter diiudicandi. Verba hæc ſunt: Cùm inquit Petrus, Pro certo habeat vniuerſa domus Iſraël, quòd Deus hunc Ieſum, & Dominum & Chriſtum fecerit, quem crucifixiſtis: Non ibi de diuinitate eius verba facit, cùm aſſerit, eum Dominum & Chriſtum à Deo factum eſſe: ſed de humanitate eius, quæ eſt vniuerſa Eccleſia: ea enim in eo & denominatur & regnat. Et ex quo ille crucifixus eſt, etiam illa inuncta ad regnum cælorum exiſtimatur, vt regnaremus cum illo, qui ea de cauſa ſe ipſum euacuauit, & aſſumſit ſeruilem ſpeciem. VERBVM enim, quod & Filius Dei ſemper erat Dominus, & Deus, neque poſt crucem factus eſt Dominus, & Chriſtus, ſed vt prædixi, humanitate eius diuinitas fecit Dominum & Chriſtum. *Hæc ille non de ipſa humanitate Chriſti propriè, ſed potiùs allegoricè, per applicationem archetypi ad typum, de Eccleſia diſſerens, quæ & ipſa corpus Chriſti, videlicet myſticum illi, non phyſicum, ſeu ὁσιωδῶς: vt crimen falſi ab authore theſium commiſſum hîc eſſe, vel lippi cæcutiendo tamen animaduertant, vel cæci etiam palpent.*

Oratione de natura humana, ſuſcepta ab vnigenito Verbo, contra Apollinarium, circa finem.

Falſitas à Iac. Andr. commiſſa.

202. *Et iam quidem ſopiturus, quaſi conſcientiæ ſcrupulum, vltrò tandem fatetur, quòd Patres, & ſcriptores Eccleſiaſtici proprietates humanæ naturæ, inprimis autem circumſcriptionem corporis Chriſti, ad probandam ipſius veritatem, aduerſus Marcionitas, & Eutychianos vrſerint. Vt enim Gelaſius hanc controuerſiam definiens, ait,* Corpus Chriſti verũ eſt in eo, quod verum eſt, hoc eſt in ſuæ proprietate ſubſtantiæ. *Item:* Aliter Chriſtus verus homo eſſe nõ poteſt, niſi in naturæ ſuæ proprietate ſubſtantialiter verus ſubſiſtens. *Item:* Manet ergo in ſuæ proprietate ſubſtantiæ, quia verus Chriſtus aliter eſſe non poteſt. Videbiturenim in Deitatem humanitatis transfuſa conditio, vbi eius defierit eſſe proprietas. *Quid igitur minùs hinc ſequitur, quàm quòd nihilominus fictitiam illam maieſtatem carnis, incircumſcriptæ, & vbiquitaria, non improbarint aut negarint? Quaſi verò cõtradictoria ſtatuerint homines, tam eruditi & exculti: aut non intellexerint, quòd hac ipſa ratione Antageniſtas arma-*

Veteres Eccleſiaſtici ſcriptores vrſerunt proprietates humanæ naturæ, ad probandam inde veritatem ipſius.

armaturi magis, & confirmaturi in errore, quàm refutaturi fuissent. Sed audiamus Cyrillum, qui pro maxima eius argumenti, quo vsi sunt Patres, hanc thesin ponit, inquiens: Si diuina natura verè partitionem reciperet, intelligeretur & corpus. Si autem hoc, & in loco omnino, & in magnitudine, & quantitate, & si caderet in eam quantitas, non effugeret circumscriptionem. Quod si ipsa diuina natura, si corpus esset, nõ posset esse sine partiũ diuisione, quantitate, & circumscriptione, quantò minùs humanitas Christi, per fictitiam illam maiestatem, extra illus proprietates existere, & tamẽ simul vera, atque nobiscum ὁμοούσιος humanitas esse potest. Audiamus etiam Vigilium Martyrem, & intelliget lector, quanta sit huius Disputatoris vanitas: is postquam carnem his conditionibus, vt videlicet inuisibilis, incontrectabilis, & incircumscripta sit, subiacere, impossibile esse dixisset, subiungit, Si Verbi & carnis vna est natura, quomodo cùm Verbum vbique sit, non vbique inueniatur & caro? Nam-que quando in terra fuit, non erat vtique in cælo. Et nunc quia in cælo est, non est vtique in terra, & in tantum non est, vt secundum ipsam Christum speremus venturum de cælo, quem secundum Verbum nobiscum esse credimus in terra. *Hæc est fides & confessio catholica, quam Apostoli tradiderunt, Martyres roborauerũt, & fideles nunc vsque custodiunt. Quod si verò etiam extra naturales humanæ naturæ proprietates, absq; vlla corporis circumscriptione, in hac fictitia sua maiestate consistere ipsius veritas potest, quorsum in ea contra hæreticos probanda, humanæ naturæ proprietates & circumscriptionem adeo cõstanter vrserunt? Sic igitur tandem huc omnis spectat & decurrit Disputatoris huius, sociorumq; ipsius mataeologia, vt, sicut testimonia Scripturæ, quibus æterna Christi diuinitas, ab Orthodoxis Patribus, aduersus hæreticos olim rectè asserta & vindicata fuit, in prorsus alienum sensum, ad tuendum illud communicatæ deitatis, & vbique præsentiæ commentum, nefario & impio conatu sunt detorta: ita quoq; argumenta, quibus veritatem corporis Christi, in nostræ naturæ proprietate, etiam ab Eucharistiæ sacramento probarunt, & Ecclesiæ commendarunt Patres, planè fiant irrita, & reddantur incõcludentia. Vnde quid aliud secuturum est, quàm quòd iuxta hanc mataeologiam, non amplius de Christo Deo, vt Deo, nec de homine, vt homine, cogitare & loqui rectè possimus? Sicut hoc omnino futurum monet Theodoretus, nisi vtriusque naturæ inconfusa seruetur proprietas. Neque enim aliam ob causam veritatem corporis negarunt hæretici, nisi quòd proprietates ipsius negarẽt: itaq; cùm apud*

Lib. 2. de Trinit. Omne quãtum est, finitum, Ergo cum corpus sit quãtum, non potest esse incircumscriptum & vbique.

Vigilius Martyr li. 4.

Vide suprà in collatione doctrinæ, & thesi 200.

Theodoret. dialog. 2. Theodoretum Eranistes, pro Eutychianis disputans, in diuinam naturam mutationē factam esse asserere vellet, negat aliquid in vnione supereſſe ex proprietatibus, quod humanam naturam ostendat. Quod refutare volens Orthodoxus, à Dominicæ Cœnæ symbolis probat, corpus Christi, quod diuina mysteria repræsentant, non minùs suam formam, figuram, & circumscriptionem, adeoq; veri corporis essentiam retinere, quàm ipse panis & vini typus facit. Et

lib. 4 cōtra Marcionē. Idem Irenæus. Tertullianus, cùm à panis & calicis sacramento corporis & sanguinis Christi veritatem, contra phantasma Martionis, probasse se dicit, sic veritatē hanc describit, inquiens: Nam si qua corporis qualitas, quæ non carnea fit, opponetur, certè non nisi carnea sanguinem habebit, atque ita consistit probatio corporis, à testimonio carnis, & probatio carnis, à testimonio sanguinis. *Aut igitur si hoc genus probationis nego* Disputator, Orthodoxæ fidei desertorem & falsatorem se facit: aut eiusmodi veritatem corporis in Eucharistia credi oportere, & ab Eucharistia probari, defendi aduersus hæreticos posse, fateatur, est necesse: quod etiam fratrem

Quid ad hæc noui Marcionitæ

In libro accusat. fol. 328, accusatione 25. suo, Selneccero, qui Martionis phantasma in Ecclesiam reducere conatur, dictum esto.

203. Nec.n. aliunde veritas naturæ humanæ etiā in ipsa vnione, quàm ex proprietatum essentialium veritate æstimatur, à quibus ipse Filius Dei, per communicationem Idiomatum, verus, visibilis & palpabilis homo appellatur. Iuxta illud Ambrosii & Leonis: Eadem est in Christo corporis veritas, quæ in nobis est. Circumscripta enim natura vnita est Verbo, & vbi lis semper manet, in eoq; nullam inter Nestorium & Synodum Ephesinam per vnione personali fuisse controuersiam, testis est Cyrillus in epistola ad Ba

Vnio non mutat rationem veritatis humanæ naturæ. logium. Si verò diuersam naturæ assumtæ, quatenus in se, seu respectu sua sentiæ, & quatenus vt Verbo est vnita, consideratur, rationem somnii, ali vt in se quidem circumscripta, in vnione verò sit incircumscripta: duplicem Christo naturam humanam statuas necesse erit, quarum illa quidem, q extra vnionem consideratur, nobis erit coëssentialis, hæc verò, quam filius Verbum vniuit, à nobis erit ἑτεροούσιος: Illa quidem terrena, hæc verò celestis, aërea, vel ætherea, qualem Apollinaristæ & Marcionitæ somniarunt. De q

Theodoret. dial. 1. bus Amphilochius Episcopus Iconij: Hisce persuasionibus, inquit, quidā fascinati existimant, se tribuere Domino gloriam, nec intelligunt se prætextu gratiarum actionis, contumelia illum afficere, & veritatem mendacij accusare. Quid, quòd hæ opiniones non solùm ab re ipsa, atque à veritate distant, sed etiam absurdissimæ sunt, ex

enim aliud assumsit corpus, quid ea res ad meum corpus salute indigens pertinet? Si verò è cælo transtulit carnem, quid cõmercij habet cum mea carne, quæ ex terra sumta est? *Hæc ille.*

Quidquid igitur tandem illud sit, quod humanam naturam per vnionem personalem à λόγῳ communicatam accepisse, contendit Disputator, non tamen per hoc ipsam extra essentiales proprietates existere probatur, Vniuntur enim, *inquit Damascenus,* Christi naturæ inconfusè, secundum hypostasin, suam quæque propriam differentiam seruãtes: & rursus diuiduntur indiuisè, pro modo & ratione differentium proprietatum. *Iam verò si Christus per communicatam vnionis maiestatem, ex vesana Disputatoris nostri mataeologia, secundum vtramque naturam inuisibilis, impalpabilis & incircumscriptus esse, eoq; modo humana ipsius natura, in eo, quod ex maiestate vnionis accepit, considerari dicatur, nequaquam ex hac Orthodoxa Damasceni sententia, verum esse potest, naturas inconfusè, hoc est, seruata cuiq; sua proprietate, secundum hypostasin vnitas esse, rursusq; pro modo & ratione differentiæ cuiusq; proprietatis, indiuisè diuidi, hoc est, inter se discerni posse. Quin & impossibilis hæc, atq; incarnationis veritati repugnans contradictio inde secutura erit, nempe, Filium Dei, per vnionem hypostaticam, esse & dici visibilem, palpabilem, localem & circumscriptum hominem, propter videlicet istas humanæ naturæ in vnitatem hypostasis assumtas proprietates, & tamen nihilominus etiam ipsam humanam Christi naturam, per eandem vnionis causam, extra essentiales proprietates, simul inuisibilem, impalpabilem, & incircumscriptam esse. In hanc contradictionem incurrere omnino necesse est, quicunq; affirmant naturam humanam Christi, per vnionem personalem, à λόγῳ aliquid communicatum accepisse, quod contradictorium sit naturalibus ipsius proprietatibus, in quibus à Verbo in eandem hypostasin est assumta, & quæ per communicationem Idiomatum non minùs de ipso Verbo, quàm diuinæ proprietates de assumto homine dicuntur.*

Lib. 2. cap. 3. Nova Non [illegible] Damasc. Diuinitas per veram communicationem proprietatum.

Impossibilis contradictio.

Sic Irenæus, Athanasius, & Fulgentius.

204. *Vt igitur Patrum sententiæ de corpore Christi circumscripto, nulla ratione cum eiusdem corporis Vbiquitate conciliari possunt, sed apertè potius Eutychianorum & Marcionitarum furores per Vbiquitatis portentum in Ecclesiam reuocari testãtur: ita neq; Filij aduersus Arium, neque Spiritus sancti aduersus Macedonium diuinitatem, neq; sacrosanctæ Trinitatis τὸ ὁμοούσιον aduersus Eunomium, & Antitrinitarios, cùm veteres, tum recentes, neque ipsam Dei οὐσίαν τρισυπόστατον aduersus Sabellium defendi posse manifestum est, approbato realis Idiomatum κοινωνίας in Christo, respectu carnis, somnio.*

Didymus lib 1. de Spiritu sancto. *Id quod vel ex vnico illo Didymi testimonio prudens lector æstimet: ipse enim (inquit Didymus de Spiritu sancto)* Si vna de creaturis esset, saltē circumscriptam haberet substantiam, sicut vniuersa, quæ facta sunt. Nam etsi non circumscribantur loco & finibus inuisibiles creaturæ: tamen proprietate substantiæ finiuntur. Spiritus autem sanctus cùm in pluribus locis sit, non habet circumscriptam substantiam. *Athanas. apud Vigilium.* *Et rectè Athanasius apud Vigilium contra Sabellium, Photinum, & Arrium differens:* Hinc præcipuè declaratur, *inquit*, Spiritum sanctum Deum esse, quia vbique est, & nullo continetur loco, sicut Propheta dicit ad Patrem: Quò ibo à Spiritu tuo? Et alibi: Spiritus Domini repleuit orbem terrarum. Esse enim vbique, & vno eodemque momento, cælos, terras, maria, infernaque replere (vt Dauid ait: Si ascendero in cælum, tu illic es, & si descendero ad infernum ades) non creaturæ, sed solius Dei est proprium. *Hæc ille. Aduersus quæ an non regerere potuissent hæretici, non valere hoc genus probationis, siquidem Filius, & Spiritus sanctus, per communicatas realiter ipsis diuinæ naturæ proprietates, dici possint esse Deus, non natura, sed participationis gratia, ideoque non necessariò hinc τὸ ὁμοούσιον inferri?*

205. *Friuola enim & nugatoria cauillatio, seu inanis potiùs elusio est, quod aliud esse causatur, quando diuinæ naturæ Idiomata in Trinitate Spiritui sancto communicentur, & quando eadem carni non simpliciter, aut in proprietate essentiæ, ipsi tamen carni realiter, sed propter vnionem hypostaticam, attribuantur. Spiritus enim sancti distinctam à Patre, & Filio hypostasin esse carnis assumtæ à persona τοῦ λόγου non item. Quid enim hinc aliud sequitur, quàm realem Idiomatum κοινωνίαν, qualis inter personas Trinitatis est, adeo non constituere vnionem hypostaticam, vt eandem potiùs in vnitatem essentiæ & personarum distinctionē cōuertat? Atque ita Disputator denuò suo ipsius gladio iugulatur, conuictus à se ipso tam Eutychismi, quàm Nestorianismi. Nam vtraque tam naturarum in Christo confusionis, quàm personæ diuulsionis blasphemia per realem Idiomatum κοινωνίαν in naturis stabilitur. Ostendat autem, si potest, ex Ecclesiasticis scriptoribus, ineptus Sophista, quòd humana natura, propter vnionem cum diuina, tribuatur, vt in contradictoriis simul proprietatibus existere possit. Denique demonstret, quomodo consentiat, quòd propter hanc vnionē humanæ naturæ cum diuina, Filius Dei, Verbum, à proprietatibus humanæ naturæ, dicatur visibilis, palpabilis & circumscriptus homo.*

206. Ni-

206. Nequaquam igitur, propterea quòd humanitas assumta cum assumente λόγῳ, vna iam, & indistincta persona est, eidem quoq; diuinitatis attributa, quæ soli Patri, Filio, & Spiritui sancto, propter essentiæ identitatem competunt, adscribi possunt, debentve: sed potiùs de persona Christi prædicantur vtriusq; naturæ propria, propter vnionem naturarum in eadem Verbi ὑποστάσει cùm inseparabilem, tum inconfusam.

207. Hinc iidem Patres Christi hominis æternam diuinitatem iisdem Dei propriis confirmarunt, quibus Spiritus sancti Deitatem asseruerunt. Aut igitur ex reali Idiomatum Dei, omnipotentiæ nimirum, omniscientiæ, & omnipræsentiæ, cum carne Christi participatione, seu κοινωνίᾳ, ipsam quoque carnis essentiam diuinam esse sequitur: aut siquidem eadem Idiomata carni realiter attribuuntur, quibus æterni λόγου Deitatem demonstrarunt Patres: infirmum erit argumentum, cùm dico: Christus est omniscius, omnipotens, vbique: Ergo est eiusdem cum Patre & Spiritu sancto essentiæ, & per consequẽs, verus, essentialis, atque æternus Deus, cùm non sit necesse has proprietates Verbo & Filio Dei per naturam attribuere, quæ ipsi competere & tribui possint, participationis gratia. Imò eidem carni assumtæ, contraria, siue propria, siue attributa, realiter, vt dictum est, adscribenda erunt, vt simul creata dicatur, & increata: circumscripta & incircumscripta, mortalis & immortalis, & id genus alia: quorum nihil sine manifesta contradictionis implicatione statui vlla ratione potest: nisi & vnitatem personæ soluere, & pro duabus naturis duos Christos substituere libeat.

Alia quæstio est apud Patres, de æterna Filij deitate, & quomodo illa probetur: Alia de naturarum inter se vnione.

208. Etsi verò ante resurrectionem pleno maiestatis fulgore suam Deitatẽ, cuius interdum radij ex miraculis emicuerunt, non declarauit: iam verò pari, cum Deo Patre omnipotentia Christus, Deus, & homo, plena maiestatis gloria regnat: tamen vtraque propositio impia est, qua vel idem Dominus ante resurrectionem, non vbique cum Deo regnasse asseritur: vel eiusdem Domini assumta natura peculiariter Dominus, quæ non nisi personæ est appellatio, salutatur, vt ita Dominus care cum Deo Verbo, licet non ante, tamen post resurrectionem pari regnandi maiestate in Christo potitus dicatur. Vt enim prior illa propositio manifestè Arianam: ita hæc Nestorianam hæresin sapit: cùm non posit non in duas personas, & duos Dominos idem Christus Dominus diuelli, si natura humana, vel ante, vel post resurrectionem, sui etiam respectu, in vnione illa, vt Dominus, cum assumente Verbo Domino regnare statuatur. Sic enim Dominus assumtus cum Domino assumente regnabit. Quem Nestorianismum quòd Christi etiam illa phrasi, Vbiquitariorum secta vsitatissima, stabiliri constat, quòd

Apertus Iac. Andr. & suorum socio rum Nestorianismus, quòd Christi Domi

num cũ Verbo vbique regnare dicitur. Vide Cyrillum 8 anathem.

Filius Dei Filiũ hominis assumserit: *quia ferè perpetuò vocabulis concreti, pro abstractis abutuntur, hoc est, personæ & naturarum appellationes confundunt.*

209. *Postquam igitur per resurrectionem, & exaltationem carnis veritatem non amisit Dominus, sed eandem palpabilem & visibilem, etiam deposita iam mortalitate, discipulis exhibuit, & iisdem proprietatibus, à Spiritu, seu phantasmate distinxit: inquiens:* Palpate, & videte, quia Spiritus carnem & ossa non habet, quemadmodum me videtis habere: *non quidem vt persona missa in summam regiæ, & sacerdotalis dignitatis eminentiam & maiestatem euectus est, atque etiam in assumta natura donorum numero, & gradibus omnes res creatas ineffabili modo transcendit: æternum tamen Deo, non quidem essentiæ, secundum quam & ipse coæternus Patri & Spiritui sancto Deus est, manetq; in æternum, sed officij respectu, nedum assumtæ naturæ assumtæ, inferior esse, salua nihilominus Deitate, nunquam desinit vt ita ne quidẽ in sublimi illo maiestatis fastigio, æqualis inter naturæ assumtæ, & Verbi assumentis essentiam vel potentiam, vel gloriam statui posit: nisi & Scripturæ testimonio: gloriam meam alteri (siue personæ, siue essentiæ) non dabo, palàm refragari, & ad Monotheletarum hæresin turpiter deficere libet.*

Quomodo Christi humanæ Deo fabricatus.

Verba Scripturæ falsò ad Vbiquitatem carnis à Iacobo Andreæ detorquẽtur.

210. *Ideoq; nihil minus, quàm assumtæ carnis Vbiquitatem dulcissimæ illæ promissiones Christi inferunt: quem nunquam vel secundum carnem, eodem tempore in diuersis locis fuisse, vel suæ carni Vbiquitatem adscripsisse legimus: cùm nullibi dixerit: Mea caro erit perpetuò vobiscum, vbicunque locorum congregati fueritis: sed potiùs* BGO, EGO, BGO (*inquam*) *videlicet Iesus Christus, frater ille vester, & caro de carne vestra, os denique & sanguis de sanguine, & ossibus vestris, idem verò & Deus, & creator, & sustentator vester (vbicunq; n. Christus loquitur, loquitur persona, quæ Deus est, & homo) amisit hactenus vobiscũ, vt homo, sed replens simul cælum & terram, vt Deus: exiturus iam è mundo, & discessurus à vobis, vt homo: semper tamen ero vobiscum vsque ad consummationem seculi, vt Deus. Vbicunque enim duo, vel tres in nomine meo congregati fuerint, ego, ego, ego sum in medio ipsorum: non autem ibidem meam (inquit) carnem sistam:* ὡς ὁ θεὸς ἔστι μεθ' ὑμῶν. *Vt enim Deus, manet nobiscum, inquit Damascenus. Et Apostoli quidem, ne Euangelista, prædicarunt* VBIQVE (*quouis nempe locorum Hierosolymis egressi aduenerant*) DOMINO *vnà cooperante, non autem vbique locorum (vt Patres Bergenses nugantur) carne Domini, Apostolis prædicantibus coexistente. Longè siquidem aliud est, quando Euangelij ministri ἐν κύριῳ συνεργοῦντι*

Matt. 28. 18.

lib. 4 ca. 19.

Marci 16.

συνεργεῖν, καὶ τὸν λόγον βεβαιοῦν dicitur, quod pertinet ad tertium præsentiæ Dei gradum, hoc est, ad efficaciam & conseruationem ministerij: Et aliud, quando caro Christi reali quadam πανταχοσίᾳ locis omnibus præstò esse fingitur. Hoc enim vt nobis credendum proponeret, nunquã Euangelista in mentem venit. Sin ad cauendam personæ distractionem statuendum id existimet Disputator, consideret illud Nysseni: Si hominis anima, necessitate naturæ copulata corpori, vbique est celeritate cogitationũ, quæ necessitas cogit nos dicere, naturæ carnis diuinitatem inclusam esse? Item: Quid obstat, quò minùs agnoscentes diuinæ naturæ vnionem & copulationem cum humana, etiam in hoc arctissimo vinculo suscipiant cogitationem diuinitate dignam, & credant, diuinitatem, quamuis inter homines versantem, ab omni circumscriptione segregatam esse? Item, Qui dixit, Deus est Spiritus, idẽ ad discipulos inquit, Contrectate me, vt ostendat, solam humanã naturam tangi posse, diuinam verò tangi non posse. Et qui dixit, Vado, localem migrationem significans, idem omnia comprehendit: sicut inquit Apostolus, Per illum omnia condita sunt, & per illum omnia consistunt. Nihil ergo omnium rerum extra se habet, qui tamen mouetur, & locum mutat. *Hæc ille. Cùm autem in statu humiliationis per carnis circumscriptionem personæ vinculum dissolutum non fuerit, quî fit, quòd maius periculum eidem personæ imminere fingit, postquam iam ad dexteram Patris euectam, & omni periculo exemtam esse constat?*

Nysseno apud Theodor dial. 2.

Adde August in epist. ad Dardanum.

Ioan. 4.

Luc. 24.

Coloss. 1.

211. *Quàm verò insulsum sit, quòd ex imperio Christi inuisibili, naturæ assumtæ Vbiquitatem colligit, etiam nemine admonente, intelligit lector. Quid enim hoc paralogismo ineptius? Imperium Christi visibile non est: quia scriptum est: Nondum videmus ei subiecta omnia. Ergo non est negandum, carnem Christi esse vbique, seu humanam in Christo naturam, vbique præsentem, seu coexistentem, cum Patre, & Spiritu sancto æquali potentia regnare. Num igitur eadem carni assumtæ qualitates attribuemus, quas Christi habet imperium? Etsi enim omnia subiecta sunt Christo, etiam secundum humanã naturam: tamen hoc ei subiectum non est, vt in vna, eademq; Verbi incarnati hypostasi, vel Deus, vel homo esse desinat, hoc est, vt se ipsum abneget. Quid autem est carnem Christi delere, quàm corporis humani proprietatibus exutam, & spoliatam, cum ipsius regni proprietatibus comparare & coæquare.*

212. *Quòd autem, postquam vniuersam hactenus de maiestate Filij Dei do-*

Mataeologia Iacobi Andreæ, qua de mysteriis, quid non sint, non autem quid sint, docet.

ctrinam labefactauit, & præcipuos consolationum neruos sustulit, ad suam illud, quid non sit, quàm quid sit, rectius exponi posse, recurrit Disputatur: quid nisi vnà cum conscientiæ cauterio Lucianicam vel Sathanicam potius risionem prodit? Si enim, quid sit, propter quod tantas hodie Ecclesiæ turbas dat, definire nescit, cur id ipsum carnalis Vbiquitatis somnio definit? cur de eo, quod ignorat, tanto supercilio, tam inscienter & impudenter pronuntiare nō erubescit? Siquidem maiestas carnis assumtæ in hac vita plane, nec intellectu, nec sensibus capitur, & ex eorum genere est, vt esse credimus, quæ nec auris audiuit, nec oculus vidit, nec cor hominis comprehendit: cur non in alteram vitam reiicit, quæ explicari posse negat? cur propter id, quod quid sit, nondum didicit, carnis assumtæ naturam delet: historiam Symboli labefactat: salutis ancoram præcidit? An verò maiestatis modum non exprimit, qui eandem realis omnipotentiæ, omniscientiæ, & Vbiquitatis κοινωνίαν metitur? An non ad primum illum præsentiæ Dei gradum, id est, ad generalis præsentiæ, quæ solius Dei est, modum propriè pertinet, quando natura humana cum assumente Verbo realiter cælum & terram replere fingitur? Affirmas ergo, quod affirmari posse negas: exponis, quod exponi posse negas: quodq;, vt vno verbo dicam, nec intelligis, nec ratione vlla sic se habere, vt blateras, demonstrare vnquam pateris, mira tamen audacia inter articulos fidei recipiēdum disputas: & vt obtineas, quod tanta rabie agendum suscepisti, Ecclesiam Christi vastas, scholas dissipas, Academias Professoribus, discentes præceptoribus orbas, deridendam hostibus Germaniam propinas, martyrum rogos inflammas, carceris & exilij terrore, hoc est, Caini claua contradicentes refutas, Philippum flagellas, Lutheri verenda contrectas, diris animam deuoues, magistratum cæcitate, populum securitate inficis, cælum deniq; inferno, terram cælo misces.

Fructus Iacob Andreæ mataeologiæ.

213. Quapropter nec sensibus, nec ratione, nec verbo Dei expresso, nec Orthodoxæ antiquitatis authoritate, carnis Christi Vbiquitas, sed inanis tantùm opinionis somnio, & crassissimæ nugacitatis vanitate nititur: quam non modò naturæ semel à Verbo assumtæ, & nunquam deserendæ veritas, verùm etiam aperta Scripturæ & vetustatis testimonia de Christi secundum carnem à nobis absentia & peregrinatione, refutant. Quæ & ipsa dulcissimo illi Symboli Apostolici articulo ex diametro repugnat, vbi confitemur, quòd Iesus crucifixus, postquam mortis vinculis carnem suam eripuit, viuamq; è sepulchro reduxit, & in cælestē illud Patris regnum, vbi electorum politeuma est, extra hunc mundum euectam transtulit, iam sedeat, hoc est, regnet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, nec inde cum carne ante nouissimum diem, quo iudicabit

Philipp. 3.

vivos

viuos & mortuos, in hunc mundum reuersurus sit. Ne ergo fucacis Fabri nouæ fidei clamoribus decipiamur, operæpretium est, nos assiduè in conspectu habere grauissimam illam Tertulliani concionem: Tam Scriptura DEVM annuntiat Christum, quàm etiam hominem ipsum annuntiat Deum. Tam hominẽ descripsit Iesum Christũ, quàm etiá Deum quoque descripsit Christum Dominum. Quoniam nec Dei tantùm illum Filium esse proponit, sed & hominis: nec hominis tantùm dicit, sed & Dei referre consueuit, vt dum ex VTROQVE est, VTRVNQVE sit, ne si alterum tantùm sit, alterum esse non possit. *Et paulò pòst*: Ex quo, quoniam vtrunque in Christo legitur, vtrunque credatur, vt fides ita demum vera sit, si & perfecta fuerit. Nam si ex duobus altero in fide cessante, vnum, & quidem id, quod est minus, ad credendum fuerit assumtum, perturbata regula veritatis, temeritas ista non salutem contulerit, sed in vicem salutis, de iactura fidei, periculum mortis grande conflauerit. Cur ergo dubitemus dicere, quod Scriptura non dubitat exprimere? Cur hæsitabit fidei veritas, in quo Scripturæ nunquam hæsitauit authoritas? *Hæc ille.* *Est autem hæc admirabilis nostri Disputatoris mateologia, quòd is à sessione Christi ad dexteram Patris, præsentiam hîc eius in terris secundum humanitatem asserere, & nobis persuadere conatur, cùm omnis Orthodoxa antiquitas corporalem ipsius hinc à nobis absentiam, tanquam à firmo & immoto Christianæ fidei articulo probet.*

Tertull. li. de Trinit.

Vide testimonia Patrum in Orthod. cons. in Prolego. & in fundament. doct. Luth. fol. 122.

214. *Etsi igitur dextera Dei, ad quam Mediatorem nostrũ verè in & cum carne exaltatum esse credimus ac confitemur, non significat corporeum, aut definitum aliquid, sed omnipotentem gloriam, & nullam sede circumscriptam maiestatem, adeoq; ipsam Dei omnipotentiam, quæ neque locus est, neque in loco, sed cælum & terram implet: Ierem. 23. tamen cùm exaltatio illa Christi ad dexteram Dei facta sit, seruata nihilominus humanæ naturæ, eiusdémque proprietatum naturali veritate, ac proinde Scriptura non simpliciter dicat, eum ad dextram Maiestatis sedere, sed addat, in cælestibus: idcircò rectè illius regni, cui subsunt omnia, sedem, carnis Christi respectu, quæ infinita non est, in cælis, non in terris, nec alibi vsquam collocari dicimus. Illud enim, Sedere ad dexteram, qualitatem, seu conditionem & statum: hoc verò, in cælestibus, situm declarat.*

De dextera Dei, & sessione ad dexteram.

Dextera Dei sedes est in cælis.

Dextera Dei, aliter absolutè, aliter relatiuè definitur.

215. *Quanquam ergo verum sit, quòd dextera Dei, quatenus maiestate & potentia definitur, sit vbique, absolutè loquendo: tamen quando respectus ha-*

betur ad seßionem Christi, qua gloriosa sua in cælum ascensione collocatus est ad dexteram Patris, dextera Dei tantùm est in cælo. Non enim alibi ad dexteram Dei in æterna gloria & beatitudine, summa cum Patre potentia, sedet, in carne nostra Christus, quàm quò per ascensionem assumtus abiit, & recessit, & vnde sic reuersurus expectatur, hoc est, sursum, & in cælo. Sicut hos Scriptura longè aliter, quàm Vbiquistica illa recens nata mataeologia docet.

Marci 16. Assumtus est, *ait*, in cælum, consedit à dextris Dei. *Item:* Qui ad
1. Pet. 3. dexteram Dei profectus est in cælum. *Item:* Christus est sursum,
Colos. 3. in dextera Dei sedens. *Item:* Quem excitauit à mortuis, & collo-
Ephes. 2. cauit ad dexteram suam in cælum. *Item:* Christus ingressus est,
Hebr. 9. non in manu facta sancta, sed in ipsum cælum, vt appareat in cõ-
Act. 7. spectu Dei pro nobis. Et Stephanus, intentis in cælum oculis, vi-
det gloriam Dei, & Iesum stantem à dextris Dei. *Sicut eodem modo, quamuis Deus sit vbique, per diuinitatis essentiam, non est tamen vbique, sed in cælo, per habitationis suæ gratiam, tanquam in æterna beatitudinis sua domicilio, seu templo, & tabernaculo, beatorum hominum, & Angelorum respectu, à quibus ibi voluntas ipsius perfecta obedientia agnoscitur, & impletur.*

Hebr. 8.

Ad Dardanum. Itaque propter hanc cælestem habitationem eius non oramus, vt ait Augustinus, Pater noster, qui es vbique, licet id verum sit: sed, Pater noster, qui es in cælis: quia scriptum est: Cælum mihi sedes. *Item:* Dominus in cælo pa-
Isai 66. *Psalm. 102.* rauit sedem suam. *Ab hoc igitur dexteræ Dei, ad seßionem humanitatis Christi in cælo respectu, non valet Argumentum,*

Dextera Dei est vbique. Ergo humanitas Christi vbique, & in omnibus creaturis est, & sedet ad dexteram Patris.

Nihil enim absurdius est, quàm ex dexteræ Dei immensitate carnis assumtæ vbiquitatem inferre: cum pari consequentia ex dextræ Dei æternitate, ἀυτουσίᾳ, naturæ assumtæ necessariò derogaretur, quòd in tempore cœperit, & sit res à Deo creata.

1 Cor. 15. 216. *Cumq; Sedere in hoc Symboli articulo, teste Apostolo, propriè non quidem cum assumentis Verbi Deitate infinitam quandam naturæ assumtæ coëxistentiam, seu omnipræsentiam significet, sed potiùs regnantis Christi gloriosam & omnipotentem gubernationem declaret: tetra est articulorum fidei confusio, quando seßionem, hoc est, ipsam regni administrationem, quæ nullis mundi limitibus concluditur, cum assumtæ carnis situ, qui in cælis est, comparat Disputator: cuius argumentum recitare, est refutare. Vide enim, quàm sint scopæ dissoluta.*

Dextra

Dextra Dei, neque locus, neque in loco est, sed cælum & terram implet. Ierem. 23.

Humanitas Christi collocata est ad dexteram Dei.

Ergo humanitas Christi, neque locus, neque in loco est, sed cælum & terram implet.

Argumentum Iacob. Andreanum.

Vide Christian. Hessiandrum, contra omnipræsentiam Christi. cap. vlt.

Non enim distinguit præstigiator inter dextrã Dei, & id quod est ad dextram Dei: atque eo ipso, quòd dextram Dei nusquam (locorum scilicet) monstrari posse asserit, VBI, seu in quo loco humanitas eius pariter non sedeat, hoc est, regnet & gubernet: suum ipsius somnium, quod extruere conatur, per imprudentiam destruit, cùm naturam Christi assumtam ratione ἐν τῷ, id est, vbitatis (vt sic loquar) consideret, quam tamen, vt vbique collocet, in loco esse negat. Longè verò aliter Vigilius Martyr, de nostra natura ad dextram Dei sedente, quàm quòd propterea incircumscripta, & omnipræsens sit facta, docet. Quia nostræ naturæ, *inquit*, homo factus, nostræ naturæ corpus incoluit, dictus est habitasse in nobis. Et hinc iam in cælo esse, & ad dexteram Patris sedere, nos Apostolus docet in ipso, qui nostrę naturæ verum corpus assumsit. Ait enim: Et simul suscitauit, & simul sedere fecit in cælestibus, in Christo. Magna hæc certè consolatio est, quòd sicut Christus, in illa sua glorioſa ad dextram sessione, nobiscum eiusdem naturæ veri corporis communionem habet, ita quoque fideles ipsius in societatem eiusdem gloriæ, quamuis longè inferiori gradu & ordine, assumti & collocati sint in primitiis, quam vberrimam consolationem prorsus euertit Vbiquitaria illa mataeologia.

Lib. 4. Corpus & homo nostra natura non est vbique.

Ephes. 2.

Idem Augustin. & Leo.

Vide Orth. consensum in Prolego.

217. Nec verò si carnis situm consideres, minùs in cælis Christus est, quàm alij sancti, qui tamen maiestatem illius minimè assequuntur. Ascendit enim Christus in eandem beatorum regionem, quam nobis ab initio præparauit: sed ascendit, vt regnaret, non vt sua tantùm felicitate, sicut reliqui sancti, contentus sibi viueret. Etsi igitur carnem suam reuera in cælos euexit: tamen non ita cælis suam vim inclusit, vt non vbiq; præstò sit, & omnia cùm in cælo, tum in terra gubernet. Ad id verò, vt non opus habet carnis assumtæ infinita coexistentia: ita nec separari propterea, aut carnem maiestate sessionis ad dexterã Dei spoliari sequitur: etsi qui Spiritu infinitus est, circumscriptus manet carne, quam infra cælos non reliquisse Christum, vel inde manifestum est, quòd non tantùm ad cælos, aut in cælum, verùm etiam supra omnes cælos ascendisse dicitur, nedum vt infra cælos carne omnia repleat.

De ascensione in cælum. Cyrill. Quãdo ad cælũ ascendit Christus, nos coram Patre constituit. Vide Orthod. consensum in Prolego.

218. Et quem admitteremus testem Diuo Paulo locupletiorem, magisve

Vide elegã-tem huius loci interpretationẽ apud Cyril. lib. 11 cap. 18 in Ioan.

idoneum? Sed cui nihil minùs in mentem venerit, quàm vt carnem Christi cælum & terram adimplere fingeret. De persona enim Christi, non de carne assumta loqui Apostolum, totus contextus euincit. Et ratio fidei ostendit, non descendisse cælitus assumtam Verbi humanitatem, sed qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit, atq; homo factus est, idem ille est, qui in eadem carne sua, quam admirabili illo descensu semel assumtam, nunquam vel deserit, vel in Spiritum conuertit, super omnes cælos ascendit, nouit infra cælos infinita nescio qua carnis suæ omnipræsentia, spatia locorum diuinissima impleret, sed vt esset caput Ecclesiæ, omnia in omnibus adimplens. Quemadmodum enim caput reliquis membris omnibus præbet sensum & motum, ita etiam Christus corpori suo mystico vitam ac salutem æternam confert.

219. Quod sanè de humanitate Christi, secundum sese intellecta, minimè dici potest, cùm nec de cælis ea descenderit, sed in vtero Virginis sit assumta, & postquam in cælos iam euecta est, ante nouissimum diem in hunc mundum, ex quo semel exiuit, non reuertatur.

220. Sed quemadmodum respectu incarnationis, seu manifestationis incarne, rectè Filius Dei priùs in inferiores partes terræ è cælis, quos nunquam deseruit, descendisse dicitur: ita respectu eiusdem carnis, ex hoc visibili mundo in regnum Patris supra omnes cælos euecta, eidem in cælum ascensus rectè adscribitur, licet sine descensu etiam nunc vt Deus in terris semper præsto sit, sicuti iam tum in cælis semper erat, cùm adhuc in terris secundum carnem ambularet.

Patres malè & insci-tè à Iacobo Andreæ allegati.

221. Nec aliam vnquam vel ex Oecumenio, vel Theophylacto, vel Leone, vel vniuersa denique antiquitate Orthodoxa, nedum ex sacra Scriptura sententiam extorquebit Disputator: tantum abest, vt suum illud figmentum ex testimoniis hìc adductis probauerit. Quid enim Oecumenius aliud docet, quàm quòd Verbum incarnatum, sine carnis separatione, non minùs iam, quàm antequam incarnaretur, adimpleat omnia? Qui enim in nuda cùm adhuc esset diuinitate, ab æterno impleuit omnia, idem iam incarnatus μετὰ σαρκὸς, in, & cum carne, sine separatione, adimplet omnia. Id quod Theophylacti testimonium non tantùm confirmat, verùm etiã illustrat: Vt omnia impleat, inquit, dominatione, operationéque, idque in carne: Quandoquidem diuinitate iam antea cuncta compleret. Confert enim Verbum iam incarnatum, cum Verbo nondum incarnato. ὁ γὰρ νῦν ἄνθρωπος (inquit Nazianzenus) καὶ ἀσώματος τῷ. Qui enim iam simul Deus est, & homo, aliquando tantùm erat Deus, non homo. Nec dicit, Christum carne, sed dominatione, operationeq;

rationéq; implere omnia. Quod autem addit, In carne, id ipsum naturarum separationi, seu diuulsioni opponit. Scribit enim hæc, vt disertè testatur, aduersus Paulum Samosatenum, & Nestorium. Nequaquam igitur Eutychianis patrocinari voluit, quibus phrases illæ de Christo, μετὰ σαρκὸς, id est, cum carne, quæ Oecumenius vtitur: & ἐν σαρκὶ, hoc est, in carne, quæ Theophylacti est, idem significant, atque τῇ σαρκὶ, καὶ διὰ σαρκὸς, id est, ipsa carne, & per carnem, seu non minùs humanitate, quam Deitate, hoc est, secundum vtramque naturam replere cælum & terram. Quæ portentosa naturarum confusio, nulli vnquam Orthodoxo scriptori Ecclesiastico, quin eandem seriò exploderet, in mentem venit. Vt mirum sit, quid somnij Disputator apud se ipsum conceperit, quando ad suam stabiliendam phantasiam, Leonis illam planè imaginationibus Vbiquisticis repugnantẽ sententiam, adducere non est veritus: Hoc Catholica fides tradit, hoc exigit, vt in redemtore nostro duas nouerimus naturas conuenisse, & MANENTIBVS proprietatibus suis tantam factam vnitatem vtriusque substantiæ, vt ab illo tempore, quo in beatæ Virginis vtero Verbum caro factum est, nec Deum illum SINE HOC, quod est homo, nec hominem SINE HOC, quod Deus est, cogitare liceat. Quibus verbis expressè vtriusque naturæ etiam in vnione proprietates manere affirmat, contra Eutychianos, & Vbiquitarios. Per phrasin autem, SINE HOC, &c. excludit Nestorianã personæ diuulsionem, carnisq; assumtæ omnipræsentiam euertit potiùs, quàm asserit. Hac enim concessa, neque de carne Christi, vt carne, neque de eiusdem Deitate, vt Deitate, suscipi amplius cogitatio posset: tantum abest, vt alterum cum altero consideraretur.

Leo serm. 2. de Paschate. Theodoret. Sublatis proprietatibus, nec de Deo, vt Deo, nec de homine, vt homine, cogitare & loqui possumus.

222. Cùm igitur non tantùm ad cælos, & in cælum, sed etiam supra omnes cælos ascendisse dicatur Christus propter humanitatem, vt omnia impleret: quis non videt, vtrunque ab Apostolo errorem refelli, & eorum, qui ex sessione Christi ad dextram Dei in cælestibus perperam ratiocinantur, quia naturam Christi assumtam, non nisi in cælo esse sentiamus, propterea Christum ipsum cælo quasi inclusum contineri: aut inter sphæras cælestes, tanquam stellas numeret, residere: & eorum, qui ex eo, quod dextera Dei cælum, & terram impleat, regnumq; Christi, & virtus vbiq; diffundatur, Christũ ita supra omnes cælos euectum esse colligunt, vt ipsius humanitas à nobis locorum interuallo non distet, sed pariter cum Deitate cælum & terram impleat, & vbique locorum coexistat ἀπερίγραπτως. Nec enim animaduertunt, per phrasin Apostoli, Supra cælos, & In cælis, excludi, quicquid est circumferentiæ sub Sole, dum-

Error Iac. Andreæ à Paulo refellitur, non stabilitur. Verba, Supra cælos, omne quod est infra cælos, excludunt.

& ſtellis, adeoq; ſub tota viſibilis mundi machina. Sicut iam etiam antè demonſtrauimus, neq; Paulum, neq; ipſius interpretes Oecumenium, & Theophilactum hoc velle, quòd Chriſtus ſua humanitate cælum ac terram impleat. Cum carne enim omnia implere, non eſt vbique carnem præſentem, & coexiſtentem ſiſtere, ſed cum illa vnitum, totam Eccleſiam regere atque gubernare.

Quid ſit Chriſtum implere omnia.

223. Etſi autem non omnino ſufficiens, aut propria videtur, tamen nec abſurda, nec violenta, nec à Sacramentariis, quos ſic vocat calumniator, recens efficta eſt phraſeos Paulinæ interpretatio (vt impleret omnia, ſcilicet ſacræ Scripturæ vaticinia) ſed iam olim à Lyrano minimè delirante, nec prorſus abiiciendo ſcriptore, vſurpata, nec non ab ipſo Luthero grauiſſimo iudicio repetita, declarata & confirmata eſt. Sic enim ille: Vt impleret omnia, ſcilicet, quæ de eo per Prophetas erant ſcripta: qui non ſolùm prophetarunt de eius incarnatione, morte, reſurrectione, ſed etiam de eius aſcenſione. *Lutherus autem Chriſtum ideo in calos aſcendiſſe, & ad dextram Dei conſedisſe ſcribit, vt ſecundum Pauli teſtimonium, omnia impleret, hoc eſt, omnia nobis impertiret, & donaret ad ſalutem & vitam eternam neceſſaria. In ſcholio denique Biblico,* Vt omnia impleret, *inquit*, id eſt, vt omnia in omnibus rebus operetur, & ſine ipſo nihil agatur, dicatur, aut cogitetur. *Vtramuis Lutheri interpretationem eligas, carnis Chriſti omnipræſentiam, nunquam bona conſequentia extorqueris.*

Lutherus.

Impoſtilla Oeconomici. de f. ſto aſcenſionn.

224. *Et vt maximè locorum comparationem ab Apoſtolo inſtitui, quæ nemo inficias ibit, contendas, oportebit tamen vaticinia Prophetarum illam ipſam τῶν πάντων ἀναπλήρωσιν analogon eſſe, nec ſimpliciter ad carnem reſtringenda erunt, quæ de perſona dicuntur: nec vice verſa, quæ propriè de incremento Eccleſiæ, & regni Chriſti, per miniſterium Euangelij propagatum dicuntur, ad vniuerſalem præſentiam & actiones Dei generales extendi ſuerint. Sed ex integro potiùs contextu, non mutilato, ſumenda erit explicatio, in quo tam antecedentia, quàm conſequentia continuæ orationis nexu ſe mutuò reſpiciunt, & quaſi ἐξηρτημένως inter ſe cohærent, vt ſequitur:* Vnus Deus & Pater omnium, qui eſt ſuper omnia, & per omnia, & in omnibus vobis. Sed vnicuique noſtrum data eſt gratia, pro menſura doni Chriſti. *Quapropter dicit:* Cùm aſcendiſſet in ſublime, captiuam duxit captiuitatem, & dedit dona hominibus. Ceterum illud aſcendit, quid eſt, niſi quòd etiam deſcenderat priùs in infimas partes terræ? Qui deſcendit, ipſe eſt, qui etiã aſcendit longè ſupra omnes cælos, vt impleret omnia. Dedit igitur ipſe alios quidem Apoſto-

Ephes. 4.

Verbũ ſine carne deſcẽdit, ſed incarnatum rurſus aſcẽdit. Cyprian.

los,

los, alios verò Prophetas, alios autem Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores. Ad coagmentationem sanctorum, ad opus ministerij, ad ædificationem inquam, corporis Ch[illegible]. *Hactenus Apostoli verba. Constat itaq; ex loci circumstantia, nequaquam institui sermonem de illa vniuersali totius mundi gubernatione, quæ ad primum gradū præsentia Dei spectat, qua rectè dicitur, impleri à Deo cælum & terram: sed potiùs de præsentia sanctificationis, hoc est, collectionis Ecclesiæ in his terris per ministerium Euangelij. Loquitur enim de mutua fidelium in vno Patre coniunctione: quæ sanè nihil commune habet cum brutis animalibus, & rebus inanimatis, hoc est, cum præsentia Dei vniuersali: qua etiam ratione nomen Patris apposuit, quod nonnisi Christi membris competit. Restringenda igitur sunt ad scopum Apostoli, quæ de imperio & præsentia Dei commemorat. Significat enim vnum quidem Ecclesiam esse corpus, ac proinde summam omnium membrorum consensionem esse oportere, sed diuersas esse membrorum functiones, & distinctas Spiritus sancti gratias, seu dona, quæ Pater nobis in Christo confert, qui ideo peractæ redemtionis nostræ instituto, in cælos ascendit, vt omnia Ecclesiæ membra donis Spiritus sancti impleret, & beneficiis suis cumularet, atque ita in idē nos, quasi ædificium, seu corpus, cuius ipse basis, & caput sit, coagmentaret. Hanc genuinam esse Apostoli sententiam & explicationem, ex adducto Dauidis testimonio liquet. Quemadmodum enim illud,* Psal 68. *Ascendit in altum, applicatur Christi ascensioni: ita illud: Dedit dona hominibus, respondet isti particulæ, Vt impleret omnia: vt planè videatur etiam alludere Paulus ad sequētem versiculum illius Psalmi, vbi dicitur Dominus suos onerare: metaphora à solennibus epulis sumta, cùm Principes post partam victoriam toti populo liberalitatem suam testabantur, solennibus præsertim sacrificiis, quibus erant coniuncta conuiuia, vt passim ex sacris etiam historiis licet intelligere. Itaq; verbum implere, hoc in loco, propriè loquendo, non accipitur pro perficere, nisi ex consequenti, quatenus Christi donis perficimur. Neque etiam propriè pertinet ad hunc locum quæstio, quomodo Christus sit vbique, sed potiùs quomodo nos donis suis cumulet, nempe per Spiritum suum, vt testatur Iohannes 14 & 15. Sed prorsus reiiciendi sunt ij, qui conantur ex hoc loco corpus humanum ἀπερίγραπτον, id est, corpus non corpus, Christo tribuere, ac spem nostram à fundamentis conuellere. Nam non modò nisi fuerit, sed etiam nisi sit Christus verus ac naturalis homo, frustrà speramus, quod speramus, & Spiritus sancti virtutem ignorat, qui nos Christi corporis participes fieri non posse putat, nisi vbiq; statuatur, vt naturalibus corporis quali-*

Vt omnia impleret, hoc est, quæ ad salutis nostræ œconomiā & regnū, atq; sacerdotii ipsius pertinere videbantur, quod ante ascensionē, & missionē Spiritus S. factum nō fuit.

tatibus spolietur. Quòd autem de sola loquens Ecclesia, nihilominus vniuersalem particulam vsurpauit Apostolus [vt impleret omnia] nemo dubitauerit singulari Spiritus sancti instinctu fecisse, non modò vt vniuersi subiicerentur Christo, sine exceptione, sed etiam vt Iudæorum, & gentium discrimen sublatum esse ostenderet. Ascendit igitur Christus, vt omnia impleret, nempe Spiritus sui virtute, non carnis omnipræsentia. Quorsum enim alioqui locorum distinctione, hoc est, mentione descensus & ascensus, Apostolus opus habuisset, si caro Christi esset vbique? sed an non prius, inquis, vt Deus, implebat omnia? Certè, suæ diuinitatis essentia, fatemur. Verùm Spiritus sui virtutem non ita exerebat, nec in ea suam præsentiam exhibebat, sicut edita regni sui possessione. Nondum enim Spiritus datus erat, quia Iesus nondum erat glorificatus. Denique si tunc cœpit sedere ad dexteram Patris, vt historia Symboli testatur, cœpit & tunc propriè implere omnia.

Ioan. 7.
Ephes. 1.

225. Quòd autem impletionem illam vniuersi, quam naturæ Christi humanæ impiè affingunt Vbiquitarij, mysteriorum Dei profanatores omnium, quos vnquam Sol vidit, crassissimi, diffusione carnis definiri negant: quid aliud est, quàm propriæ conscientiæ ἐκδεατρίζειν αὐτοκατάκριτοι? Aut enim Christi corpus organicum esse, & membra nobis adhuc ἰσάριθμα, vt Theodoretus loquitur, retinere fateantur oportet: atq; ita citra molis corporeæ vel diffusionem, vel extensionem vbique statui non poterit: aut si quidem per maiestatem illam fictitiam sine membrorum diffusione, seu extensione, corpus Christi vbique esse contendunt, non possunt non corporis organici annihilationem statuere, atque ita Christo phantasma loco corporis assumti affingent. Sic enim Augustinus contra Faustum Manicheum, qui Christum in Sole & Luna, in arboribus & herbis esse dicebat, hoc dilemmate vtitur: Aut totum simul, quod est in arboribus, & herbis, & in Iudæorum persecutione, in Sole & Luna, vnus est Christus, quasi per hæc ita distentus: aut secundum corporalem præsentiam, totus simul in Sole & Luna, in cruce, & in terræ fructibus esse non potest: sed alius est in herba iacens, alius, quem Iudæi crucifixerunt, & tertius ille per Solem & Lunam distentus: hoc est, quasi diceret: Si corpus Christi est vbique simul pluribus in locis, aut hoc necessariò est, vt vnum per modum extensionis per omnia loca, & omnes creaturas: quodlibet enim corpus à propria sua quantitate vnum est, & non plura. Aut si totum vbique totum esse dicatur, plura per hoc necessariò corpora, pluresve Christi introducuntur. Cùm enim corpus Christi non sit simpl[illegible] sed compositæ naturæ, non potest totum vbiq[illegible]

Vbiquitarij mysteriorum Dei profanatores crassissimi.

lib. 20 cap. 11 & 12. Augustini argumentum contra Vbiquitarios.

& vnum esse, quod vni soli diuinitati ἀκοινωνήτως proprium est: Hoc est Deum esse, ait Augustinus, quod vbique totum esse. Omne autem corpus, eo ipso quia corpus est, & quandiu verum corpus est, tali necessitate, cui ne Deus quidem repugnat, quantum est, & partes habet extra partes, quas cùm immutabiliter necesse sit à se inuicem spatio distinctas, ac per hoc totum, cuius sunt partes, finitum esse, prorsus est omni modo (quin veritas rerum mutetur) impossibile, vbiq; esse posse.

Quod vbiq; est, tale est per modum infinitis.

226. Cumq; fieri non possit, vt Deus vel non sit verax, vel se ipsum abneget: & rectè Augustinus, non temeratiam Dei potentiam, sed sapientia virtute omnipotentem esse doceat: & proprietates in Deo se mutuò non destruant: sine atroci blasphemia, blasphemiæ argui nequit, quisquis nulla vi præstare Deum posse dixerit, quod nunquam voluisse, aut velle potuisse, constet. Quæ enim per potentiam Deus potest, per iustitiam & veritatem suam non potest. Et iam olim, quisquis fuerit, non sanè absurdè, nec impiè cecinit vates:

Hebr. 6. Tit. 1. 2 Tim. 2. August lib. 9 de genesi ad Trasim. cap 7 Vide Cyril. lib 6 de Trinitate.

Si quid posse negem Dominum, non velle putabis:
Mentiri nescit, qui regit astra Deus.

Item: Fide Deo soli: si quid nescire putatur,
Fidentem nescit deseruisse Deus.

Vt enim sapientia & præuisio Dei, non destruunt regulam iustitiæ & misericordiæ in Deo: ita nec omnipotentia eius destruit regulam veritatis, qua quodlibet est, aut non est. Et cùm res id, quod esse dicitur, reuera est, fieri nulla ratione potest, vt idem, quod est, actu simul, & sit, & non sit. Sequeretur enim implicatio contradictionis, quæ non tantùm toti rerum vniuersitati, sed ipsi etiam rerum omnium opifici est intolerabilis. Consideret autem Lector, maioris euidentiæ causa, illud saltem Augustini contra Faustum: Quisquis ita dicit: Si Deus omnipotens est, faciat, vt quæ facta sunt, facta non fuerint: non videt, hoc se dicere: Si DEVS omnipotés est, faciat, vt ea, quæ vera sunt, eo ipso, quòd vera sunt, falsa sint. *Hæc ille.*

227. *Siquidem ergo veritatis euidentia conuictus Disputator, vltrò iam fatetur, naturam Christi humanam, neque per se, vt loquitur, personaliter, cum se ipsa persona non sit: neque naturaliter, hoc est, proprietate naturæ suæ, qua circumscripta & finita est, omnia implere: cur itaq; tumultuari non desinit, & statuendum tandem sentit, quod res est? vnum videlicet eundemq; Christum, Deum & hominem, esse vbiq; respectu Deitatis, & non esse vbiq; respectu assumtæ humanitatis., Neq; propterea diuelli personæ vnitatem, cùm neque τὸ ϖῦ, neq; τὸ ϖανταχοῦ constituant vnionem in Christo hypostaticam:*

Sic Cyrill. Augustin. Fulgentius, & Vigilius Martyr.

sed potiùs id quod infinitum est, & propterea vbique, seu nullo locorum spatio circumscriptum: atque id, quod finitum est, & dimensionibus quantitatis metiri nequit, in vnam Verbi hypostasin, salua vtriusque essentiali proprietate, concurrant. Sic enim & non aliter, quàm in hac finiti & circumscripti corporis proprietate, humana natura in vnitatem personæ à λόγῳ est assumta, adeo vt (quod sæpe dictum est) proprietates hæ in vnione de ipso Dei Filio decantur, quas tamen perpetuò ab ipsa vnione, non sine pessimo errore, separari, & extra vnionem ponere conatur præstigiator & Sophista. Concedo igitur, nusquam iam esse λόγον, vbi non sit homo, id est, λόγῳ incarnatus, cum vnio semel facta planè sit indissolubilis: & idem sit λόγῳ, qui est homo, propter hypostasis identitatem, sed nego inde sequi, naturæ assumtæ cum Deitate Verbi assumentis vbique locorum coexistentiam, quæ est confusio naturarum. Nego etiam propterea solui vnionem, quòd natura humana non est, vbicunq; est λόγῳ. Nam vbicunq; est λόγῳ (est autem vbiq;) nusquam quidē ab assumta natura, quam in vnitate hypostasis suæ sustentat, separatus est: sed inde non sequitur, ipsam naturam assumtam esse vbique, quia hoc competit tantùm naturæ infinitæ, quæ est vnica & simplicissima. Sophisticum igitur est, vel ab vnitate, vel ab immensitate personæ inferre ad Vbiquitatem naturæ assumtæ. A disparatis enim nihil veri sequitur.

Sic loquitur Synodus Chalcedonensis. Damasc. li. 3. cap 7.

228. Ex quibus omnibus manifestum est, Patres Bergenses toto cœlo errare, qui à proprio humani corporis, seu ab humana nostra natura, ad corpus Christi, quod nobis ὁμούσιον est, argumentari simpliciter prohibent, & imputant, nouam corporis Christi ponendam definitionem, quæ corpori Christi peculiariter applicetur. Quid enim hoc aliud est, quàm tribuere Christo corpus differens à nobis tota definitione, hoc est, nec genere, nec specie nobis coniunctum, sed planè ἑτεροούσιος, ἑτεροειδὴς, καὶ ἑτερούσιον, quale non tantùm veteres panis consecrati transsubstantiatores, & nouos substantiatores peccati, quos Manichæis cōparant, verùm etiã ipsos consubstantiatores, & blasphemos Vbiquitarios, Christo iam tribuere manifestum est. Sed hæ opiniones, præterquàm quòd à veritate & reipsa distant, simul etiam absurdissima sunt. Quicquid enim in Christo nobis nō est ὁμούσιον, id in nobis proculdubio damnatum est. Si iam corpori Christi, nostrorum corporum definitio non congruit, sed noua prorsus definitio constituēda est, quæ corpori Christi peculiariter applicetur, quid aliud sequitur, quàm nostra corpora, qualia, & quanta iam sunt, forè olim damnata? τὸ γὰρ ἀπρόσληπτον, ἀθεράπευτον, inquit Nazianzenus: Id est, quod non assumsit, nō sanauit. Si enim aliud assumsit corpus,

Horrendus & execrandus Patrũ Bergensiũ error de corpore Christi.

Nota hanc regulã Patrum cõtra Apollinaristas.

corpus, *inquit Amphilochius Iconij Episcopus*, quid ea res ad meum corpus, salute indigens, pertinet? Si verò non est idem corpus Christi cum nostro per omnia, excepto peccato, quomodo est frater noster? *Est igitur Diabolicus hic in Disputatore sarcasmus notandus, quòd blasphemè & impiè contendit, nouam corporis Christi ponendam definitionem, quæ corpori Christi peculiariter applicetur. Contra quod omnes Ecclesiastici scriptores, Christum nostri generis, & nostræ naturæ corpus, quale in nobis est saluatum, & per quòd noster cognatus, & frater est Christus, habere contendunt*: Sicut Verbum, *inquit Leo*, ab æqualitate paternæ gloriæ non recessit: ita caro naturâ nostri generis nõ reliquit. *Item*: Caro Christi nulla ratione est extra nostri corporis veritatem. *Ambrosius*: Quid tam est eiusdem naturæ, quàm caro nostra, cum Dominici corporis veritate? *Deniq; si diuersi generis est, nec vna definitione continetur corpus Christi cum nostra, quomodo Ecclesiastici Patres veritatẽ Christi corporis ab Eucharistiæ mysterio, contra hæreticos probare potuerunt: & quomodo verum erit, quod Tertullianus ait, se à panis & calicis sacramento corporis Christi veritatem probasse, contra phantasma Marcionis? Etsi igitur alia sit corporis Christi per vnionem subsistentia, non tamen est alia, quàm nostri corporis, cui per omnia ὁμούσιον est, natura: alioquin quàm primùm diuersi generis, & peculiaris naturæ, quàm nostrũ, incipiet esse, à gratia adoptionis per hoc nos excidere, & primogenitum ex fratribus in Christo amittere oportebit, vt rectè & grauiter monet Cyrillus.*

Theodoret. dial 2.

In epist. ad Flauianũ.

li. de incar. cap. 9.

Vide theses Paris.

lib. 4. cõtra Marcion.

Tom. 3. Concil. fol. 58.

229. *Quemadmodum enim alia corporis animati, & alia inanimati, respectu dimensionum, definitio non est, licet viuens à non viuente, ratione motus & sensus, quæ sunt actiones seu effecta non corporis, sed animæ in corpore, differat: ita nec alia nostrorum corporum, & alia corporis Christi Deificati (vt interdum Patres locuti sunt) hoc est, in vnitatem personæ & λόγου assumti, definitio fingenda est. Etsi enim ratione subsistentiæ nostra corpora à Christi corpore differunt: tamen ratione essentiæ nullo modo differunt, sed eiusdem planè speciei sunt, καὶ ὁμούσια.*

Damasce. Corpus sic est deificatum, sicut Verbum est incarnatũ.

230. *Sicut igitur reuera ineptus est Disputator noster, qui ab actionibus corporis organici animati sic argumentatur, vt actiones animæ in corpore cum ipsis organis confundat, & aliam fingat corporis definitionem, in re animata, quàm in re inanimata.*

saluis vndique naturarũ proprietatibus.

231. *Eadem, non dico absurditate, sed maiore impietate, & atrociore bla-*

sphemia negat, eandem esse Christi, & nostrorum corporum definitionem, hoc est, naturam & proprietates: cùm non minùs Christi, quàm Petri & Pauli corpus non simul in diuersis locis coexistere, tam certum sit: quàm certum est, Christum nec ineptè, nec absurdè ex proprietatibus humani corporis argumentatum fuisse, vt Apostolos à suspicione spectri liberaret, cùm inquit: Palpate, & videte, quia Spiritus carnem & ossa non habet, sicut videtis me habere.

Augustin. epist. 146 ad Consentiũ.

232. *Et si enim Christus non simpliciter homo est, sicut Petrus aut Paulus, κατ' ὑπόστασιν (vt Damascenus & Patres loquuntur) sed in vnitate personæ & λόγου simul Deus & homo est: tamen vt corpus animatum, non minùs, quàm inanimatum, suis constat dimensionibus & proprietatibus: quibus corpus, quatenus corpus est, definitur, nec desinit esse ποσὸν, καὶ ἁπτὸν, καὶ ὁρατὸν (anima enim seu vita, conditionem siue statum mutat, non substantiam) ita corpus Christi, licet non in propria, sed in assumentis Verbi hypostasi subsistat, non tamen propterea circumscriptum, sicut nec verum corpus esse definit. Imo Christus est simpliciter homo per omnia nobis, excepto peccato, similis: sed non est simplex homo, quia non tantùm est homo, sed* DEVS *simul, & homo est, non in vnitate, seu identitate naturæ, sed in singularitate personæ.* Totus enim homo est, quem totus Deus assumsit: totus, inquã, totum assumsit, vt totum toti restitueret. *Puerilis autem paralogismus est, & ferula in tanto Doctore castigandus, Christus non est simplex, id est, nudus homo, sed etiam Deus: Ergo corpus ipsius gloriosum non est locale. Nulla enim inest ratio concludens, cùm à disparatis nihil firmi inferri possit. Alioquin hinc concludendum erit, Christi corpus, quatenus est locale, non esse hominis Dei corpus. Quin igitur potiùs contrarium sequi manifestum est. Propterea enim, quia etiam in gloria non desiit esse Christus, quod vel ab æterno fuit, vel in tempore factus est, non potest non idem esse circumscriptus, seu localis secundum humanitatem; & incircumscriptus, seu illocalis secundum Deitatem. Sinuges, inanem Christo in gloria δεσπότου titulum tribues, atque ita vniuersam generis nostri fiduciam, spem, salutem & gloriam euertes.*

Blasphemũ Iac. Andr. argumentum. Vide Ortho. cõsensum in prolegom.

233. *Quemadmodum igitur natura Christi assumta non est ipsa Deitas, nec ratione proprietatum æqualis sit Deo: ita nec ratione assumtionis, extra locum aut incircumscripta est. Id quod tam verum est, quàm certũ est, Disputatoris esse os impium & blasphemum, quo contrarium asserit. Iudicent enim omnes sani, quomodo sequatur:* Deus non est locus, nec in loco. Ergo corpus Christi, quatenus vnitũ est Deo, non est in loco. *Nunquid necessi*

necesse est, vnitorum eandem fieri naturam? Non enim valere alio modo posset hæc illatio, quàm nisi natura & proprietas Dei, per vnionem tribuatur etiam corpori Christi. Nunquid igitur corpus Christi Deus est? An anima, quia non est corpus, non est in corpore? An quia λόγος non est vterus Virginis, corpus Christi non erat in vtero matris ante partum? O nos miseros! si tam esset falsum, vt Epicurus iste asserit, Christum non resurrexisse à mortuis, quàm est falsissimum, corpus ipsius non esse locale. Quin potiùs Augustinum audiamus, qui ad Dardanum quæstionem hanc ita explicat: Spatia locorũ tolle corporibus, & nusquam erunt: & quia nusquam erunt, ergo nec erunt. Quantumcunque enim corpus, seu corpusculum sit, vt loci occupet spatium, eundemque sic impleat, vt in nulla eius parte sit totum, necesse est. Quia cùm corpus sit aliqua substantia, quantitas eius est in magnitudine molis ipsius, in qua distantibus partibus, quæ simul esse non possunt, sua quæque spatia locorum tenent, nec est in singulis partibus tota vel tanta. *Hæc ille, etiam de corpore Christi, quatenus in vnitate personæ assumtum est.*

August. ad Dardanũ, & ep. 3. de vera corporum definitione & ratione.

234. *Sicut ergo non eadem est ratio Verbi, & carnis assumtæ, sed duæ in Christo naturæ, quanuis hypostaticè vnitæ sint, differunt nihilominùs essentia, proprietatibus & actionibus: ita nullo vnquam vel humano, vel diuino, id est, rationi vel comprehensibili, vel incomprehensibili modo, caro Christi realiter omnibus locis præsto esse potest. Si enim vbique cum Deitate, quæ sola immensa & infinita est, coexisteret, ne esset quidem amplius caro, aut natura creata, quin & ipsa vnio hypostatica euerteretur. Nec tamen Christus propterea totus vbiq; esse desinit, etiamsi totum Christi vbiq; non est: perinde vt Christus non propterea totus perfectus Deus esse desinit, etiãsi totũ Christi non est Deus: cùm idẽ, qui totus perfectus & infinitus Deus est, sit etiam totus, perfectus & finitus homo: cuius tamen totum, vt nusquam est imperfectũ, ita nec simpliciter finitũ, nec simpliciter infinitũ, sine distinctione dici potest. Totus n. ad personã, totum ad naturas refertur. sicut aliud naturæ est, alius personæ, teste Damasceno, lib. 3. fidei Orthodoxæ. cap. 7. Tale est autẽ huius thesis argumentum, quale idem Disputator olim crassiore fallacia proposuit, sic inquiens:* Cùm igitur diuinitas in vnitatem personæ assumserit hominem, cuius ratio & definitio est plenitudinis Dei communicatio, in quo omnis Deitas corporaliter habitat: sequitur, ipsam quoque humanitatem Christi esse vbiq; præsentem. *O consequẽtiam verè asininam, & Vbiquitariorũ schola dignã, in qua quidlibet & sequitur,*

Hoc argumentũ lac. Andreæ pugnat cum salua naturarum in vnione differentia.

Sic Damascenus & Augustin. Totus Christus, & totũ Christi.

Thesis Tubing 34.

Nota bene.

& infertur ex quolibet. Quid autem responsurus esset, valde scilicet argutus ille Disputator, si quis ex hac sua thesi tale argumentum in ipsum torqueret? Tam verè & realiter præsens est humana natura omnibus creaturis, quàm verè & realiter ἀ λόγῳ in vnitatem personæ suæ assumta est. Sed non est aliter verè, & realiter in vnitatem personæ assumta, quàm sicut in omnibus humana natura proprietatibus nobiscum ὁμοούσιος est. Ergo etiam non aliter omnibus creaturis, quàm hoc modo, verè & realiter præsens adesse potest.

235. Si itaque à corpore Christi considerationem dimensionum, seu quantitatis & loci, hoc est spatij, quo finitate sua continetur, sustuleris, aut remoueris, totum mysterium incarnationis meris tenebris inuolues, Christumque corpore assumto spoliabis: cuius eadem cùm veritas sit, quæ in nobis est, vt suprà ex Orthodoxis Patribus est probatum, non potest negari vel quantitas, vel localitas, hoc est, distinctorum membrorum symmetria, quæ spatiis locorum, quibus inter se distant, sublatis, nusquam erit. Corpus autem organicum, nusquam in hac dimensione partium, & totius extans, nihil præter somnium est, teste Augustino ad Dardanum: præclaram igitur gloriam, quam corpori Christi tribuunt Vbiquitarij, quod ab omnibus dimensionibus, & distincta membrorum proportione abstractum, in merum conuertunt somnium, seu phantasma. Quibus autem Cyrillo respondebunt, qui, vt suprà adductum est, adeo corpori proprium esse affirmat, in loco & magnitudine, seu quantitate esse, vt etiam diuinum, si esset corpus, nec quantitatem & magnitudinem, nec loci circumscriptionem effugere posset. Nam sicut à corpore quantitatis dimensio, qua partes habet extra partes, auferri sine ipsius destructione non potest: ita quoq; spatium, quo quantitas hæc finitur, pari ratione non potest ab eo, donec est, & manet corpus, auferri. Neq; his, vt immotæ veritati, contrarium quicquam aut vult, aut potest, aut facit Deus. Nec refert, quæ solius corporis Christi propria sit vnio, quam cum nullo sanctorum communem habet. Hæc enim nihil cum veri corporis modo, hoc est, localitate, quantitate & circumscriptione pugnat, nec propterea desinit communem nobiscum homousiam habere corpus Christi, sed hypostasin ipsius respicit, in qua hoc modo, vt localis & circumscripta, per assumtionem subsistit, & sustentatur: propter quod, sicut hoc corpus per vnionem ad Dei Verbi proprium: ita etiam omnes corporis proprietates ipsi Verbo dispensatiua vnione (vt loquuntur Patres) competunt & tribuuntur. Et quia vnio hæc facta est, salua corporis localitate, quantitate & circumscriptione, quomodo remoueri à corpore omnis de loco, quantitate, & circumscriptione, propter hanc vnionem, cogitatio vel debet, vel potest? Vnde enim verus Deus

Cyrillus li. 2. de Trinit.

Vigilius.

& homo est Christus (*inquit Vigilius Martyr*) nisi in veritate & proprietate vtriusque naturæ. Et Theodoretus, *absque distincta proprietatum in Christo consideratione, qua visibilis, circumscriptus, & in loco, secundum carnem, inuisibilis verò, incircumscriptus, & extra omnem locum, secũdum diuinitatem esse cognoscitur: nec de Deo, vt Deo, nec de homine, vt homine, cogitare nos rectè & loqui posse docet.* Hinc Augustinus: Quoties de forma serui (hoc est, assumta natura) cogitas, humanam effigiem cogita, si est in te fides. *Tractat. 40 in Ioan.*

236. *Quis autem sana mente præditus, tam crassam contradictionis implicationem non execretur? qua vnum idemq; corpus Christi, quod sicut extra Verbi assumentis hypostasin minimè subsistit, ita in hac personali sua subsistẽtia in Verbo, simul dicitur circumscriptum & incircumscriptum, locale & illocale, finitum & infinitum. Nec enim tollitur contradictio, quòd diuerso respectu, vni eidemq; corpori Christi opposita tribui disputat, cùm nullo respectu contraria in idem subiectum cadant: nec iam quæstio sit, quo respectu dicatur corpus Christi esse vbique, cùm sit τῇ φύσει περίγραπτον: sed an reuera secundum essentiam vbiq; esse posit, cùm sola diuinitas sit essentia illocalis & incircumscriptibilis. Finitas autem & circũscriptio, secundum scholasticorũ regulam, creaturarum sit complementum & perfectio, non infirmitas.* Rectè *enim Ambrosius lib. de Spiritu sancto:* Omnis creatura, *inquit*, certis suæ naturæ limitibus est circumscripta, nec creatura dicenda est, quæ non habet circumscriptam, determinatamque substantiam & virtutem. *Quis igitur sanæ mentis homo, non videt, ridiculè pugnantiam in adiecto statui ab Vbiquitariis, concedentibus corpus Christi esse creaturã, & finitum: & tamen simul vociferantibus esse vbique? Cùm vbiq; esse, non nisi Creatori & essentiæ infinitæ competat: & creatura esse, ac dici nequeat, quod est infinitum & vbique.*

Implicatio contradictionis.

Vide Theodor. dial. 2. Vigilium Marty. & Damasc. in thesibus Hermanni Pacifici.

Augustin. Hoc est Deũ esse, quod vbiq; totum esse.

237. *Quin potiùs ergo, quod salua naturæ veritate, finitum & circumscriptum, atq; in loco esse, vel ipso Disputatore teste (quanquam aliud ore dicat, aliud re ipsa doceat) negari non potest: demonstretur, aliter, quàm secundum corporis humani proprietatem, & naturæ veritatem à Verbo in personæ suæ vnitatem assumtum esse, hoc est, sine proprietatum veritate in Verbi assumentis hypostasi subsistere.*

Ad hoc respondeant Vbiquistæ.

238. *Aut si quidem id saluo redemtionis nostræ mysterio, & perpetuo Scripturæ sacræ tenore, nec asseuerari, nec demonstrari potest, concedatur, quod res est, per vnionem hypostaticam corpus assumtum, mansisse corpus, nec factũ*

esse illocale, aut Vbiquitariũ, ne Disputatori obiiciatur, quod in vestibulo the-
sium Chalcedonensis Synodi decretum specioso tantùm prætextu allegarit,
cuius hîc, vt in tota disputatione, turpis prævaricator esse deprehenditur. Nõ
enim facta est vnio, vt alterius naturæ proprietates, in alteram reali partici-
patione transferantur, sed potiùs vt differentia proprietatum minimè sublata, duæ naturæ in vnam personam cõcurrant. Vnus enim, idemq; Deus, & homo, Christus, est vbique per id, quod Deus: in loco autem aliquo cæli, vt homo secundum veri corporis modum, *vt Augustinus demonstrat. Huc referatur decretum Synodi Nycenæ secundæ*: Christi corpus post glorificationem incircumscriptum dicere, blasphemum est. Sed quemadmodum Deus, & Verbum Dei Patris inuisibile, incomprehensibile, & in omni loco dominationis suæ existit: ita secundum naturam humanam, quam assumsit, visibilis & circumscriptus est, sicut de eo Scriptura affirmat. Si enim (*vt ex Cyrillo citat Synodus*) visibilis & tangibilis humanæ Christi naturæ forma & proprietas, in inuisibilem & impalpabilem naturæ conditionem mutaretur, Christus per hoc desineret esse primogenitus ex fratribus, nósque sic gratia excideremus adoptionis.

In Tomis Conciliorum.

Cyrillus allegatus in actis Concilij Nyceni 2. fol. 158. Tomo 3.

Et si autem Disputatori concederetur, corpori Christi per vnionem tribui, quæ infinita sunt, & nullo loco circumscripta, hoc est, maiestatis & Deitatis dona: tamen, quia non essent hæc ipsum corpus, nec facerent, vt corpus talenuera fieret, qualia sunt illa maiestatis dona, quæ ei tribuuntur, non sequitur, corpus propter hæc dona infinitum & incircumscriptum, adeóque toto genere aliud esse, quàm per naturæ veritatem & substantiam sit. Sicut pari ratione non sequitur: Corpus Christi per vnionem habet κοινωνίαν cum natura infinita: Ergo in semet ipso realiter est, seu fit tale, hoc est, infinitum. Hoc autem nisi fiat, nunquam desinet esse naturæ suæ limitibus, vt Ambrosius ait, circumscriptum. Quòd verò Disputator existimat se hoc modo diuersum illum respectum, secundum quem contradictoriæ proprietates vni corpori Christi simul competere possint, probè explicasse, atq; sic manifestam declinasse contradictionem, magnoperè opinione sua fallitur. Non enim relatiuè tantùm, aut secundum aliquem respectum dici potest, vnum idemq; Christi corpus simul visibile & inuisibile, palpabile & impalpabile, locale & illocale, finitum & infinitum, circumscriptum & incircumscriptum: sed sunt ha proprietates naturarum essentiales, quibus à se inuicem, etiam in ipsa vnione, discernuntur: ideoq; sunt res, seu positiones (vt in scholis loquuntur) absolutæ, in quibus est vera

Fallacia, qua decipitur, & decipit Iacobus Andr.

vera condictio. Alioquin quomodo ab his differentibus proprietatibus duarum differentium naturarum veritas in vnione probari, aut etiam Filius Dei ab humanis proprietatibus, propter vnionem denominari posset? Cauſſa enim & modus, quo præter humanas etiam diuinæ naturæ proprietates corpori Chriſti tribui dicuntur, non quidem naturaliter, ſed per gratiam vnionis, & tamen verè & realiter, non faciunt, vt propterea hæ proprietates tantùm ſint reſpectus in ipſo corpore: quia ex hoc ſequeretur, non ipſum corpus, ſecundum ſubſtantiæ veritatem, re ipſa eſſe inuiſibile, impalpabile, illocale, infinitum, incircumſcriptum & vbiq;, ſed habito tantùm reſpectu ad iſtas diuinæ naturæ proprietates, quæ eiuſmodi ſint: quod etſi prorſus ſit ἄδοξον, eò tamen delabitur tandem Diſputatoris hæc inanis & Sophiſtica argutia, cùm fateri cogitur, has Deitatis proprietates corpori Chriſti tribui & competere, non eſſentialiter, non formaliter, non habitualiter, non ſubiectiuè, non per ſe, nec per accidens. Erit itaque ſecundum hanc Diſputatoris mataeologiam, corpus Chriſti finitum, circumſcriptum, & in loco, propter naturæ proprietatem, qua ſublata, veritas naturæ ipſi verè adimi diceretur: propter vnionem verò cum perſona τοῦ λόγου, & infinitæ naturæ κοινωνίαν, ſimul erit inuiſibile, impalpabile, illocale, infinitum, incircumſcriptum, & vbiq;: alio videlicet tantum & diuerſo reſpectu, non eſſentialiter, non formaliter, non habitualiter, non ſubiectiuè, hoc eſt, iſtæ proprietates Deitatis omnes non erunt in ipſo corporis Chriſti ſubiecto, ſed extra, nec ipſum corpus erit reipſa & formaliter tale, ſicut per haſce proprietates eſſe prohibetur. Nam quatenus & vbi reuera tale eſſet, quales ſunt illa, quæ ipſi tribuuntur proprietates, vnà cum naturalibus ipſius proprietatibus, etiam naturæ veritatem ipſi adimi oporteret, vt fatetur Diſputator. Quòd ſi alia eſt ipſius ſententia, ſecum ipſe pugnat, quod ei non eſt inconſuetum.

Hoc fatetur theſi 37

Ergo nec eſt eſſentialiter & ſubiectiue in Cana, ſecundum hanc cauſam præſentia.

Hæret autem perpetuò in iſto errore, quòd contra Synodicam hac de re definitionem, veritatem corporis Chriſti, iuxta naturæ proprietatem, paſſim opponit vnioni perſonali. Aut igitur hac duplici corporis Chriſti conſideratione, neceſſariò duas diſtinctas ipſius ſubſiſtentias introducit, ſecundum quas contradictoriæ proprietates illi competere & accommodari queant, quod eſt Neſtorianum: contra quod Damaſcenus ait, Fatemur in Chriſto ſaluas eſſe duas naturas, non ſeorſim ponentes vnam quamque, ſed vnitas inter ſe in vnacõpoſita hypoſtaſi. *Aut in vna Verbi ſubſiſtentia, corpus Chriſti in contradictoriis ſimul proprietatibus ſubſiſtere, & exiſtentiam ſuam habere facit, quod pro impoßibili cõtradictione habent omnes Or-*

Ergo hoc modo corpus Chriſti non eſſet vnitũ ſecundum veritatem naturæ.

lib. 3. cap. 3.

Damasc. lib. 4. ca. 19 & lib dialect. ca 9it. *Vide theses Herm Pacifici fol. 132.*

thodoxi Ecclesiæ Patres, qui propterea quòd in vna Christi natura duas contrarias seu diuersas proprietates existere posse negarent, à differentibus hisce proprietatibus, duas in Christo naturas, contra Eutychianos probant. Ex quarum sententia libet, pro refutando penitúsq; destruendo Disputatoris impia delirio, hac ex Theodoreto referre: : Nos talem diuinitatis & humanitatis prædicamus vnionem, vt intelligamus vnam personam & indiuisam, & eundem agnoscamus, Deum & hominem, visibilem & inuisibilem, circumscriptum & incircumscriptum, & omnia alia, quæcunque diuinitatem & humanitatẽ designant, vni personæ (non vni naturæ inquit) accommodamus. Si verò vna natura Christus est (ex diuina videlicet & humana composita quædã,

Theodoret.

Sic Damascenus li. 3 cap. 14.

vt Eutychiani docebant) quomodo possunt illi accõmodari contraria? Neque tamen per hoc separamus à Deo Verbo carnem, nec vnionem facimus confusionem, sed ad differentiam respicientes naturarum, consideramus, quid conueniat diuinitati, & quid accommodatum sit corpori. *Hinc Iustinus Martyr, contrarias in vno Christo voces, ad euitandam, quæ inde existere videri posset, contradictionem* κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο, *pro vnius cuiusq; naturæ proprietate, diuidendas esse vult:* Cùm enim, *ait,* vnus sit Filius, naturæ geminæ, iuxta alteram patrat miracula, iuxta alteram humilia in se recepit: quatenus enim ex Patre & Deus, facit prodigia, quatenus è Virgine & homo, crucem, passionem, & similia vltrò pertulit naturaliter. Sic enim, *vt Damascenus rectè docet,* vniuntur Christi naturæ, incõfusè, suam quęq;

In expositione fidei.

Lib. 3. ca. 4.

propriam differentiam seruantes, & rursus diuiduntur indiuisè, pro modo & ratione differentium proprietatum: *quod fieri non potest, si secundum vtranque naturam Christus inuisibilis, impalpabilis, & incircumscripus esse fingatur.*

239. *Quod verò tandem etiam in declamationem de duplici corporis actu excurrit Disputator, vanissimum est* χρησφύγετον, *& inane fici foliolum, quo dogmatis sui fœditatem vtcunque palliare studet, cùm reipsa distorti ingenij* ἀχρησίαν, *vel* κακίαν *potius, magis magisq; in theatrum producat, & paradoxa paradoxis, teratologias* τερατολογίαις *cumulet. Quid enim hoc rei est, quòd perpetuò in alienum campum extrauagatur, & nihil eorum, quæ dicit, probat? Et si enim natura Christi assumta per gratiam vnionis hypostaticæ omnia humana transcendit, quod nemo negat: tamen etiam corpus vnigeniti existendo, veri corporis proprietates non amisit: nisi nomine, non re fingatur,*

esse

esse corpus. Non enim alia ratione corpus Christi τοῦ λόγου proprium factũ est, per vnionem, quàm sicut eodem modo, vt Athanasius & Cyrillus loquuntur, omnia, quæ sunt humanæ naturæ propria, sua ducit, & facit Deus Verbum. denique nihil est omnino, in quo humani corporis veritas consistit, quod cum eo commune non habeat assumtum Christi corpus. Cùm autem actus primus cuiuslibet rei propriè sit eius δύναμις φυσικὴ, vnde profluit ἡ ἐνέργεια, quæ dicitur actus secundus: non potest non corpori Christi actus siue primus, siue secundus adscribi à nostris corporibus diuersus, quin eidem ab iisdem diuersa δύναμις φυσικὴ, atque ita natura toto genere à nobis discrepans adscribatur. Vt enim ἡ ἐνέργεια φυσικὴ, seu actus secundus, ex δυνάμει φυσικῇ, seu actu primo profluit: ita δύναμις φυσικὴ, seu actus primus, necessariò cum qualitate suæ naturæ congruit. Siquidem ergo corpus Christi actu primo statuitur esse vbique, consequitur necessariò, quòd Vbiquitas sit eius δύναμις φυσικὴ, atque ita natura corporis erit infinita, & per consequens increata, cùm nulli creaturæ, sed soli creatori, vt iam antè demonstrauimus, infinitas competat.

240. *Et si porrò, quæ ex plenitudine Mediatoris accepimus, & accipimus omnes, non modò tanquam Deus nobis largitur Christus, sed Pater in ipsum cõtulit, quæ tanquam per canalem ad nos promanarent: tamen vis, seu energia, irrigandi Ecclesiæ membra, effusis vitæ æternæ donis, nequaquam inter actus secundos corporis assumti numeranda est, sed potius diuinæ Christi naturæ, quæ sibi omnia subiucit, testimonium præbet. Concionatur enim Iohannes de officio personæ, quod bonorum omnium affluentiam in se contineat: ita vt non aliunde vlla pars salutis petenda sit. Quemadmodum igitur officium Christi non alterutri duntaxat naturæ incumbit, ita nos ex sua plenitudine, eadẽ, qua delibutus est, vnctione inunctturus, indiuisas quidem, sed non indistinctas habet operationes in vtraq; natura, cùm meriti tum efficaciæ respectu. Ex eodem enim fonte omnes haurimus gratiam pro gratia: sed ita, vt quasi canalis sit natura, cui tanquam viti palmites, seu membra capiti per fidem inserti, adhæremus: at ἐνέργεια viuificans sit eius natura, quæ nos palmites, seu membra naturæ assumtæ per fidem sic inseruit, atque in gratiam receptos adoptauit, & ad vitam æternam sustentat.* *Ioan. 1. Phil. 3.*

241. *Recepti ergo in gratiam à Deo, propter solum Mediatorem per fidem, simul Spiritus sancti donis ex perenni illo vitæ fonte perfundimur, ac viuificamur. facti palmites vitis feracis, quæ suæ nos fertilitatis succo paulatim recreat, donec in regno Patris, post hanc vitam, perfecto felicitatis sempiternæ fructu repleamur.* *Cyrillus li. 10. ca. 16. & 19. Ioan 15.*

242. Quod autem talia fiant, nescio quo actu secundo corporis vbiquitarij (cuiusmodi corpus nec assumsit ὁ λόγος, nec vspiam in rerum natura extat) adeo Scripturæ sacræ non est ἀνάλογον, vt ne apicem quidem ad istud somnium vel confirmandum, vel explicãdum, ex Scriptura non detorta, Disputator adduxerit hactenus, imò ne quidem adduci posse, vltrò tandem fateatur.

243. Nullius igitur hominis pia mens, & illibata conscientia, vanissimo huic dogmati asserendo, vel animum applicare, vel tutò acquiescere potest, cuius nec fundamentum, nec explicatio ex Scripturæ fontibus deriuatur, sed quod nonnisi petulantis ingenij nugacissimam phantasiam prodit, nec sine perpetuis contradictionum implicationibus, à quibus & Christianæ fidei sanitas, & ratio naturæ non omnino stupidæ abhorret, proponi, aut defendi potest. Neque verò propterea quòd ex sacræ Scripturæ testimoniorum dextra collatione, veteris Ecclesiæ Patres, Christum secundum humanam naturam hunc mundum reliquisse, à nobis recessisse, neq; nunc post ascensionem nobiscũ hic corporaliter in terra, sed in cælis esse, ibiq; sursum, in excelsis, & non alibi, ad dexteram Patris sedere, atq; etiam inde, & non ex Vtopia, ad iudicium reuersurum esse, secundum diuinam verò naturam semper nobiscum esse, & manere, neque nos orphanos relinquere, cõsentiente sententia traditerũt: pro humana glossa, quæ vel textui contraria sit, vel per quam Christus soluatur, & dimidius tantùm Ecclesiæ obtrudatur, virulenta hac sua, quamuis tecta calumnia, exclamare & traducere iure potuit, vel debuit, hic adeo strenuus calumniarum architectus, & concinnator.

244. Quod autem Sophistarum iste omnium impudentissimus, verissimam insuper Ecclesiæ Orthodoxæ sententiam, qua Christus vbique totus esse dicitur, sed non totum, hoc est, secundum vtramq; naturam, superciliosè eludere audet: quid facit aliud, quàm quòd distinctionem inter personam & naturam penitus abolet, & naturarum proprietates cum Monotheletis confundit, personam autem cum Nestorio diuidit? Eadem igitur audacia, vel potiùs impudentia negabit verum esse, quòd totus Christus ex semine Dauidis natus sit, sed non totum, quòd totus Christus crucifixus, passus, mortuus & sepultus sit, sed non totum. Quod quid aliud est, quàm vel carnem simul cum Deitate æternam, vel Deitatem vnà cum carne temporaneam effingere? deniq; vtramq; in Christo naturam patibilem, ac mortalem statuere? hoc est, vniuersam historiam Symboli abrogare?

Refutatio per instantiam.

245. Cùm enim vocabulum Christus non alterutram tantùm naturam, sed personam designet, quæ non vna natura, sed duabus, videlicet diuina & humana,

mana, definitur: quisquis Christum diuidi aut dimidiari somniat, nisi pariter cum Deitate vbiuis locorum caro ipsius coexistat, & omnia non minùs quàm ipsa Deitas repleat: idem necessariò diuidi atque dimidiari Christum somniabit, nisi secundum vtramque naturam ex castissimo matris Virginis vtero traxerit originem, & secundum vtramque naturam mortem obierit, atq; ita sublata distinctione proprietatum essentialium, naturas in Christo non tantùm confundet, verùm etiam ambas, quantum in se est, extinguet, totamq; incarnationis gratiam abolebit, & redemtionis opere in merum phantasma conuerso, salutis certitudinem, solius Verbi incarnati fundamento nitentem, generi humano planè eripiet.

246. Nec est, quòd ad fatuorum, ac stultorum iudicium prouocet Agyrta, 1. Cor. 14. *cùm Apostolus requirat à nobis, vt non intelligẽtia, sed malitia pueri simus, & in hac ipsa causa iudiciũ deferat peritis,* τοῖς φρονίμοις: *præcipiatq; simpliciores à spiritualib⁹ erudiri ac cõfirmari: nec velit, vt* νηπίων *instar fluctuemus, & circũferamur quouis vento doctrinæ, in hominum alea, veteratoria ad insidiosè fallendum versutia. Tantum enim abest, vt stultam Filius Dei, qui nobis à Patre sapientia factus est, credulitatem approbet, vt iam dudum imperita multitudinis persuasione fascinatos discipulos grauiter reprehenderit:* ὦ ἀνόητοι, *& quasi digitis nouos istos impostores notans, seuerissimè interdixerit, ne fidem habeamus olim declamaturis:* Ecce hîc, Ecce illic, Ecce vbique est corpus Christi. *Quid? quòd toti fidelium Ecclesiæ egregius iste Scripturæ interpres, quasi insultans obtrectat, quando* τοὺς νηπίους *à Christo stultos appellari mentitur: qui in auditoribus* τὸν νοῦν *requirit, & ex ore minimè stultorum, sed infantium & lactentium, hoc est, in obsequium fidei captiuantium rationem, vt soli verbo Dei non detorto, nec stolidè, sed iuxta fidei analogiam rectè intellecto, gloria veritatis tribuatur, laudem sibi præparauit. Nimirum omnes Christi discipulos stultescere optarit Disputator, vt ipse solus sapiens haberetur, & reliquis tanquam vmbris impune illuderet. Pulcrum enim est digitis notari, & audire illud Homericum de Tiresia, cui dederit Iupiter:* οἷῳ πέπνυσθαι, τοῖσδε σκιαὶ ἀίσσουσιν. Ille sapit solus, reliqui velut vmbra vagantur.

1. Cor. 3. Gal. 6. Ephes. 4. Iac. Andr. Stultos habere sua doctrina discipulos. Matth. 24.

Luc. 8.

Sed agè: ne τοὺς νηπίους *Christi simpliciter repudiare videamur, quémnam ex simplicissimis fidelium Christianorum Catechumenis, si de corpore Christi nobis (excepto tamen peccato) per omnia simili, vel interrogetur, vel eiusdem mentionẽ fieri audiat, Vbiquitarium aliquod phantasma mente suacõcipere putabimus, & non potiùs animum in cælos attollere, atque fide ibi contẽplari*

Mediatorem fratrem, quòd sit os ex ossibus nostris, caro ex carne nostra, & sanguis ex sanguine nostro.

247. Hæc enim procul dubio simpliciorum Christi νηπίων, hoc est, fidelium Ecclesiæ Catechumenorum, de Christo olim infantulo, ac tandem adulto (postquam per mortem absorpta morte vivus ex sepulchro resurrexisset) in cælum recepto, vnde reuersurus, nos etiam in cæleste regnũ transferat, minimè fallax persuasio, & cogitatio, & fides est, nõ ex stulta rationis speculatione, sed ex primis Symboli elementis (remotis allegoriarum inuolucris) ῥητῶς καὶ ἰσορικῶς, secundum subiectam materiam acceptis, fideliter hausta, quæ propterea solidiorem conscientiis adfert consolationem, quod qui iuxta naturam nobis cognatam iam tum cælestem patriam occupauit, idem Deus simul est, ex cuius nos miseros orphanos validis manibus nemo rapiet, quin suos tandem malis omnibus ereptos, potenter attracturus sit, secundum efficaciam, qua potest etiam subiicere sibi omnia. Nec vnquam, opinor, obtinebit impostor, vt quisquam ex Catechumenis Christi vel capiat, vel approbet stultam illam, imò blasphemam de corpore Christi, præsenti in quouis cantharo ceruisiario, & qualibet braßica, in quouis denique fœno & hordeo fabulam: quin potiùs inter stultos pro stultißimo deridebitur, tantum abest, vt inter peritiores Christi alumnos applausores inueniat: quamuis multi non spiritu, sed carne prudentes, καὶ τῷ καιρῷ ἀκαίρως δηλεύοντες, metu periculorum cum stultis hodie (proh dolor) stulteſcant, & testimonium veritati debitum in approbationem mendacis Pandoræ conuertant. Quorum hypocrisin dies Domini patefaciet. Nitetur autem hoc loco illud etiam, quòd haud obscurè Disputator Mediatori appellationem tãtùm ad naturam assumtam restringit, ab eoq; diuinitatem, vt terribilem, & velut ignem consumentem seiungit, qua in parte manifestè Stancarizat.

Act. 3.

Phil. 3.

1. Timoth. 2.

Vbiquitarij Sacramentorum profanatores.

248. Quando igitur Vbiquitarij, Sacramentorum profanatores omnium crassißimi, talem Christi præsentiam somniant, qua non minùs secundum carnem, quàm secundum Deitatem cælum & terram repleat, adeoq; corporaliter in quouis cantharo cereuisiario, & qualibet braßica, vt impiè nugantur, præsto sit, an non sacræ Cœnæ epulum cum quibuslibet epulis profanis confundit? an non corporis assumti veritatem, nedum præsentiam in Cœna prorsus abolent? an non summa deniq; consolatione, quæ non nisi ex Christi nobiscum cognatione profluit, pios & fideles in summis tentationibus & periculis spoliãt? Quo nomine ad omnes omnium piorum, & rectè sentientium conscientias prouocamus.

Consolatio ex Christi nobiscum cognatione.

249. Vt

249. *Vt enim consideratio absolutæ Dei omnipotentiæ, sine eiusdem benignæ erga nos voluntatis contemplatione, terribilis potiùs est, & tãquam ignis consumens, quàm anxiis conscientiis tolerabilis, & grata: ita cùm imaginatio corporis Vbiquitariæ naturæ Christi assumtæ veritatem planè reddat dubiam, imò prorsus eam tollat & deleat: adeoq; mysterium incarnationis τοῦ λόγου, vnde consolationis omnis certitudo dependet, horribiliter concutiat & labefactet: non potest non simul piis mentibus firmissima illa totius Christianæ πληροφορίας fidei, spei, & salutis anchora, cùm in hac, tum in futura vita præcidi atq; euerti.* *Deut. 4.*

250. *Etsi autem Spiritus sancti promissio, quasi absentiam carnis Christi sarcit: tamen omnibus propterea modis Christum abesse minimè sequitur, nec quisquam Orthodoxus vnquam sic credidit, docuitve: sed potiùs quibus expedire ostendebat Dominus, vt abiret, iisdem nihilominùs nusquam non, vbicunque terrarum versarentur, præstò sese adfuturum, vt firmiter persuaderet, præter dulcissimam Spiritus sancti paracleti promissionem, aliam suam nobis, (non autem carnis suæ, in cælum interim euehendæ) præsentiam suauissima voce stipulatur: Non quidem carnem meam, inquiẽs, perpetuò vobiscum præsentem habebitis: sed* B G O *(qui mundum secundum carnem relinquo, & conscendo in cælos)* Ego sum vobiscum omnibus diebus, vsque ad consummationem seculi. *Matt. 28.*

Alloquitur enim Ecclesiam, cúmque idem ipse Dominus paulò antè dixerit: Me verò non semper habebitis, *& mox in cælum ascenderit, liquidò patet, distinguendam esse præsentiam & absentiã, ne vel omnibus modis absentem, vel omnibus modis præsentem statuamus, sed vt corpore qui absens est, Deitate tamen & omnipotente sua virtute sit totus proculdubio præsentissimus, qua & se ipsum, & sua omnia nobis, substantia, præsentia merito, & efficacia, verè per fidem spiritualiter communicat. Huic explicationi astipulatur Cyrillus in Ioannem lib. 11. cap. 21.* Putabant discipuli absentiam Christi, vt hominis dico (Deus enim vbique adest) multorum eis incommodorum causam futuram, cùm non adesset, qui ab omnibus malis eos posset eruere, sed oportebat (dicam enim etiam) si luminaria orbis postea facti sunt, non solùm in carnem Christi, verùm etiam in Deitatem respicere, quæ quamuis oculis non cernatur, adest tamen semper summa cum potestate. Nec quicquam est, quod prohibere possit, quin omnia repleat, & quod velit, peragat. Non enim loco aut dimensionibus circumscriptibilis natura diuina est. Quare cùm Deus & homo Christus

Cyrillus de præsentia & absentia Christi. Idẽ Augustin. Tractat. 50. 77. 94. & 106. Et Nyssenus in Catechesi cap. 34. de præsentia Christi in mysterijs.

verè ſit, oportuit eos intellexiſſe, ineffabili Deitatis poteſtate vnà cum eis ſemper futurum, etiamſi carne abeſſet. Idcircò enim ipſe quoque in ſuperioribus dicebat: Pater ſancte, ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi: apertè ſignificans, Deitatis ratione, nõ carnis præſentia eos poſſe ſeruari. *Item cap. 22.* Deum itaque atq; hominem ſe verè oſtendens, diſcipulis hinc intelligendum reliquit, non minùs ſe abſentem, quàm præſentem, ſalutem ſe illis allaturum, & qua ratione, quum adeſſet vt homo, etiam abſentem ſeruare poſſe: non enim circumſcribitur loco aliquo Deus, nec à re aliqua vnquam abeſt. *Et pòſt*: Ex quibus omnibus hoc ſubtiliùs emergit, quòd etiam, cùm vt homo adeſſet, non hac ratione, ſed Deitatis virtute & gloria illos conſeruabat. *Et pòſt*: Quum igitur Deitati ſeruatio tribuatur, non debetis, inquit, carnis præſentiam propter hoc deſiderare. Hoc enim ſolummodo pacto, etiá carne abſens, ſeruare ſuos poterit, qui perfectum habebunt gaudium, quum ſe virtute omnipotentis protegi non dubitent. *Hæc ita Cyrillus longè aliter de piorum conſolatione, quàm in ſuis Theſibus perſuadere nobis conatur Impoſtor.*

De ciuit. Dei.

251. Quemadmodum autem omnibus in locis omnia maieſtate realis præſentiæ ſuæ replere, proprietas eſt ſoli diuinæ eſſentiæ competens: (Hoc enim eſt Deum eſſe, *inquit Auguſtinus*, ſimul vbique totum eſſe. *Item*: Deus totus in cælo, & totus in terra eſt, non alternis temporibus, ſed vtrumque ſimul, quod nulla natura corporalis poteſt. Item, Solius diuinitatis proprium eſt, quia non eſt corpus, vt vbique ſit tãtùm per ſpatia locorum non diuiſa. *Ita monſtroſum figmentum, imò deteſtabile portentum eſſe, minimè dubitamus, quando humanitas Chriſti, ſiue diuinitati coextenſa, ſiue cum eadem vbiq; locorum coexiſtens, reali præſentia ſua non minùs, quàm diuinitas ipſa, cælum & terram replere, ſiue craſſo, ſiue ſubtili modo fingitur. A nomine autem ſe abhorrere Diſputator ſimulat, cùm rem ipſam mordicùs defendere non deſiſtat.*

Iac. Andr. tantùm reſicit Vbiquitatem coextẽſam.

Ceterùm quod pro erroris ſui fuco obtendit Sophiſta, iniuſtè ſibi, ſuæq; ſectæ Theologis, portentoſam Vbiquitatem, qua humanitas Chriſti diuinitati coextenſa fingatur, imputari, prorſus frigidum eſt, & inanis impoſturæ pretextus. Et ſi enim corpus, ſicut à partium ac totius dimenſione, abſque manifeſta deſtructione ipſius, ſeparari non poteſt: ita quoque non aliter vbique eſſe dici queat, quàm extenſa quantitatis ſuæ mole & magnitudine: Tamen ne

hoc quidem modo verè & propriè vbiq; erit, nisi per accidẽs, quia singulæ ſtius extenſi corporis partes eſſent in ſingulis ſuis locis. Totum autem corpus non eſſe per ſe vbique, ſed vt Auguſtinus ait, minùs in parte, quàm in toto, nec in ſingulis partibus tota vel tanta: id quod Thomas Aquinas, in hac de Vbiquitate corporis quæſtione, rectè animaduertit, & alibi in Theſibus Tubingenſibus agnoſcit Diſputator. Illud autem verè & propriè vbique eſſe dicitur, cuius nõ ſunt extenſæ quantitatis ſuæ partes, ſed quod totum eſt vbique, & in ſingulis locis vnum, & totum. quod ſolius diuinitatis, vt ſimpliciſſimæ eſſentiæ propriũ & prorſus ἀχωρίστον eſt. Deus Verbum, *inquit Hieronymus, ad Macellam,* in partes ſecari non poteſt, nec locis diuidi, ſed cùm vbique ſit, totus eſt vbique. *De Chriſti verò corpore ſcribit Auguſtinus, quòd neq; extra ſpatia locorum, quibus continetur, exiſtere, nec per corporalem præſentiam totum ſimul & vnum in pluribus locis eſſe poſſit. Ex qua Auguſtini definitione, ſi de Vbiquitariorum verè portentoſo dogmate iudicium fieri debeat, ſic illis rectè præſcribemus: Si corpus Chriſti per vnionem perſonalem, cum diuinitate eſt vbique, aut hoc eſt per modum extenſionis per omnia loca, & omnes creaturas, ſicut Thomas Aquinas, de infinito illo, quod omnia loca repleret, corpore ſentit: aut ſi totum vbique, vel in pluribus locis totum eſſe dicatur, plura per hoc neceſſariò corpora, pluréſque Chriſti introducuntur.*

Ad Dardanum lib. 1. ſent. diſtinc. 37. art. 2. Theſi 43. quæſt.

Ad Dardanum & cõtra Fauſtũ.

252. *Quòd autem myſterium vnionis duarum in Chriſto naturarum hypoſtaticæ, alius alia comparatione illuſtrare conatur, id veritati, ſi in iudicando candor adhibeatur, & vitetur nouandi temeritas, nihil omnino derogat, cùm ſimile non ſit idem. Siue igitur approbentur, ſiue improbentur hæ, vel illæ imagines, quibus interdum ſcriptores vtuntur, parum refert, modò in re ipſa conueniamus.*

253. *Quicquid enim fingat, refingátq; Diſputator, ſiue cælum inferis, ſiue terræ miſceat, deniq; Inuidia ſtygio rumpãtur vt ilia Codro: nunquam tamen falſum eſſe demonſtrabit, finiti ad infinitum nullam eſſe vel proportionem, vel exæquationem. Quemadmodum igitur non ſequitur, vt, quia humana natura naturæ æternæ vnita ſit, ideo ipſa quoq; ſit æterna: ita non ſequitur, vt quia infinitæ, ac immenſæ naturæ ſit vnita, ipſa quoq; infinita ſit, & immenſa. Neque enim vnio duarum in Chriſto naturarum, finitæ inquam ac infinitæ, hypoſtatica, id effecit, vt vbicunque ſit diuinitas, quæ nullo vel naturæ, vel rationis, vel loci termino circumſcribitur, ibidem quoque humanitatem, quæ proprietate ſuæ ſubſtantiæ, & membrorum συμμετρία terminatur, adeſſe neceſſe ſit. Quin potiùs hæc ita inter ſe affecta ſunt, vt alterum ab altero ex-*

cidatur. Sicut ergo in nobis natura excedit personam, quia humanitas reperitur extra individuum suum: ita in Christo excedit persona naturam assumtam, quia persona illa vbique est, cùm assumta natura non sit vbique. Nec tamen propterea personalis vnio scinditur.

254. *Constanter igitur cum Augustino, & tota Orthodoxa Ecclesia credimus, profitemur, & asserimus, non esse consequens, vt quod in Deo est, ita sit vbiq;, vt Deus. Ne autem ab Antagonista nobis imponi patiamur, quasi in modo tantùm, non in re ipsa, Augustinus dissimilitudinem constituat, addamus præcedentia, quæ à Disputatore subdolè sunt præcisa & omissa.* Christus enim carni suæ *(inquit Augustinus)* immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Secundum hanc formam non est putandus vbique diffusus. Cauendum est enim, ne ita diuinitatem astruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus. *His tandem addit:* Non est autem consequēs, vt quod in Deo est, ita sit vbique, vt Deus. *Quam sententiam, qua fronte, quam, vt dicta & facta ipsius testantur, planè persecuit: qua conscientia, quam nullam ipsum habere, res ipsa non loquitur, sed clamat, cùm hîc, tum alibi Disputator cum suis asseclis, tantùm ad modum Vbiquitatis restringat: (quasi verò Augustinus humanitatem Christi vbique esse non neget, sed tantùm alio, quàm diuinitatem, modo, vbique esse doceat:) satis superq; tota illa ad Dardanum luculentissima epistola demōstrat, ex qua vel maximè istum, præter cetera, locum pio lectori altiùs paulò repetitum, diligentiúsque expendendum subiicere libuit. Erat autem hæc à Dardano proposita quæstio:* Quomodo nunc Christus esse credatur in cælo, cùm pendens in ligno, iamque moriturus, latroni credenti dixerit: Hodie mecum eris in Paradiso: an quia vbique Deus sit, homo quoque ille, qui in Deo est, intelligendus sit vbique diffusus? *Ad quæ respondens inter alia, sic ait:* Cùm Christus sit Deus & homo (Deus vtique, vnde dicit: Ego & Pater vnum sumus. Homo autem, vnde dicit: Pater maior me est, idemq; Filius Dei vnigenitus à Patre, & Filius hominis, ex semine Dauid, secundum carnem) vtrumque in illo obseruandum est, cùm loquitur, vel cùm de illo Scriptura loquitur, & quid secundum quid dicatur, intuendum. Nam sicut vnus homo est anima rationalis, & caro: sic & vnus Christus est Verbum & homo. Proinde quod ad Verbum attinet, creator est Christus. Omnia enim per ipsum facta sunt. Quòd verò ad hominem, creatura est Christus: Factus est enim ex semine Dauid, secundum

Vbiquitas corporis est destructio Veritatis ipsius.

Falsaria Augustini sententia depravatio.

Iac. Andr. contra Ingolst. pa. 56. Vide epist. 146.

Epist 57. ad Dardanū pag 176.

cundum carnem, & in similitudinem hominum factus. Itē, quia in vno homine duo sunt, anima & caro, secundum animam tristis fuit vsque ad mortem, secundum carnem passus est mortem. Nec tamen cùm Filium Dei Christum dicimus, hominem separamus, aut cùm eundem Christum Filium hominis dicimus, separamus Deum: secundum hominem namque in terra erat, non in cælo, vbi nunc est, quando dicebat: Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, Filius hominis, qui est in cælo: quamuis secundum id, quod Filius Dei erat, esset in cęlo, secundum id verò quòd Filius hominis erat, adhuc esset in terra, nondumque ascendisset in cælū. Similiter cùm secundum id, quod Filius Dei est, sit Dominus gloriæ: secundum id autem, quòd est Filius hominis, crucifixus sit, ait tamen Apostolus: Si enim cognouissent, nunquam dominum gloriæ crucifixissent. Ac per hoc & Filius hominis secundum Deum erat in cælo: & Filius Dei, secundum hominē crucifigebatur in terrā. Sicut ergo potuit rectè dici, Dominus gloriæ est crucifixus, cùm ad solā carnē illa passio pertineret: ita rectè dici potuit: Hodie mecū eris in paradiso, cùm iuxta humanam humilitatem, per carnem in sepulcro, per animam in inferno illo die futurus esset, iuxta diuinam verò immutabilitatem, nunquā de paradiso, quia vbique est semper, recessisset. Noli itaque dubitare, ibi nunc esse hominem Christum Iesum, vnde venturus est, memoriterque recole, & fideliter tene Christianam confessionem, quoniā resurrexit à mortuis, ascendit in cælū, sedet ad dexteram Patris, nec aliunde, quàm inde, venturus est, ad viuos mortuósque iudicandos. Et sic venturus est, illa Angelica voce testante, quemadmodum ire visus est in cælum, id est, in eadem carnis forma, atque substantia, cui profectò immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Secundum hanc formam non est putandus vbique diffusus: cauendum est enim, ne ita diuinitatem astruamus hominis, vt veritatem corporis auferamus. Non est autem consequens, vt quod in Deo est, ita sit vbique, vt Deus. Nam & de nobis veracissima Scriptura dicit, quòd in illo viuimus, mouemur, & sumus, nec tamen, sicut ille, vbique sumus, sed aliter homo ille in Deo, quoniam aliter, & Deus ille in homine, proprio quodam ac singulari modo: vna enim persona Deus & homo est,

Hæc exponi fessi dicuntur contra Theodor. Andr. 190.

Passio ad solam carnē pertinet.

Analogia articulorū fides.

Respondet ad rationē Dardani. Lōbardus li 3. sentēt. distinct 22. cap 6.

& vtrunque est vnus Christus Iesus, vbique per id, quod Deus est, in cælo autem, per id, quod homo. Quanquam & in eo ipso, quòd dicitur Deus vbique diffusus, carnali resistendum est cogitationi, & mens à corporis sensibus auocanda, ne quasi spaciosa magnitudine opinemur Deum per cuncta diffundi, sicut humus, aut humor, aut aër, aut lux ipsa diffunditur: (Omnis enim huiusmodi magnitudo minor est in sui parte, quàm in toto) sed ita potius, sicuti est magna sapientia etiam in homine, cuius corpus est paruum: & si duo sunt sapientes, quorum sit alter corpore grandior, neuter sapientior, non est illa in maiore maior, minor in minore, aut minor in vno, quàm in duobus, sed tãta in hoc, quãta in illo. & tanta in vno quoque, quanta in vtroque. Neque enim si æqualiter sunt omnino sapientes, plus sapiunt ambo, quàm singuli: quemadmodum si æqualiter sint immortales, non plus viuunt, quàm singuli. *Et paulò post*: Absit ergo, vt quod potest in corpore qualitas creati corporis, non possit in se ipsa substantia Creatoris. Est ergo Deus per cuncta diffusus, ipse quippe ait per Prophetam: Cælum & terram ego impleo. Et quod paulò antè posui de sapientia eius, attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter. Itémque scriptum est: Spiritus Domini repleuit orbem terrarum: eiúque dicitur in quodam psalmo: Quò abibo à Spiritu tuo, & à facie tua, quò fugiam? Si ascendero in cælum, tu ibi es: si descendero ad infernum, tu ades: quia substãtialiter Deus vbique diffusus: sed sic est Deus per cuncta diffusus, vt non sit qualitas mundi, sed substantia creatrix mundi, sine labore regens, & sine onere continens mundum. Non tamen per spatia locorum, quasi mole diffusa, ita vt in dimidio mundi corpore sit dimidius, & in alio dimidio, dimidius, atque ita per totum totus: sed in solo cælo totus, & in sola terra totus, & in cælo & in terra totus solus, & nullo contentus loco, sed in se ipso vbique totus. Ita Pater, ita Filius, ita Spiritus sanctus, ita Trinitas nunc Deus. Neque enim mundum inter se in tres partes diuiserunt, quas singulas singuli implerent, quasi non haberet, vbi esset Filius, aut Spiritus sanctus in mundo, si totum occupasset Pater. Non ita se habet vera incorporea immutabilisque diuinitas: non enim corpora sunt, quorũ amplior sit in tribus, quàm in singulis magnitudo, nec loca suis motibus

Respondetur ad thesin Iacobi 251 de extensione.

pag. 177.

Hierem. 23.

Sap. 8.

Sap. 1.

Psal. 139.

Hac est diuina natura Vbiquitas, à qua excluditur humanitas Christi.

motibus tenent, vt distantibus spatiis, simul esse non possint. *Et post*: Christum autem, Dominum nostrum, vnigenitum Dei Filium, æqualem Patri, eundemque hominis Filium, quo maior est Pater, & vbique totum præsentem esse non dubites, tanquam Deum, & in loco aliquo cæli, propter veri corporis modum. *Hæc Augustinus.*

Corpus Christi per se vbiq; esse mera sophistica & imposturæ est.

255. *Cùm ergo vbique in omnibus locis esse, sit proprietas soli diuinæ essentiæ, & naturæ competens, fieri non potest, quin corporis substãtia euanescat, si idem quocunque tandem modo vbique esse dixerimus. Nam quòd Patres Bergenses non essentialiter, non naturaliter, sed personaliter corpus Christi, vbique esse clamitant, duplex est contradictionis implicatio, cùm & immensitatem Dei, non personarum, sed essentiæ idioma esse constet: & assumta in Christo natura peculiarem personæ rationem nullam habeat. Vt ergo Sabellianismum renouant, hoc est, totam Trinitatem incarnant, quando ex realiter communicata Vbiquitatis maiestate, quæ personæ Verbi assumentis non est propria, sed cum Patre & Spiritu sancto propter τὸ ὁμοούσιον communis, vnionem hypostaticam æstimant: ita Christum cum Nestorio diuidunt, quoties eius corpus personaliter vbique esse affirmant.*

Quomodo Christus dicatur personaliter esse vbiq;

Vide Bonauent. lib. 3. sent. dist. 22.

Quid? quòd absurditatem cumulant, quando idem corpus Christi realiter, ac personaliter vbiq; esse contendunt, quod tamen naturaliter, & essentialiter vbiq; esse pernegant: quasi verò idem corpus sit alicubi realiter, vbi non sit eiusdem naturæ & essentiæ: aut si corpus ipsum sit vbique, non simul corporis naturam, & essentiam vbique esse necesse sit. Quid igitur est corpus Christi, sine corporea natura, & essentia? Et quorsum denique ipsum naturale & essentiale Christi corpus, etiam impiorum dentibus teri, & ore comedi vociferantur, quod tamen non nisi personaliter, hoc est, κατ' ἄλλο, minimè autem secundum essentiam, & naturam vbiq; esse ipsimet fateri coguntur? Quod verò vbicunq; Filius Dei est, ibidem quoque hominem esse simpliciter credi vult, sentialiter non repugnamus, modò sententiæ explicatio sit ἀνάλογος fidei. Est enim ambigua locutio, quam nisi ita interpreteris, vt nusquã Filium Dei citra, vel extra carnem assumtum esse statuas (nec enim iam amplius est ἀσύνδετον) facile in Nestorianismum incides, quem ista confusio vocabulorum concreti & abstracti, qua soboles Brentiana se oblectat, haud obscurè redolet. Non enim possunt non distinctæ personæ intelligi, quando simpliciter omni distinctione & explicatione omissa, nuspiam Filius Dei esse dicitur, quin ibidem sit quoque homo, seu Filius hominis. Sin ita explices, vt naturam assumtam cum assu-

Ergo corpus Christi non est essentialiter in Cœna, si non est essentialiter in pluribus locis.

mente Verbo vbique coexistere fingas, in Eutychianorũ castra transibis. Quomodo enim caro non pariter cum Verbo in naturam infinitam & immensam conuertitur, si pariter cum Verbo vbique est? vt Vigilius Martyr sentit. Quæ autem simpliciter credi debent, requirunt omnino verbum Dei, idq; non stolidè, sed dextrè intellectum, quo Disputator iste destitui se videt, ideoque stultam fidem pro fide simplici commendat.

Quandoquidem verò ista sophistica distinctione, qua corpus Christi essentialiter vbique esse negat, personaliter autem, hoc est, verè & realiter per vnionem vbique esse constanter affirmat, aduersantem sibi Augustini sententiã elusisse, inq; suas partes pertraxisse putat Impostor: vt hæc ipsius falsitas tanto manifestius deprehendi possit, monendus est ante omnia lector, de statu quæstionis, quam in ista ad Dardanum epistola tractat Augustinus. Quærebat, vt ex suprà dictis apparet, Dardanus: An Christus corpore suo simul in sepulchro, & in paradiso fuisse credendus sit, ex eo, quòd ad latronem dixit: Hodie mecum eris in Paradiso. Ad hanc quæstionem accommodata est Augustini responsio. Nam quia pro Dardano dici potuit: Corpus Christi vnitum esse Deo, in vnitate personæ. Ergo hinc videri, pluribus hoc cum eo, cui vnitum est, locis esse possese: At id concedendum non esse, indicare volens Augustinus, respondet: Non esse cõsequens, vt quod in Deo est, sit vbique vt Deus. Qua responsione negans Vbiquitatem corporis, negat etiam plurium locorum præsentiam, de qua quærebat Dardanus. Deinde responsionem hanc suam confirmat Augustinus à differentia proprietatum vtriusq; naturæ, quibus saluis & inconfusis facta fuit vnio. Itaque Christum vbique esse, dici per hoc, quòd Deus est. At non est Deus, nisi per diuinitatem Verbi: in cælo autem, seu aliquo cæli loco, per hoc, quod homo est, secundum veri corporis modum, quem non vult Augustinus per vnionem ab ipso posse auferi. In qua naturarum antithesi, qua proprietatibus suis, etiam in ipsa vnione, opponuntur & discernuntur, certè prorsus ab Vbiquitate excluditur corpus & humanitas Christi: eaq; Augustini sententia etiam aliis locis ex ipso confirmatur, quibus hoc modo naturas in Christo proprietatibus suis discernit, cùm ait: A quibus homo discedebat, Deus nõ recedebat, & tamen idem ipse Christus, Deus & homo ibat, hoc est, discedebat, per hoc, quod homo erat: manebat per hoc, quod Deus erat. Ibat, per hoc, quod in vno loco erat: manebat, per hoc, quod vbique erat. *Item*: Homo Christus, secundum corpus, in loco est, de loco migrat, & cùm ad alium locum venerit, in eo loco, vnde venit, non est. Deus autem implet omnia, & vbique totus est,

Resp. Dardani pro plurium locorum præsentia, quæ & etiam Vbiquitas vocatur.

II. Ergo Christi corpus non est illocale.

Tract. 78. in Ioan. Omne quod locũ mutat, est in vno tantùm loco.

est, nec secundum spatia tenetur locis. *Sicut discedere, & manere in uno loco, & ubique esse, inter se opponuntur: ita de uno Christo, non nisi diuersarum naturarum diuerso respectu, nequaquam autem de humana ipsius natura propter impossibilem cõtradictionem, simul dici, & uera esse possunt. Accedit ulterius, quòd unionem corporis cum diuinitate, ad stabiliendam inde plurium seu omnium locorum præsentiam, ideo attendendam non esse, uelit Augustinus: quia uidelicet cauendum sit, ne ita diuinitatem astruamus hominis (per unionem scilicet) ut ueritatem corporis per hoc auferamus. Qua responsionis suæ αἰτιολογία, quid aliud dicere, & innuere uoluit? quàm per plurium seu omnium locorum præsentiam, ab unione personali, sic astrui diuinitatem hominis, ut per hoc corporis ueritas auferatur, & destruatur. Denique si hoc, quod iste falsator uult, sensisset Augustinus: annon hac responsione sua Dardano persuadere absurdissimum hoc, & portẽtosissimum dogma uoluisset? mortuum uidelicet Christi in sepulchro corpus, & separatam ab eo in morte animam, non tantùm in pluribus locis, de quo quæstionem mouit Dardanus, sed & ubique cum diuinitate sua personaliter, hoc est, per unionem, simul mortuum & uiuum, ab anima separatum, & cum ea coniunctum fuisse: quod quid aliud est, quàm totum nostræ redemtionis opus in præstigias & phantasiam conuertere? Uiderit igitur Falsarius impostor, qua religione, qua conscientia, fide, & fronte se constanter cum Augustino, hoc est, ex mente & sententia Augustini asserere dicat: Non esse consequens, ut quod in Deo est, sit ubique, ut Deus.*

III. *Ratio, cur corpus Christi per Vnionem non sit ubique.*

IV. *Sic sentit Brent. in li. de Vnio. person. Et Iac. Andr. in protocol. Maulbunensi.*

256. *Fatetur quidem Lutherus, Sophistas, quorum authoritate nititur, de tribus essendi modis, circumscriptiuo, definitiuo, & repletiuo,, rectè sensisse, & docuisse. Sed an non aliquid humani (quod salui tanti uiri authoritate dictum uolo) in applicatione passus sit, uel inde æstimet pius lector, quòd Deum plures, non tantùm essendi, uerùm etiam alicubi essendi modos habere scripsit. Quorum haud dubiè utrunq; falsum est: cùm nec plures, quàm unus, isq; simplicissimus essendi modus, unicè illi, & simplicissimæ Dei essentiæ conueniat, & Deus, teste Augustino de Trinitate, alicubi esse propterea dici nequeat, quia quod alicubi est, loco continetur: quod autem loco continetur, corpus est. Tantum abest, ut quoties de modis essendi alicuius rei agitur, idem sit loqui de Deo, & loqui de natura Christi assumta, quæ non est Deus. Sed & unius corporis tres diuersos essendi modos esse, nemo unquam, siue inter Ecclesiasticos scriptores, siue ex Sophistis affirmauit. Lapsum itaque hac in re fuisse Lutherum, qui negat, iu, ut aliis omnibus manifestam iniuriam faciat,*

In Confess. maiore.

est necesse. Lutherum tamen excusat, quòd hoc ipsum postea non tantùm vrgere desiit, verùm etiam ne de corporis vbiquitate quisquam disputationem moueret, seriò interdixit, (vt tantò minùs illam defendendam amplius censeret) atque in ipso contentionis feruore, non nisi παρέργως hoc argumentũ attigisse, & tractasse videri voluit, quod iam tum à caussa Cœnæ Dominicæ, Vbiquitatis opinionem longè alienissimam esse, & nihil ad rem facere, edoctus agnosceret. Quò maiorem procul dubio reprehensionem incurrunt, qui Lutheri authoritatem suis pratexentes, somniisne dicam, an affectibus? non modò funestissimum controuersiæ illius incendium, vix aliquo modo sopitum, ab ipsis cineribus impiè resuscitant, & contra sapientissimum illud vetus præceptum, malum bene positum iterum commouent: verum etiam, sine Vbiquitatis portento sacrosanctæ Cœnæ Dominicæ veritatem consistere non posse, blasphemo ore mentiuntur.

Quot modis caro Christi apud Scholasticos consideretur Vide Bonauent. li 3. sent. distinct 9. quæst. 1. & ibi Gabrielem Biel. Conclus. 4

257. Vt maximè igitur concedamus, posse humanæ Christi naturæ aliam institui considerationem, ratione essentiæ, qua perpetuò nobis ὁμούσιος esse: aliam ratione gloriæ, cui erimus olim σύμμορφοι, secundum quale, non secundum quantum: (ὅμοιοι, non ἴσοι:) aliam denique ratione exaltationis in assumentis Verbi hypostasi ad dexteram virtutis, & maiestatis Dei, quæ dignitas nulli præterea creaturæ competit: tamen fieri non potest, vt salua corporum appellatione, nedum substantia, alius, quàm circumscriptiuus, hoc est, quo quantitate sua finitum est, eiusque spatio continetur, etiam in summo illo maiestatis, & gloriæ fastigio, essendi modus ipsi conueniat: Sicut animæ assumtæ, & naturæ Angelicæ modus essendi definitiuus: soli autem Deitati modus essendi repletiuus congruit. Quoniam enim triplex ille diuersissimarũ inter se rerum essendi modus, est vnius cuiusque rei, cui competit, ab essentia ipsius incommunicabilis existens proprietas, non minùs impossibile est, vni rei, hoc est, corpori Christi, alterius, vt Angeli, & Dei, definitiuum & repletiuum essendi modum tribuere, quàm impossibile sit Dei, & Angeli naturam, seu essentiam corpori Christi, vt corpori tribui, & communicari posse,

258. Etsi igitur vtrumque verum est, quod & D. Paulus scribit, seminari corpus animale, ac resurgere corpus spirituale: & quòd futuræ beatorum gloriæ, atque immortalitatis conditionem in hac vita nec intelligere, nec definire possimus: tamen vtrunque rursus falsum est, quod hinc concluditur, non tantùm corpora beatorum non futura physica, cùm id nusquã Apostolus dixerit, verùm etiam corpora spiritualia, quæ Paulus, non inquam physicis, sed psychicis corporibus opponit, nec quid sint, nec quid non sint, definiri posse: cùm tamen Filius

tus Dei etiam de corpore suo glorificato definitionem vsurpet corporis physici: Palpate, & videte, quia Spiritus carnẽ & ossa non habet, sicut videtis me habere: *Et Iobus illustri argumento probet, quòd hac ipsa cute circumdati resurrecturi simus: Vnde etiam Africana Ecclesia dulcissimũ illum Symboli articulum διαπτυκτῶς pronuntiauit*: Credo resurrectionem HVIVS CARNIS. *Eadem igitur est corporis humani tam in nobis, quàm in Christo definitio, cùm in hac, tum in futura vita. Et quanquam futuram corporum nostrorum claritatem, qua instar Angelorum fulgebunt, ne mente quidem capere possimus: tamen non propterea sequitur, quid beatorũ corpora ipsa, in quantum corpora, vel sint, vel non sint, ignorari. Spiritus enim minimè erunt, licet spirituali luce fulsura: sed erunt carne & ossibus praedita: ideoq; tactus, & oculorum sensibus discernentur: nisi & ipsum Filium Dei in definiendo corpore suo errasse somniabimus, & Origenianorum fœdissimũ errorẽ, quasi ab Orco in Ecclesiam reuocare libeat, quem procul dubio, (res enim ipsa, & mirifica ista phantasia Vbiquitaria, quas passim in suis chartis repetunt, & cum ingenti lectoris pij tedio, ad rauim vsq; inculeant, id apertissimè declarant) clam in cordis intimo recessu & sinu fouent, quotquot corpus Christi, propter glorificationem, locale & circumscriptum amplius esse negant. Operæ igitur pretium me facturum iudico, vt breues, pias & Orthodoxas subiiciã hîc sententias D. Hieronymi, quibus iam olim idem portentum in Iohanne Hierosolymitano grauissimè pariter & doctissimè refutauit, in Epistola ad Pammachium.* Hæc enim vera *(inquit)* resurrectionis cõfessio est, quæ sic gloriam carni tribuit, vt non auferat veritatem. Et *paulò post*: Quemadmodum veras manus, & verum latus ostendit: ita verè comedit cum discipulis, verè ambulauit cum Cleopha, verè lingua locutus est cum omnibus, vero accubitu discubuit in cœna, veris manibus accepit panem, benedixit, ac fregit, & porrigebat illis. Quod autem ab oculis repentè euanuit, virtutis Dei est; non vmbræ, & phantasmatis. *Item*: Noli potentiam Domini magorum præstigiis adequare, vt videatur fuisse, quod non fuit, ac putetur comedisse sine dentibus, ambulasse sine pedibus, fregisse panem sine manibus, locutus esse sine lingua, & latus monstrasse sine costis. *Item*: Apostolus volẽs Christi corpus carneum, & non spirituale, aëreum, tenue demonstrare, significanter locutus est, dicens: Et vos cùm essetis aliquando alienati à Christo, & inimici sensus eius in operibus malis, reconciliauit in corpore carnis suæ per mortem. *Hactenus ille.*

Theodoret. dial. 2.
Leo in epi. ad Flauianum & Leonem Aug.
Origenianorum error de corporibus beatorum.
Hieronym. ad Pamm. Gloria veritatem nõ consumit.

Ceterùm, quod ad locum in altero seculo attinet, vt illum vel physicum, vel hyperphysicum forè, aut non fore, temerarium est definire, ita nullum planè locum fore in altero seculo impium est asseuerare. Cõtrarium enim sentit, docetq; Christus ipse, inquiens: Abeo vobis paraturus locum. Item: Vbi ego sum, ibi erit & minister meus. Et Apostolus clarè asserit, è cælo rediturum Christum ad iudicium. Etsi autem Disputatori nostro concedatur, in alio seculo non esse locum physicum, quem Philosophi corporis ambientis superficiem, qua corpus locatum commensuratiuè circumscribitur, & continetur, definiunt, ideoq; locum extrinsecum vocant, & vacuo apponunt: tamen sicut corpora beatorum non desinent esse vera, & semper eadem numero corpora, atq; sic esse quanta, suaq; propria quãtitate, & membrorũ symmetria finiri, ita quoq; non definent suo spatio, quod intra se occupant, quasi intrinseco loco contineri. Nam si corpus est, extensa quantitatis suæ, sine quacunque non est corpus, spatium, quo finitur, esse oportet: & si spatiũ est, in eo corpus est. Hoc qui negat, non iam philosophiam, sed rerum veritatem, per contradictionis implicationem euertit. Hinc Augustinus in superiùs allegata ad Dardanum epistola, hoc physicũ axioma: spatia locorũ à corporibus, quamdiu corpora sunt, & manent, auferri non posse: accommodat responsioni suæ, qua per plurium locorum præsentiam, quam ex vnita corpori Christi diuinitas inferri posse putabat Dardanus, veritatem ipsius destrui & auferri dicit.

Duplex philosophis locus: extrinsecus & intrinsecus.

Hic est veri corporis modus, de quo loquitur Augustin.

Hoc etiam fatetur Disputator supra, thesi 267.

259. Eadem est responsio de maiestate exaltationis ad dextram Dei, cuius respectu etsi verissimum est, carnem Christi etiam in sese ineffabili gloria & potentia, res creatas omnes, non homines tantùm, sed ipsos etiam Angelos, quàm longissimè superare: tamen falsum est, & ab vniuersa sacra Scriptura veritate, adeoq; ab vnanimi totius Ecclesiæ Orthodoxæ consensu alienissimum, quod inde monstrosa planè consequentia colligitur: Massam illam corporis humani, ex vtero matris Virginis in hypostasin Verbi assumtam, omnibus rebus creatis, simul & semel ab initio potuisse, & verè nunc esse præsentem, conscia mente, conformi voluntate, adeoq; inenarrabili virtutis diuinę κοινωνίᾳ. *Multiplex n. huic argumento contradictio inest, Miscetur articulus incarnationis, cum articulo sessionis ad dextram Dei, vnde necessariò status humiliationis cum statu exaltationis confunditur, atq; ita vterq; aboletur, vel in phantasma conuertitur: siquidem autem alibi, corpus Christi, secundum quod locale & circumscriptum est, in Deo esse negant, atq; hic clarè fatentur, idem corpus nunc demum verè omnibus rebus præsto esse: sequitur, quòd potuerit quidẽ, cùm adhuc in terris Chri-*

In libro Bergensi.

stus obambularet, corpore suo in Deo esse, sed quòd reuera in Deo nondum fuerit: atq; sic non vnam cum Deo personam, sed in propriæ suæ naturæ persona separatum à Deo Christum fuisse, quod Nestorius voluit, adeoq; non in Deo, sed in meri hominis persona totam salutis nostræ œconomiam peregisse, locale & circumscriptum Christi corpus, necesse faerit. Omitto Monotheletarum delirium, quod Disputator conceptis quasi verbis defendendum hîc suscepit. Cùm autem nec vnio hypostatica, nec corporis assumti glorificatio, nec ipsa Christi ad dexteram Dei exaltatio tollat veritatem naturæ humanæ, quæ est finita & localis: omniq; exceptione maius sit Angelorum testimonium, qui clara voce, vt omnem nobis scrupulum eximerent, dixerunt: Hic Iesus, qui assumtus est à vobis, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cęlum. *His igitur de causis, explosis fanaticis Vbiquitariorum somniis, subscribamus Augustino, totius Orthodoxæ Ecclesiæ fidem, de Christi, etiam iam in gloria constituti, corpore physico, organico & finito, recitanti: & grauissima iam olim censura Patres Bergenses redarguenti, ac confutanti:* Sicut, *inquit*, Filium Dei, & redemtorem nostrum, secundum diuinitatem inuisibilem, incorporeum, & incircumscriptum non credere, impium est: ita eundem Dei Filium, in homine assumto, visibilem, corporeum, atque localem, post resurrectionem non credere, & profiteri, est profanum.

Vide fundamentum Lutheranæ doctrinæ. fol 179.

Act. 1.

260. *Hinc igitur omnis ista Disputatoris battologia concidit, quamuis triplicem illam de corpore Christi triformi absurditatem, quam hactenus funiculis argumentorum ex arenis contextis, vtcunq; fulcire conatus est, totidem nouis paradoxis triplicat: memor, vt videtur, illius dicti veteris Poëtæ: Veritatis simplex est oratio: mendacium verò multis sophismatum pharmacis indiget, vt verisimile appareat. Deniq; prouerbij Germanorum: Ad vnum mendaciam artificiosè pingendum, nouem aliis fucatis coloribus opus esse.*

Triplex Vbiquistarũ corporis Christi Vbiquitas.

261. *Quid enim absurdius, quàm Sessionem Christi ad dexteram Dei sic interpretari, vt inde concludas, carnem à Filio Dei assumtam in gubernatione vniuersi omnibus creaturis realiter præsentẽ adesse? Quamuis enim Sedere ad dextram Dei, pari sit proculdubio cum Deo potentia (quod nemo negat) omnia in cælo & terra gubernare: & humanæ etiam Christi naturæ omnia subiecta esse (licet psalmi dictum de persona loquatur, eodemq; Apostoli testimonio Lutherus Christi Deitatem probet, atq; confirmet) vltrò concedamus: tamen hæc omnia, salua vtriusq; naturæ in Christo proprietate, intelligẽda esse, etiam Catechumenis notum est. Nec primus gradus præsentiæ* D B1, *qui con-*

Sessio ad dexteram Vbiquistis est, vniuersalis omnipræsentia carnis Christi in omnibus creaturis.

seruationem vniuersi respicit, vlli creaturæ communicari potest quin eandem in societatem creationis adsciscas.

Vt igitur creatio rerum omnium, est opus manuum, vt cum psalmo loquamur, solius omnipotentis Dei opificis: ita eiusdem vel conseruatio, vel administratio, est actio solius naturæ creatricis, non carnis, cui nihilominus opera manuum DEI in Christo subiecta sunt, cùm Filius Dei non extra carnem, sed in carne, omnia sibi subiecta pari cum Patre potentia gubernet, secundum

Phil 3. ἐνέργειαν, qua etiam sibi omnia subiicere potest.

262. Iterum autem Disputator manifestè Nestorianismum prodit, quando humanitatem Christi, & Filium hominis pro eodem termino sumit. Filium enim hominis, hoc est, Christum vbiq; esse personaliter, vt Scholastici loquuntur, in cælis autem localiter, & in Cœna sacramẽtaliter: adeo verum est, vt vel ex hac vnica sententia, lis omnis iamdudum componi potuisset, nisi, quæ de Vbiquitate Filij hominis dicuntur, Patres Bergenses malitiosè ad naturam Christi assumtam detorquerent: de qua, si Disputator etiam psalmorum, quos citat, argumentum intelligi vult, non poterit non eandem constituere æternã, cùm vterque, tam secundus, quàm septuagesimus secundus probent, Meßiam, Filium illum Dauidis non fore ψιλὸν ἄνθρωπον, sed coæternum Dei Filium, hodie, id est, ab æterno ex Patris substantia genitum. Is ergo pro nobis interpellans, impetrauit sibi gentes hæreditatem, & possessionem terminos terræ. Vt vel ex hoc vnico testimonio satis superq; Vbiquitariorum delirium refutetur, qui quæcunq; Christo data sunt in tempore, soli ipsius carni adscribunt, eaq; ratione, vt suprà multoties ostensum est, Patrem cum carne vnitum faciunt, quæ tamen ab initio, cùm nondum esset, nec intercessit pro nobis, nec decretum illud æterni Patris capere potuit. Non enim loqui in psalmis indicatis Dauidem de natura tantùm assumta, sed de tota persona, cùm nomen Meßiæ expressè testatur, tum id ipsum luculentè declarant vnanimes illæ ad Deum preces Apostolorũ, quæ recitantur Act. 4. vt nihil dicam de cõpluribus aliis argumentis illustribus, quæ iisdem in psalmis continentur. Et quis non vi-

Psalm. 72. det, nisi qui planè nihil videt, quod psalmo 72. scriptum est: Dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsq; ad terminos orbis terræ, de Meßiæ regno dici? Id quod Disputator inepte ad naturam corporis, & vniuersalem ipsius in omnibus creaturis præsentiam detorquet.

Filius hominis est verbũ assumtum se habens humanam naturam.

263. Etsi porrò nullas habeat actiones Filius Dei à natura, quam semel assumsit, separatus, & multa faciat ministerio naturæ assumtæ, quæ etiã suam habet efficaciam, antecellens omnibus creaturis sapientia & potentia, de-

pellen-

pellens Diabolos, protegens Ecclesiam, & multa potenter agens, quæ capiti congruunt: tamen omnibus creaturis siue hostibus, siue amicis Ecclesiæ, re ipsa præsentissimum adesse, & καρδιογνώστην agere, quem nihil eorum, quæ in cordibus hominum, quamlibet astutorum, abditissima latent, fugiat, fallátve: hoc est: Scrutari corda & renes, sunt actiones, quæ Christo competunt tantùm secundum diuinam naturam. Sin neges, simul & argumenta Deitatis in Christo, ab illis, soli Creatori congruentibus proprietatibus petita, infringes: & Euangelistam vanitatis redargues, qui id ipsum, quòd peruersas hostium cogitationes perspexit, & in lucem produxit, non Christi carni, seu humanitati adscribit, sed τῷ πνεύματι: eadem nimirũ Scripturæ phrasi, qua Petrus Christum mortificatum carne, sed viuificatum Spiritu, id est, virtute Deitatis in vitam resuscitatum affirmat. In quam sententiam etiam Cyrillus in illa verba Iohan. 2: Sciebat, quid esset in homine: Vero, inquit, Deo solum modo, nec vlli creaturarum hæc dignitas attribuitur. Vt igitur natura Deum vnigenitum esse credamus, diligenter ab Euangelista scriptum est, non fuisse illi opus, vt quis testimonium perhiberet, quòd ipse sciret, quid esset in homine. Si quidem enim, vt Scriptura testatur, solus Deus fingit sigillatim corda hominum, & in manu Domini etiam sunt corda regũ, & solus Deus est καρδιογνώστης: humana autem natura assumta à Verbo, neq; creatrix est, neque Iehoua, et sic est assumta ab eo, qui est verus Iehoua cum Patre, & Spiritu sancto: quomodo ergo καρδιογνώστης dici poterit humana natura, sine tetra naturarum diuina & humana, nec non vtriusq; proprietatum & actionum confusione. *Marci 2.* *1. Pet. 3.*

264. Sic minimè negamus, Christum Ecclesiæ suæ peculiari adesse gratia, & personali præsentia nunquam recedere, qui gratia subinde ad electos magis, magisq; accedat: iuxta promissionem: Vbi duo aut tres congregati sunt in meo nomine, ibi S V M in medio ipsorum. Vult enim suorum conatus dirigere consilio, vt quicquid aggressi fuerint, modò se totos ei regendos tradant, ad prosperum successum deducat. Sed quàm non opus habeat, ad gratiæ huius præsentiam exercendam, carnis suæ omnipræsentia: iterum vel solus Cyrillus nos doceat, cuius hæc sunt verba: Etsi corpore absens sit Christus, Patri pro nobis apparens, & ad dexteram ipsius sedens, habitat tamen in sanctis per Spiritum, nec patitur eos orphanos esse. In cælos ascendens, Spiritum immisit. Non enim carne conuersari cum Apostolis poterat, cùm ad Patrem ascenderit. Hæc ille: ideoque rectè Ambrosius: Si consurrexistis, inquit, cum Christo, quæ sursum sunt, *An Christus secundum suam naturam præsens sit Ecclesiæ.* *Matth. 18.* *Cyrillus li. 6. dialog.* *Ambrosius*

quærite, vbi Christus est ad dexteram Patris sedens. Et quia magis hoc animorum, quàm oculorũ est, addidit Paulus: Quæ sursum sunt, sapite, & non quæ sunt super terram. Ergo non super terram, nec in terra, nec secundum carnem quærendus est Christus, si volumus eum inuenire. *Astipulatur etiam Augustinus, inquiens:* His dictis, *mox ascendit in cælum*, præmunire voluit aures nostras aduersus eos, quos procedentibus temporibus exsurrecturos esse prædixerat, & dicturos: Ecce hîc est Christus, ecce illic, quibus ne crederemus, admonuit: nec vlla nobis excusatio est, si crediderimus aduersus vocem Pastoris nostri tam claram, tam apertam, tam manifestã, vt nemo vel obtusus, & tardus corde possit dicere, Non intellexi. *Item:* Vbi & quomodo in cælo sit corpus Dominicũ curiosissimum & superuacaneũ est quærere: tantummodo in cælo esse credendum est. Donec enim seculum finiatur, sursum est Dominus: & tamen etiam nobiscum est Veritas Dominus. Corpus enim, in quo resurrexit, vno loco esse oportet: Veritas autem ipsius vbique diffusa est. Ideo autem absentauit se Dominus corpore suo ab omni Ecclesia, & in cælum ascendit, vt fides ædificetur. Noli itaque dubitare, ibi nunc esse hominem Christum, vnde venturus est, secundum Christianam Confessionem: Resurrexit à mortuis, ascendit in cælum, sedet ad dexteram Patris, nec aliunde venturus est, in eadem carnis forma & substantia. *Item*: Prorsus hîc est Dominus noster Iesus Christus: imo hîc erat secundum carnem, modò hîc est secundum diuinitatem: Ascendit in cælũ, ibi sedet ad dexteram Patris: hoc audiant, & teneant. Respondet aliquis: Tenebo absentem? Quomodo in cælum manum mittã, vt ibi sedentem teneam? Fidem mitte, & tenuisti. parentes tui tenuerunt carne: tu tene corde, quoniã absens Christus, etiam præsens est: nisi enim præsens esset, teneri non posset. *Et post*: Secundum corporis præsentiam & carnem, quam Verbum assumsit, ascendit in cælum, non est hîc: ibi sedet ad dexteram Patris, & hîc est. Non enim recessit præsentia maiestatis, seu diuinitatis. Secũdum præsentiam maiestatis semper habemus Christum: secundum carnis præsentiam rectè dictum est: Me autem non semper habebitis. *Idem Hieronymus sensit*: Christus non est corporaliter in Ecclesia; surgens enim à mortuis, ascendit in cælum. *Item Ignatius*: Cùm

Lib. de Gest. Eccles. cap. 10.

Lib. de fide & Symb. cap 6

Tract 30 in Iohan.

Serm 140. Ad Dardanum.

Vbi sit Christus.

Tract. 50. in Iohann.

Lib. 1. Prouerb. ca. 8.

Epist. 2 & 7

Cùm quadraginta dies esset cum Apostolis conuersatus Christus, assumtus est in sedem paternæ dextræ, vbi tamdiu permanet, donec aduersarij subiiciantur pedibus suis. *Hac illi.* Quæ cùm negare non posit Disputator, glossam humanam esse causatur, qua dimidius Ecclesia obtrudatur Christus. Hoc verò quid aliud est, quàm execrandi huius sacrilegij totam Orthodoxam antiquitatem, à qua dimidius tantùm huc vsq; in Ecclesia agnitus, & prædicatus fuerit Christus, ab hoc improbo Sycophanta ream fieri, & condemnari? Quis est autem, qui ignorat, istam in Ecclesia Dei, iam inde ab initio receptam interpretationem locorum Scripturæ, Matth. 18. & 28. de diuinæ ipsius naturæ & maiestatis præsentia, nec temerè, nec humano tantùm commento, sed primùm ab hac aliorum locorum Scripturæ collatione, quibus Christus dicit, quòd in cælum ascendens, ex hoc mundo sit à nobis discessurus, & quòd non semper ipsum simus habituri: Deinde propter veritatem & proprietatem humani corporis, quòd vbiq; esse non posit, sed, vt Petrus loquitur, cælo suscipi, in eoq; commorari oporteat, vsq; ad tempora restitutionis omnium, donec denuò missus apparebit: ex iusta atq; consentiente articulorum fidei analogia, ab Ecclesia perpetuò fuisse approbatam? Qui enim hunc mundum reliquit, à discipulis suis recessit, & in cælum ascendit, indeq; rediturus expectatur: quomodo dici potest, secũdum eam naturam, cuius hæc propria sint, hîc in mundo apud nos mansisse? aut quid est, quod Paulus Christum ad dexteram Dei in cælis consedisse, & non hîc super terram esse dicit? Denique, quomodo ex cælis rediturus creditur & expectatur, qui corpore suo nunquam recessisse, sed perpetuò hîc in terra mansisse perhibetur? Quid igitur iure reprehendi in ista Patrum interpretatione potest? quæ dum Christum in loco, & extra locum in cælo, & vbique, nobiscum, & non nobiscum esse dicunt, vtriusq; naturæ & proprietatis mysterium per hoc, atque etiam duplicis præsentiæ modum, corporalis videlicet & spiritualis, agnoscendum esse voluerit Aristarchus atque nouator iste, Christum per hoc solui & diuidi, mendaci ore calumniatur. An verò non multa sunt Scripturæ dicta, quæ etsi de toto Christo loquantur, non tamen nisi alterius naturæ respectu dicta intelligi, & vera esse possunt? Ait Christus: Antequam Abraham esset, ego sum. *Item*: Nemo ascendit in cælum, nisi Filius hominis, qui est in cælo. *In quibus & aliis eiusmodi Scripturæ de Christo dictis, rectè & secundum fidei analogiam intelligendis, Augustinus & Orthodoxi in Ecclesia Patres diligenter attendendum esse præcipiunt: quid, propter quid, & quid, secundum quid, de Christo in Scriptura dicatur. Sic enim à recta ipsius cognitione non aberrari.*

Supra thesi 243.

Sic Gertit Syrus inter pres & Lutherus.

Augustin. tract. 87. in Ioan. Hebr. 8.

Vigil. Martyr lib. 1 cõtra Eutychen.

Augustin. tract. 77. in Ioan.

In epist. ad Dardanũ.

Quæ igitur maior iniuria fieri potuisset Orthodoxis Patribus, quàm quod ipsi expressè cauere voluerunt, hoc iis ab hoc scelerato Calumniatore in crimen imputari debere. An enim non Origenes negat discrtè, se suscepti corporis hominem soluere? An non idem facit Cyrillus? Vtriusque naturæ proprietatem, qua secundum carnem discessit, Deitatis autem virtute adest omnibus, vni, eidemq; Christo attribui ait, ne quis hac naturarum atq; proprietatum distinctione, ipsum in duos diuidat filios. An denique non idem quoq; faciunt Augustinus, Fulgentius, & Theodoretus? qui vnitatem personæ nullatenus diuidi per hoc dicunt, quod in vno Christo vtriusq; naturæ propria sic discernuntur.

Homil. 33. in Matt.

Li. 9. ca. 21 in Iohann.

Ad Dardanum.

Ad Thrasimundum.

Ex quibus aduersus improbi huius Disputatoris accusationem, qua Orthodoxos Patres in crimen deprauatæ hac in parte Scripturæ, & diuisi, dimidiatiq; Christi, vocare non dubitat, hanc opponemus præscriptionem. Scriptura non est priuatæ alicuius hominis interpretationis, nec recipienda est in Ecclesia, ad introducendum aliquem fidei articulum, qualis est iste, de vtriusq; naturæ Christi vbiquepræsentia, eiusmodi interpretatio, quæ in alios Scripturæ locos incurrit, atq; etiam rei, de qua agitur, naturæ & veritati repugnat: Denique, quæ nullum in tota Ecclesiastica antiquitate habet testimoniũ & consensum. Hoc enim esset noui dogmatis in Ecclesia authorem esse, sicut hactenus nunc primùm introducta interpretatione istorum Scripturæ locorum, reuera est ille falsus Orthodoxorum Patrum accusator, cuius quæ sit improbitas, omnisq; fidei & conscientiæ expers impudentia, vel hinc deprehendi manifestissimè potest, quod suprà ex adductis Patrum testimoniis, realem se diuinarũ proprietatum communicationem in humanam naturam, ac proinde etiam ab hac reali communicatione, vtriusque naturæ in Christo vbique præsentiam constantissimè asseruisse videri voluit: iam verò cùm prorsus in contrariã sententiam dicta Scripturæ, quæ ad Vbiquitariam hanc præsentiam nouo & impio sensu detorquere conatus est, intellecta & explicata videt ab vniuerso totius Ecclesiæ Patrum consensu, fidem ipsis rursus planè derogat, & per humanam glossam dimidiũ tantùm hoc modo Christum obtrudi vociferatur. Quis autem hanc ipsius immanem audaciam, cum teterrima calumnia totius Orthodoxæ antiquitatis coniunctam, diutiùs ferat? Quin igitur ex hac ipsorum Patrum analoga fidei interpretatione, certo & indubitato testimonio, atque argumento colligimus, quoniam de vtriusque naturæ in Christo vbiquepræsentia, visitata illa Scripturæ dicta, intelligenda esse non volunt, eamq; ex vnitate personæ Christi negant inferri posse, vel debere, omnia quoque illa, quæ in superioribus Thesibus, pro reali sua communicatione ex Patribus adduxit

Regula de interpretatione Scripturæ.

Nota insignẽ Disputatoris fraudem.

Suprà thesi 98. 129. 201. & 211.

Disputa-

Disputator, non serio, nec ex iusta ipsorum sententia, sed tantùm in speciem, ex præconcepta erroris sui opinione, ad cerussam & colorem ipsi per hoc obducendum, adducta fuisse. Quî enim fieri posset, vt cum laudatore suo, de reali cõmunicatione consentiant citati & laudati ab eo Patres, quì istî vtriusq; naturæ Christi vbique præsentiæ, quam is inde inferre & stabilire voluit, apertè & vno ore omnes contradicunt. Et tamen adhuc fastuosè gloriari non veretur, nihil se cum perpetuo totius Ecclesiæ consensu pugnans in his suis Thesibus profiteri. Si hoc non est, ad fascinandos imperitorum animos, impostorem potiùs, quàm in tuenda veritate Theologum & Disputatorem agere, iudicent omnes sanæ mentis, & quibus rectè sentiendi studium est.

Hic respondeat si potest, Disputator.

Supra thesi 140.

265. Quòd autem propter præsentiam Christi in Cœna, singularem corpori ipsius modum Vbiquitatis adscribunt Patres Bergenses, adeo cum verbis institutionis non congruit, vt olim Patres Orthodoxi ex hoc ipso Sacramento corporis Christi pro nobis traditi, veritatem naturæ assumtæ in perpetuum, saluis ipsius proprietatibus, aduersus Eutychianos & Marcionitas defenderint, quos approbato Vbiquitatis somnio, refutare hinc minimè potuissent.

Vide Orth. consens. c. 5.

Apparet autem ex hac Thesi, quòd iste singularis præsentiæ corporis Christi in Cœna modus, quem nobis inculcat hic Disputator, ab vniuersali illo præsentiæ in omnibus locis & creaturis modo, non discernatur neq; per causam, neq; per essentiam, sed sola relatione & vsu: quod etsi hoc loco affirmare non est ausus expresse callidus sophista, alibi tamen cum suis gregariis Theologis sine dissimulatione contendit, verba Cœnæ non esse corporalis præsentiæ effectiua, sed corpus Christi iam antè, quàm ad vsum Dominicæ Cœnæ adhibeatur, in pane, & quauis alia creatura, verè & realiter adesse: propter quam vniuersalem præsentiam, seu vbiquitatem corporis Christi, vesanè docet Liber Bergensis, Dominicam Cœnam in testimonium ipsius & confirmationem esse institutam. Ex quo quid aliud sequitur, quàm sublata hac Vbiquitaria præsentia, in omnibus creaturis, nullam supereſſe corporalem præsentiam in pane? Eaq; procul dubio causa est, quòd hãc Vbiquitariã præsentiam, nomine trium Electorum deputati Theologi, inter quos præcipuus hic Disputator fuit, coram Principe Anhaldino, pro certo & immoto fidei articulo, magno & fastuoso supercilio, agnoscendum & recipiendum esse voluerunt.

Thesi Tub. 81. & cõtra Heidelb. fol. 60.

In libro Anhaldinorũ, fol. 74.

266. Sic ergo potiùs se res habet. Qualis prædicatio, talis præsentia. At prædicatio est Sacramentalis. Ergo etiam præsentia est Sacramentalis. Sacramẽtum autem est signum non inane, sed verè exhibens res significatas legitimè ytentibus. Vnde & veteres mysterium, id est, Sacramentum esse dixerunt,

actionem in oculos, & sensus externos incurrentem: sed qua habeat, & requirat spiritualem contemplationem, atq; considerationem. Id quod Graeci Theologi rotundius & elegantius dicunt: μυστήριόν ἐστι πρᾶξις ὁρωμένη, θεωρίαν ἔχουσα πνευματικήν. *Ideoq; Lutherus ipsemet olim verba Cœnæ, non quasi corporalis in pane præsentiæ effectiua, sed vt verba promissionis & gratiæ intelligenda esse voluit.* In omni enim Sacramento, *inquit*, inest Verbū diuinæ promissionis, quod requirit fidem. Itaque sicut hoc promissionis verbo: Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit baptizato & credenti salus in baptismo offertur & donatur: ita quoque in isto promissionis verbo: Accipite, & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur: promissionē hanc fide acceptanti, corpus Christi offertur & distribuitur. Sic enim sentimus, panem esse corpus, & vnum sanguinē Christi, quia aliud vident oculi, aliud fides verbo adiuta credit. *Hæc ille.* *Adde quod idem Lutherus Syngramma Theologorum Sueuiæ, & confessionem VValdensium, præfixa præfatione non tantùm approbauit, sed etiam commendauit, & idem se cum iis sentire, publicè diserte verbis protestatus est: quorum tamen sententia Vbiquitati & Sphingi Bergensi ex diametro repugnat. Nec puto vel Syngrammatis, vel VValdensium Confessio in suspicionem erroneæ de Cœna doctrinæ vocari à Patribus Bergensibus, quin simul Lutherum erroris Sacramentarij suspectum reddant. Libet tamen etiam ex antiquitate vnum atque alterum testimonium adscribere. Sic enim Eusebius Emissenus, contra Vbiquitariam corporis Christi in Cœna præsentiam:*

Verba Cœnæ sunt verba promissionis & gratiæ. Orth. consens. fol. 167.

In Serm. de Eucharist.

Citatur in decretis de consecrat. dist. 2. cap. Quia corpus.

Quia corpus assumtum ablaturus erat oculis, & illaturus fyderibus, necesse erat, vt die Cœnę Sacramentum nobis corporis & sanguinis consecraret, vt coleretur iugiter per mysterium, quod semel offerebatur in pretium.

Augustinus de verbis Domini citatur de Consecrat. dist. 2. cap. Quid est.

Qui discordat à Christo, nec carnem Christi manducat, nec sanguinem bibit: etsi tantæ rei Sacramentum ad iudicium sui quotidie accipiat.

Idem in Sermone de verbis Domini: citatur eadem distinct.

Quando Christus manducatur, vita manducatur.

Item:

Ideo ista Sacramēta dicuntur, quia in eis aliud videtur, & aliud intelligitur. Videtur panis & calix, quod & oculi renuntiant;

Quod

Quod autem fides instruenda postulat, panis est corpus Christi, calix est sanguis.

Idem ad fratres in Eremo. Serm. 28.

Hoc Sacramentum ideo nobis datum est, vt corpus, quod est in terris, cum capite, quod est in cælis, coadunetur.

Idem Serm. 2. de verbis Domini.

Putastis, quia de hoc corpore, quod videtis, partes facturus sim? & membra concisurus, & vobis daturus? Illud manducare, refici est. Illud bibere quid est, nisi viuere? Tunc autem corpus, & sanguis Christi erit vita vnicuique, si quod in Sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritualiter manducetur, & bibatur.

Tertull. lib. 4. contra Martionem:

Iesus acceptum panem, & distributum discipulis, corpus suum illum facit: Hoc est corpus meum dicendo, id est, figura corporis mei.

Hilarius lib. 8. de Trinit.

De naturali in nobis Christi veritate, quæ dicimus, nisi ab eo discimus, stultè atque impiè dicimus. Ipse enim ait: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui edit carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo. De veritate carnis non relictus est ambigendi locus. Nunc enim & ipsius Domini professione, & fide nostra verè caro est, verè sanguis, & hæc accepta, atque hausta id efficiunt, vt & nos in Christo, & Christus in nobis sit.

Cyrillus lib. 11. cap. 20 in Ioannem.

Virtus sanctissimæ carnis Christi vnum corpus facit participantes. Ea de causa comparticipes Christi, & cõcorporales sumus.

Chrysost. homil. 83. in Matthæum.

Quoniam duplex est homo, & corpori coniuncta est anima, in rebus sensibilibus intelligibilia dona, (id est, quæ non sensibili actione corporis, sed spirituali mentis & fidei intelligentia percipiuntur) traduntur.

Syngramma Brentij.

Nam edimus corpus, & bibimus sanguinem carne, non vt cor- F. 1.
pus Christi atteramus, & frangamus, vt est in reuocatione Berengarij, sed panem ipsum, qua panis est, tractamus, frangimus, edi-

mus,& dentibus atterimus. Corpus autem accipimus, quâ Verbum accipimus, HOC EST CORPVS MEVM, vt pulcherrimè quidam dixit: Quod edimus intrat ventrem, quod credimus intrat mentem.

Lib. 4 sent. distinct. 11. quæst. 2.

Durandus de S. Portiano, quem Gerson vocat Doctorem resolutißimum.

Vixit anno Christi 1318.

Esse in Sacramento, non est habere nouum VBI. Nam VBI est circumscriptio corporis à circumscriptione loci procedens. Cùm igitur corpus Christi non sit in Sacramento circumscriptiuè, patet, quod non est in eo, tanquam in aliquo VBI.

267. Secundum hanc igitur sacræ Scripturæ, & Orthodoxæ antiquitatis, non Patrum Bergensium normam, si doctrina de persona Christi proponatur, articuli Symboli Apostolici non confunduntur, aut deprauantur: è regione verò, hæreticorum errores facilè, perspicuè & neruosè confutantur, quos noua Pandora nomine tenus reiicit, re confirmat.

268. Ex reali enim proprietatum, seu Idiomatum communicatione manifestum est, & iam antè luce meridiana clarius demonstratum, nec vnitatem personæ Christi doceri ac defendi posse, sed potiùs aboleri & euerti: nec vel Nestorij, vel Martionis, vel Eutychetis, vel Apollinaris, vel Monotheletarum furoribus verè occurri posse: sed potiùs eosdem quasi postliminio in agrum Domini reuocari, & contra sapientißima & sanctißima non tantùm Cõciliorum decreta, verùm etiam Magistratus Christiani edicta renouari, nouisq; sophismatum strophis palliari, excusari, ac confirmari.

Vide edictũ Iustiniani.

Vbiquista falluntur in non rectè intelligenda Nestorij sententia.

269. Quod enim ad Nestoriũ attinet, quem impudenter negat Disputator, duas circa Christum asseruisse personas, & alium hominis, alium Dei Filium statuisse: vel ex sacrosanctæ Trinitatis mysterio liquet, eorundem Idiomatum realem communicationem, seu participationem, non nisi inter plures personas, quarum eadem sit natura, locum habere: vt dubium non sit, vtramque, tam Nestorij, quàm Eutychetis hæresin vno, eodemq; Patrum Bergensium argumento, in Ecclesiam importari. Ecquid verò tam à se ipso dißidens, támque repugnans sibi, dici excogitarive potest, quàm vnio & communicatio realis, qualem sibi opinionis errore fingunt Vbiquitarij. Vnio enim est diuersarum naturarum copulatio: realis verò communicatio, quicquid isti verbis in contrarium profiteantur, easdem in proprietatibus non tantùm confundit, adeóq; naturarum vnitatem pro vnione infert, dum vnius proprietates in alteram transfundi asserit, & certas earum notas & differentias, è quibus agnosci debent,

bent, tollit: verùm etiam in hypoſtaſi diuellit, cùm quæ ſunt Deitatis, reali participatione in humanitatem transferat, cui ſimul naturam, hypoſtaſin, maieſtatem, & actiones diuinas realiter communicari Patres iſti Bergenſes contendunt. Vnde ſicut hanc propoſitionem veram eſſe clamitant: Humana natura eſt omnipotens: *ita etiam illam veram eſſe, cùm vtraq; ſit falſiſſima, neceſſariò concludent:* Humana natura eſt perſona. *Quia vna eadémque communicatione (inquam) reali, naturam, perſonam, idiomata, & actiones diuinas carni aſſumtæ tribuunt. Vtq; prior illa propoſitio Eutychiana: ita hæc altera Neſtoriana eſt. Atq; ita ſimul Eutychiſmum & Neſtorianiſmum in agrum Domini reuocant. Quid autem Neſtorius de perſona Chriſti ſenſerit, diſcamus ex verbis Leonis Epiſcopi, ad Leonem Auguſtum:* Anathematizatur (*inquit*) Neſtorius, qui beatam virginem Mariam, non Dei, ſed hominis tantummodo credidit genitricem, vt aliam perſonã carnis, aliam faceret Deitatis: nec vnum Chriſtum in Verbo Dei, & carne ſentiret, ſed ſeparatim, atque ſeiunctim alterum Filium Dei, alterum Filium hominis prædicaret. *Hinc Synodus Epheſina Neſtorium, non propterea, quòd duas in Chriſto naturas, per differentes ipſarum proprietates inter ſe diſcerneret, ſed quòd vnam vtriuſq; per vnionẽ hypoſtaſin & perſonam eſſe negaret, damnauit.* Euangelicas quippe de Chriſto voces, (*ait Synodus*) non in duabus ſubſiſtẽtiis, aut perſonis partimur: non enim duplex, ſed vnus eſt Chriſtus, etiamſi ex duabus differentibus rebus in vnitatem, quæ diuidi non poteſt, coierit: vni itaque perſonæ, hoc eſt, vni hypoſtaſi incarnati Verbi omnes ſunt Euangelicæ voces adſcribendæ. *His verbis non ſolùm explicat Synodus, quæ vera ſit duarum naturarum in Chriſto vnio, nempe quòd ſit ineffabilis & inenarrabilis vtriuſque naturæ Chriſti, ſalua & non ſublata earum differentia, in vnam perſonæ hypoſtaſin concurſus, ſed etiam qualis ſit illa, quæ ex hac vnione naſcitur, Idiomatum communicatio, qua vtriuſq; naturæ propria, nõ ſibi mutuò, ſed vni ex vtraq; natura compoſitæ hypoſtaſi tribuuntur, ſeu adſcribuntur, tradit: quorum neutrum admittere voluit Neſtorius. Idem de Neſtorio teſtatur Theodorus presbyter:* Neque enim idcirco, *inquit*, duarum naturarum numerum aſſerit Neſtorius, vt veritatem in Chriſto Deitatis ac humanitatis, eaſdemque immutatas & immanentes, ac inconfuſas ſignificet, verùm vt duas perſonas ipſo binario numero fraudulenter ſubinnuat: Naturarum appellatione vice perſonarum malitiosè profectò vſurpata, ac peruersè nouato na-

Leo Rom. epiſt. 97.

Ergo alius eſt Filius Dei, alius Filius hominis.

Chriſtum in diuiſum per hypoſtaſin.

Vnio perſonalis quid.

Theodorus. pag. 10.

Sic Vbiquiſta Hominẽ & humanitatem idem eſſe dicunt.

turarum per licentiam vocabulo, id introducens, quod de personis sentire nefariũ est: adeò, vt alius sit apud eum Christus, & alius DEVS Verbum, accepto à maioribus errore. Filius enim fuit Cilicis illius, Samosateni verò nepos. Itaque aduersus venerandam Virginem irreconciliabile bellum suscepit, Mariam vt puram illam Dei matrem minimè reueritus, sed vt seruus ceruicosus & impudens, Dominũ suum abnegans, & eius matrem aspernans, nec tã illi Deiparæ, quàm ei, qui ex ipsa natus est, Deitatis nomẽ inuidẽs. Hic ille est igitur Nestorius, qui tertius istius hæresis Iudaicæ factus propugnator, eam in semet ipsum deriuauit. *Hæc Rhœtensis. Ceterùm realem Idiomatum communicationem, licet phrasin fortasse nõ audierit: tamen re ipsa in persona Christi adeò non negauit Nestorius, vt in Ephesina Synodo propter hunc errorem condemnatus sit, quòd hac sola maiestatis, honoris & potestatis, seu virtutis communicatione, duas Christi naturas vniret, duásq; proinde personas, ac totidem Filios in Christo constitueret, id quod ex verbis Anathematismi liquidò constat, quæ sic habent*: Si quis in vno Christo diuidit subsistentias post vnitionem, sola societate coniungens ea, quæ secundum dignitatẽ est, vel etiam authoritatem, aut potestatem, & non magis conuentu, qui per vnitatem factus est naturalem, Anathema sit. *Recitantur etiam verba Nestorij à Cyrillo, cùm alia, tum hæc, quibus suam de vnione sententiam ipse explicat*: Dic eum qui susceptus, quòd sit Deus: appone susceptum: quia serui forma: adiice post hæc connexionis dignitatem, quia duorum autoritas communis, quia duorum eadem dignitas: naturis manentibus, fatere dignitatis vnionem, vbi apertè duo statuuntur, qui separatim considerantur, vniti communi auctoritate & dignitate. *Hæc ille.*

Vide Cyril. in Apologet Anathemat. 9. & in expos. Symb Nicæni. Anath. 3.

270. *Quisquis igitur naturarum & Idiomatum communicationem realem in Christo talem somniat, qualem Patres Bergenses comminiscuntur, vt videlicet non tantùm Deitatem, sed ipsam etiam Christi humanitatem reali Idiomatum diuinæ naturæ participatione, fingat esse omnipotentem, omniscium, & vbiq; præsentem: is reuera naturas Christi confundit, & personam diuidit, adeoq; Nestorianus simul, & Eutychianus est, quorum vtraq; hæresis Christum soluit, & iuxta doctrinam Apostoli, ex Deo non est. Quid enim est soluere Iesum, nisi carnis assumtæ proprietatibus sublatis, humanam ab eo separare naturam, & Sacramentum fidei, per quod vnum saluati sumus, impudentissimis*

dentißimis euacuare figmentis? teste Leone ad Flauianum. Sicut autem naturæ per vnionem, seu κοινωνίαν earum, in vnam personæ hypostasin concurrunt, & coniunguntur, at q; sic quelibet, non seorsim, in sua propria, sed coniunctim in vna communi vtriusque hypostasi personata subsistit: ita quoque, quamdiu per diuersas hypostases naturæ non diuelluntur, personam in Christo sam diuidi, seu Christum solui, nemo sine impudenti calumnia audebit affirmare. Ab hoc enim scelere, vt suprà circa thesin 264. annotatũ est, satis se cõtra hunc falsum accusatorẽ excusant, & tuentur Orthodoxi in Ecclesia Patres. Sic autem de vera & Nestoriana personæ Christi distractione Cyrillus scribit: Hoc est vnum Dominum nostrum Iesum Christum diuidere in hominem propriè, & Deum Verbum propriè, vbi duæ intelliguntur personæ & subsistentiæ. At nosse duarum naturarum discrimen, non est vnum Christum in duo secare. Et Iustinianus in Edicto: In mysterio Christi vnitas secundum compositionem, confusionem & diuisionem reiicit, & seruat quidẽ vtriusque naturæ proprietatem, vnam tamen subsistentiam seu personam diuini Verbi, & cum carne ostendit. Si quis autẽ in mysterio Christi sic duas naturas fatetur, quasi separatim vna quæque natura suam habeat subsistentiam, sicut Theodorus & Nestorius blasphemarunt, Anathema sit. Ex his primum, qua vera sit personalis vnionis ratio, discat, & postea, quomodo hæc vnio soluatur, & persona verè diuidatur, melius intelliget Disputator.

Epist 10.

Contra sal personæ distractionem.

Vera persona Christi distinctio.

Ia Apolog. Anath 5. & ad Eulogium

Edictum Iustiniani.

Hic notate Vbiquistæ.

271. Quid autem nisi Martioniticum phantasma est corpus Vbiquitarium, ab omnibus corporis humani proprietatibus abstractum, & loco nullo circumscriptum: denique tota definitione à corpore palpabili, & visibili diuersum? Quomodo enim summos illos redemtionis nostræ articulos in meram δόκησιν καὶ φαντασίαν à se transformari negabunt, qui sentiunt ac docent, omnes diuinitatis proprietates, ab ipso statim vnitionis momento, fuisse à diuinitate τὸ λόγου assumtæ humanitati Christi reali participatione communicatas, & in eam effusas? Quomodo verè in sua natura humana infirmus, & passionibus obnoxius fuit Christus, si tunc etiam secundum eandem naturam diuina maiestatis & omnipotentiæ particeps fuit, cùm vermis esset, & non homo? Quomodo etiam verè mortuus fuit, si etiam ipso mortis tempore, secundum animã & corpus essentialiter fuit vbique vnà cum diuinitate præsens? Non enim, secundum istorum opinionẽ, anima omnipræsens, à corpore, & ipso aquè omnipræsenti, locorũ spatio realiter separari, ac proinde nec corpus mori, nisi κατὰ

Corpus Vbiquitariũ, quod Christo tribuitur, est Marcionisticũ.

τὸ δοκεῖν, potuit, id est, iuxta imaginationem, seu hominum respectu. Quomodo deniq; non phantasticus fuerit eius in cælum ascensus, si corpore suo substantialiter ibi fuit, antequam eò visibiliter ascenderet, & postquam ascendit, substantiali eiusdem corporis præsentia, quamuis mutata & deposita visibili forma, non minùs verè, quàm antè in terris, imò in ipsis etiam credentium corporibus manfit? Quod si in rei veritate, non tantùm hominum respectu ista sic euenerunt: verum idemq; corpus Christi consequetur simul re ipsa fuisse imbiquistarũ firmum & omnipotens, humile & glorioſum, patibile & impatibile, circumscriptum & incircumscriptum, mortuum & viuum, imò etiam viuificum.

Contradictiones Vbiquistarũ de corpore Christi.

Quis verò pius ad has τερατολογίας non cohorresçat? Quoniam tamen verbis fatetur, & contra Martionis phantasma concedit Sophista, veram & naturalem carnem, vnà cum omnibus suis proprietatibus, in vnitatem personæ à λόγῳ fuisse assumtam, cur non explicat, vt fieri hoc loco oportuit? quomodo ab hisce proprietatibus carnis, Filius Dei per vnionem dicatur homo visibilis, palpabilis, localis & circumscriptus, & tamen simul etiam ipsa caro, propter eandem cum Filio Dei vnionem, verè & realiter sit inuisibilis, impalpabilis, illocalis & incircumscripta? sicut eam vbiq; in omnibus creaturis, adéque etiam in pane Eucharistiæ præsentem existere, nefanda cum impietate fingunt Patres Bergenses: contra quos pro refutando Martionis phantasmate, Irenæus & Tertullianus, ab Eucharistiæ Sacramento, eiusmodi corporis Christi veritatem probant, de qua ipse ait: Palpate & videte, Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Nam si qua corporis qualitas, ait Tertullianus, quæ non carnea sit, opponetur, certè non nisi carnea sanguinem habebit, atque ita consistit probatio corporis, à testimonio carnis, & probatio carnis, à testimonio sanguinis. Eodem modo Chrysostomus talem carnis Christi veritatem & communicationem ab Eucharistia, contra Martionem, Valentinum & Manichæum agnoscit & probat, qualis in nostræ proprietate naturæ est assumta.

Veritas corporis Christi in Eucharistia.

Homil. 81. ad populũ.

272. Cumq; iam olim quoq; Eutychetis delirium per corporis circumscriptionem refutarit antiquitas, quomodo cõcessa Vbiquitate Christi secundum vtramque naturam, idem stabiliri delirium, negari potest? Aut enim caro cum Verbo non vbique est, aut à Verbo absorpta, nec amplius in essentialibus suis proprietatibus, diuersa ab assumentis Verbi Deitate, natura est. Cumq; vna, eademq; natura non recipiat contrarium quid, & diuersum, in seipsa, simul, & tempore eodem: & humanæ naturæ proprium essentiale sit, finitum, circumscriptum, visibile & palpabile esse, fieri nulla ratione potest, quin eadem

Vigil lib 4. contra Eutychen.

dem proprietates per glorificationem amisisse, & deposuisse statuatur, si iam aliquando esse desiit id quod Patres Bergenses minimè negant, cùm formam serui, per quam illas ipsas naturæ assumtæ proprietates essentiales intelligunt, depositam esse blasphemo ore affirmant. Atque ita palàm est, Eutychetis delirium ab Vbiquitariis non refutari, sed confirmari. Cùm enim humanitatem Diuinitati exæquent ἐξουσίᾳ, potẽtia, gloria & maiestate: quæ in Deo nihil aliud sunt, quàm vna illa, eademq; simplicissima Deitatis natura: qua conscientia negabunt οὐσίαν quoque, essentia, natura, & substantia humanam Christi naturam diuinitati æqualem esse? Cumq; idem prorsus sit, si dicas, diuinitatem realiter suas proprietates humanitati cõmunicasse, ita vt diuinæ naturæ proprietates de illa verè prædicentur: eiq;, quatenus de ea prædicantur, reuera insint, quamuis per gratiam & communicationem: ac si dicas, diuinitatẽ semet ipsam humanitati cõmunicasse, ita vt ipsa diuina natura de humana affirmetur, quomodo vnionẽ duarum naturarũ in Christo non in ipsa natura potiùs, quam in persona factam esse fingãt? qua ratione simul Patripassianorum & Eutychianorum hæresin incurrunt. Denique, cùm nihil aliud sit humanam naturam omnipotentem, omniscium, omnipræsentem euasisse, quam creaturam esse transmutatam in Creatorem ac Deum: nunquam Patres Bergenses, quicquid etiam per protestationem contrariam facto, vt solent, prætendant, à damnata Eutychianorum hæresi excusari poterunt, qui duas Christi naturas impiè simul, ac imperitè confundebant: quos refutans apud Theodoretum Orthodoxus, etiam inter alia à Dominicæ Cœnæ symbolis & antitypis talem corporis Christi veritatem, cuius in mysterio verè participes efficimur, probat: Quæ priorem suam habet, & retinet formam, figuram & circumscriptionem, adeoque corporis essentiam, quamuis immortale sit factum, & ad dexteram Patris collocatũ, ab omni creatura adoretur. *Quam argumenti rationem eodem quoq; modo sequutus est Gelasius. Hanc autem à Dominicæ Cœnæ Symbolis sic assertam ab Orthodoxis contra Eutychianos corporis Christi veritatem, quoniam per plurium, vel omnium locorum præsentiam, propter vnionem, negant Patres Bergenses, non ægrè ferant, se ex hoc Orthodoxorum Patrum argumẽto inter Eutychianos recenseri.*

Brẽtius in lib. Recogn.

Veritas corporis Christi in Cœna.

Theodoret.

273. *Quid verò ex fundamento Vbiquitariorum ad refutandos Apollinaris sectatores, qui Deitatem Verbi loco animæ, vel potiùs loco mentis in Christo fuisse somniarunt, opponi amplius poterit? cùm vtrique, tam Apollinaristæ, quàm Vbiquistæ, naturam assumtam considerent, vt merum Verbi organum, per quod omnia (omnia inquam) operetur, sicut animam omnia per corpus a-*

gere fingunt. Et quàm procul Vbiquitariorum dogma ab Apollinaristarũ errore abfit, non tantùm ex quinto Dialogo Athanasii, refutante ipsorum argumenta, patet, sed etiam ex grauissima Damasceni sententia, quam Apollinaristis opposuit, cùm eadem Vbiquitariorum somniis opponi iure posset: Toti humanæ naturæ, inquit, dicimus vnitam esse totam diuinitatis Filij Dei essentiam. Nihil enim eorum reliquit, quæ Deus Verbum, initiò nos formans, in natura nostra creauit, sed assumsit omnia, corpus, animam & rationem, & horum proprietates. Nam animal, quod vnius ex his non est particeps, homo esse non potest. Præterea totus totum assumsit me, & totus toti vnitus est, vt toti salutem largiretur. Quod enim non assumtũ est, salutari medicina non curatum est. *Damasc. li. 3. cap. 6.*

Hæc ille, pari ratione ostendens, Apollinaristarum & Vbiquistarum somnia refutari posse. Cùm enim homo esse nequeat, qui vel corpore, vel anima, vel ratione, vel horum proprietatibus destituitur: sequitur, vtroſq; vnionem duarum in Christo naturarum hypostaticam negare, tam qui animam vel mentem, quàm qui proprietatibus humanis naturam Christi assumtam spoliant. Est autem & ista memorabilis Chrysostomi Cæsareum Monachum, *contra Apollinaristas, ab Eucharistia mysterio, proueritate corporis Christi sumta probatio.* Sicut in sanctificato pane Domini, qui mediante Sacerdote liberatus est ab appellatione panis, & dignus est habitus Dominici corporis nomine, natura tamen panis permansit, & non duo per hæc corpora, sed vnum Filij corpus prędicatur: ita quoque in vnitate personæ Christi, vtraque natura incorrupta, proprietatis suæ conseruat agnitionẽ. *Chrysost.* *Cuius argumenti vt ratio & consequentia constet, non minùs oportet veritatem corporis, suius appellatione panis, per sanctificationem Sacerdotis, dignus est factus, naturæ suæ proprietates retinere, quàm sanctificati panis substantia & natura manet.*

Ergo falsũ est quod Scl neccerus li. bro Accus sat. fol. 326. blasphemat.

274. *Eutychen secuti Monothelęta, sublato Idiomatum discrimine, vnicam tantùm in Christo actionem stabiliebant: quanuis duas distinctas substantias, seu naturas diuinitatis & humanitatis expreſè non negarent. Idem quoque faciunt Vbiquistæ: qui ratione vnionis personalis, vnicamẽ λόγυ, & hominis assumti, id est, humanæ naturæ, vt ipsi intelligunt, ἐνέργειαν seu actionem esse sentiunt, humanitate diuinitati secũdum proprietates, quò ad earum participationẽ, exæquata. Neq; tamen propterea, vt ipsi etiã Monothelęta, ipsas naturarum substãtias confundere videri volunt. Quo tamen nomine prędicti haereti ci*

hæretici iuſtè fuerũt ab Orthodoxis damnati. Cùm quorum operatio indifferenter vna eſt, iu etiam ſpeciei vnitatem ſeruare oporteat. Etſi autem vna eſt Chriſti perſona, ac proinde Chriſtus eſt vnum agens: tamen cùm ex duabus naturis perfectis & diſtinctis conſtet, neceſſe eſt, duo etiam actionum Chriſti eſſe principia, ſiue duas, licet non ſeparatas, tamen diſtinctas, duarum naturarum diſtinctarum ἐνεργείας, ad vnum aliquod ἀποτέλεσμα contendentes. Quis igitur Vbiquiſtarum doctrinam, vt Orthodoxam recipiat, & non potiùs cum damnata iam olim, grauiſſimo Eccleſiæ iudicio, Monotheletarum hæreſi explodat?

Vbiquiſtæ renouant omniũ ſuperum hæreſiũ principia.

275. *Et ſit quidem penes Chriſtianum, cauſæq; peritum lectorem iudicium, an non verbotenus duntaxat commemoratos errores omnes refutent Patres Bergenſes, quos re ipſa, cum omnibus reliquis blaſphemiis, quotquot vnquam aduerſus Dei, & Mariæ Filium euomuerunt inquinatiſſimi priſcis temporibus hæretici, ſtabiliunt, & quaſi ab Orco in agrum Domini reuocant. Imò vt rabiem ſuam explerent, optimè conſtitutas harum regionũ Eccleſias & Scholas, improbè ac malitioſè perturbarunt, eiectis & oppreſsis per vim, atque calumniam viris innocentiſſimis, præceptoribus, inquam, noſtris, & Doctoribus huius Academiæ, optimè de ſtudioſa iuuentute meritis. Quos nec auditos, nec conuictos ideo tantùm oderunt, & ſine legitima cauſa cognitione loco remouerunt, ne improbis ſuis conatibus, in introducendis ſuis adeo portentoſis erroribus reſiſterent. Eoſdem enim ad propagandum vllum dogma, quod à fidei Cynoſura diſcreparet, inter ſeſe conſpiraſſe, tum demum probabit Diſputator, cùm, non dicam quod ipſi proprium eſt, mentiri deſinet, ſed cùm vel immotum illud eiectorum Theologorum στῆμα, ſine conuiciis, à quibus quamprimùm abſtinere cogetur, inter viuos eſſe deſinet, ſolidis neruis refutauerit: vel omnes illos errores hæreticos, falsò ſibi obiectos ſcilicet, & ex dogmate Vbiquitatis vltrò pullulantes, ſine calumnia, quæ ipſi obſonium eſt, diluerit.*

Proceſſus Vbiquiſtarum cum ſuis aduerſariis.

276. *Quòd autem doctiſſimum Caluinum, & qui cum eo faciũt, inter Sacramentarios numerat, nullius equidem hominis, qui me longè inferiorem agnoſcam, ſuſcipere iam patrocinium inſtitui, neq; illi alieno patrocinio indigent. Vt tamen dicam, quod res eſt, niſi Sacramentarios intelligat, vt non intelligit Diſputator, veritatis Sacramentorum aſſertores, tum demum ex delirio realis Idiomatum communicationis doctiſſimum Caluinum, & eius diſcipulos, erroris Sacramentarij conuincet, cùm vel eandem ſyngrammati & exegeſi Brentij, cuius δεύτεραι φροντίδες minimè fuerunt σοφώτεραι: deniq; etiam Sueuicarum Eccleſiarum Confeſsioni, quam in VVitebergenſis Con-*

cordiæ Tractatu illabefactatam retinuerunt, maculam inuret, atq; ita Lutherum ipsum hoc nomine in ius vocabit: vel saltem Orthodoxum περὶ θείων consensum, quem librum multi sapientes thesauri colunt loco, & planè inuictum, vt est, (veritas enim premi potest, opprimi penitus & deleri nequit) prædicant, absque Sophistica refutauerit.

Ad Stenckfeldium verò quod attinet, tum demum erroris ipsum Sacramentarij, cuius haud dubiè reus est, seriò conuincet, cùm seipsum (vt ab ista insania, quod omnes boni in votis habent, ad saniorem mentem retrahi se tandem patiatur) seminatorem & patronum errorum Sacramentariorum, qui post hominum memoriã extiterũt, crassissimũ omnium agnoscet. Schvvenckfeldius enim, qui hæresin Eutychianam nostris temporibus renouauit, & ipse quidem fatetur, etiam in gloria manere humanitatis substantiam in Christo, sed ita Deificatam esse, vt eiusdem sit cum diuinitate virtutis, potestatis, maiestatis, vt Christus etiam secundum hanc Deus sit. Perpetuò cõfundit nomina Concreti & Abstracti, vt idem ei declaret, Homo Christus, & Christi humanitas. Christum verò secundum vtramq; naturam passum fuisse contendit, & nisi ipsi etiam diuinitati passio tribuatur, passionem Christi non esse sufficiens λύτρον pro genere humano: & personæ etiam vnitatem dissolui sentit. Carnis Christi vbiquitatem disertè asserit, localem esse negans: iactitat se pro gloria & maiestate hominis Christi pugnare, cuius hostes esse dicit, quicunq; nõ subscribunt ipsius paradoxis. Hæc verò omnia ad eundem planè modum, sentiunt, docent, & defendunt Vbiquistæ, vt nulla prorsus appareat in re ipsa, atq; etiã in phrasibus diuersitas, & omnino idem sit vtrobiq; fundamentum. Quis igitur idem vtrorumq; delirium nõ reiiciat? Quis non Vbiquitarios pro Stenckfeldianis iam ex communi ipsis nota agnoscat, auersetur, execretur?

Consensus inter Vbiquistas & Schuuenckfeldium.

Sic in epist. ad Georgium Maiorem sentis & indicat Paulus Crellius, postea Apostata factus.

277. Quamuis enim ore fatentur, naturas in Christo personaliter vnitas, id quod Nestorium seriò fassum esse, nunquam demonstrabitur: tamen cùm Idiomatum communicationem realem fingant, qui error Seueritarum, & veterum Iacobitarum, atq; Monotheletarum proprius fuit, licet eandem fortè communicationis Idiomatum realis phrasin non vsurparint, luce meridiana clarius est, & ab Orthodoxis plus millies demõstratum, Patres Bergenses cum Schvvenkfeldianis, & priscis Iacobitis, Theopaschitis & Monotheletis, eandem planè hæresin propagare. Quantum autem à Nestorij furore distent, vel hinc denuò colligamus licet, quòd figuram, seu formam illam prædicationis, quam Ecclesia nominat κοινωνίαν ἰδιωμάτων, Cabasilas συνεκδοχὴν, Theodoretus ὀνομάτων ἀλλαγὴν, Nazianzenus ἐπικλήσεων ἐπίζευξιν, Damascenus

Iacobita à Iacobo Eutychiano.

ſcenus τρόπον ἀντιδόσεως, ſeu modum alternationis, alij ſyntheſin, nonnulli ſimplicis explicandæ veritatis ſtudio, citra nouandi propoſitum, ἀλλοίωσιν appellarunt. Hanc igitur communicationem Idiomatum, vt ab Orthodoxis vſurpatur, Neſtorius olim (non minùs quàm noſtri hodie Patres Bergenſes, cum Schvvenckfeldianis, maioribus ſuis) prorſus reiecit, negans Deum ex Virgine natum, paſſum & crucifixum eſſe, ſed nato, paſſo, & crucifixo, per inhabitationem, aſſiſtentiam, & authoritatis æqualitatem coniunctum. Senſit enim, quod res eſt, vnam hac ratione tantùm duarum in Chriſto naturarum perſonam conſtitui, quam ipſe negabat. Cùm enim non agnoſceret verè vnam perſonam, in qua Verbum ſuſtinet humanam naturam, & illi vnitum eſt, vt in eam quodammodo immigrauerit, eam totam peruaſerit, & complexũ ſit, (quod περιχώρησιν Græci appellarunt) & vnum quiddam ex vtroq; ſecundum ſubſiſtentiam effecerit: non naturas modò diuiſit in Chriſto, ac ſi ſeorſum, ac ſeparatim ſingulæ in ſua propria hypoſtaſi ſubſiſterent, ſed quod conſequens erat, locutiones quoq; ſeparauit: idq; non modò in his, quæ vni naturæ ita propria ſunt, vt alteri communicari nequeant: ſed in his quoque, quæ communicari dicebat humanæ naturæ à diuina, veluti eſt adoratio: dicebat enim Chriſtum hominem eſſe adorandum, nempe vt cum Verbo adoretur, & vt ſtatuæ, atq; imagini, Dei honor illi tribuatur, itaq; duos proponebat adorandos: Deum per ſe, hominem propter Deum. Sic etiam Ieſum Filium Dei fatebatur, duos tamen Filios faciebat: Verbum verè Filium, & hominem per homonymiam nuncupatum Filium, propter coniunctum alterum Filium. Quæ omnia cum nouo Patrum Bergenſium dogmate ita congruũt, vt vix ouum ouo, & lac lacti ſimilius ſit. Denique, vt ſummatim rem complectamur, certum eſt, hoc eſſe Neſtorianum dogma, perſonas duas vnitas eſſe, ſeu à perſona Verbi, hominis perſonam aſſumtam eſſe: hoc enim de Neſtorio ſcribunt Boëtius, Maxẽtius, & alij. Brentius autem, cùm vnionem perſonalem deſcribit, ſæpiùs repetit, Filium Mariæ à Filio Dei impleri, & Filium Dei aſſumſiſſe Filium Mariæ, quod quid aliud eſt, quàm dicere perſonam à perſona aſſumtam eſſe, imò vix ipſe Neſtorius videretur hoc dicturus fuiſſe, cuius hæc verba leguntur: Quoniã Dei Filius duplex eſt ſecundum naturas, Filium quidem Dei nõ genuit, ſed humanitatem, quæ Filius eſt, propter coniunctum Filium: *vbi humanitatem ſeparatim nominat Filium, propter coniunctionem* Λόγου, *quod veteres in eo damnarunt. Noſter autem Diſputator, non tantùm eadem cum ſuo venerando Patre aſſerit, ſed docet etiam:* Chriſtum hominum dici Deum, non quia ſit Deus in ipſo, ſed quia in aſ-

Patres Bergenſes aliter dicunt Chriſtum eſſe Deum, alster hominem.

Brentij Neſtorianalo quutio.

Verba Neſtorij.

sumtione carnis dederit huic homini (quem etiam extra Verbi hypostasin subsistere posse, hac ipsa disputatione audacter, & impiè professus est) omnem potestatem in cælo, & in terra, & ornauerit eum omniscientia, & communicauerit ei omnia dona Spiritus sancti, *Item*: Christum quidem iuxta diuinam naturam Patri & Spiritui sancto consubstantialem esse, sed hominem Christum propterea Deum esse: quòd illi à Deo data sit omnis maiestas: idque reali transfusione, & communicatione Idiomatum. *Qua sententia non tantùm duæ in Christo personæ statuuntur, verùm etiam duplex Deitas fingitur. Hæc igitur cùm ita se habeant, quis dubitauerit, Patrum Bergensium dogma, ex omnibus veterum hæresium portentis conflatum quoddam chaos, vel potiùs monstrum nuncupare?*

In Manlbr. Colloquio.

278. *Iesuitæ, quos communi Christianorum nomine, ne secta authores existerent, contentos esse decebat, pro se ipsis, si placet, & in tuenda Ecclesiæ doctrina, fideles se præstare volent, respondebunt. In quorum scholis, vt non dubitamus multos viros bonos educari & foueri, qui controuersiarum capita, si, quod sentiunt, profiteri ausint, rectè discernant: ita saltem illud hic dissimulare nec possumus, nec debemus, ab idololatrica Cœnæ Dominicæ profanatione, in qua Romano Pontifici contra conscientiam adulantur, quem etiam ad sæuitiam in viscera Christi exercendam, & supra modum passim cumulanda Christianorum tam parricidia, quàm exilia, qua in parte Vbiquitarios ipsorũ vestigia, proh dolor, imitari videmus, instigant, armántque, totos nos pectine abhorrere, & ne pergant contrectare, ac lædere pupillam oculi Domini, obtestari: Votis porrò coniunctis precari; vt qui in præcipua fundamenti Christianæ pietatis parte, quæ Symboli historiam, & tremenda illa cùm individuæ & sacrosanctæ Trinitatis, tum Verbi incarnati mysteria complectitur, rectè consentiamus, in fine etiam manifestati in carne Dei, hoc est, in ea fundamenti salutis nostræ parte, quæ Mediatoris patefacti officium & cultum describit, vnico illi capiti in cælo & in terra, summo, inquam, & soli Pontifici, ac Regi, Domino nostro Iesu Christo, piè aggregemur.*

279. *Neq; verò tam facilè fuerit, neruosam & eruditam illorum disputationem, hæresiarchæ Vbiquitariorum oppositam, solidis, vt par erat, argumentis refutare: quàm est nostro Disputatori solennne, loco solidæ & neruosæ confutationis scurrari, nugari, conuiciari, & irridere: hoc est, quod puerorum est, nasum Rhinocerotis exercere. Quod enim illi vnionis & communicationis, & inhabitationis vocabula confundi debere negant, non à quibus, sed quid dicetur,*

retur, Disputatorem expendere decebat. Si verò plus quàm cum dicentis authoritas valet, quàm rei ipsius euidentia & veritas (id quod grauissimis verbis fieri prohibet Cassianus lib. 3. de incarnatione Domini cap. 4: inquiens: Nullius displicere vel personа, vel sexus debet, cui confessio Sacramenti autoritatē facit: quia quamlibet conditio cuiusque aut locus minor sit, Virtus tamen fidei nescit imminui:) Cur ibidem adscriptum Cyrilli testimonium praeteriit? qui eandem sententiam iisdem planè verbis defendens, sic ait: Neque idem fuerit dicere, Verbum factū fuisse hominem, & putare, Deum habitare in homine: etiamsi, vt est, vera beati Pauli vox est, quod complacuit in ipso habitare omnem plenitudinem Deitatis corporaliter. Sed vnum, inquit, esse Deum Patrem & Filium, Dominum Iesum Christū, per quem omnia. Nimirum, vel hinc idem Patres Bergenses cum Nestorio sentire colligi poterat: qui cùm hypostaticam Deitatis cum humanitate vnionem reiiceret, libenter eo testimonio vsus fuisse scribitur, quod videret, aliud esse, aliquid in altero inhabitare, & illi hypostaticè vnitum esse.

Cassianus.

Contra Theodoretum Nestorianum. Col. 2. 1. Cor. 7. 8. Vide Cyrill. lib. 1. ca. 15. & 17 in Iohan. lib 1. ad Regin. & Ignat. epist 5.

280. Cùm autem orationis veritas, rei veritate, tanquam fundamento nitatur (eatenus enim vera est oratio, quatenus res est vera:) in neutra verò natura Christi, alterius naturæ proprietates insint, sed nec inesse queant: cùm neque in natura, neq; in naturali proprietate aliqua vnio duarum in Christo naturarum hypostatica facta fuerit, aut etiam fieri po[illegible] necessariò sequitur, quemadmodum non est Grammatica tantùm, seu verbalis (vt inscitè, & barbarè loquuntur Vbiquitarij:) ἰδιωμάτων κοινωνία in personа Christi, cui vtrinsq; naturæ propria, propter personæ identitatem re ipsa, non verbotenus tantùm, conueniunt: ita in naturis ne Grammaticam quidem, seu verbalem Idiomatum cōmunicationem fieri posse Non minùs enim falsò dicitur, quàm re ipsa falsissimum est: Humanitatem esse Deitatem, aut Deitatem esse humanitatem. Vtq; neutra natura Christi sit altera, ita neque alterius proprietates in se recipit. Hoc qui blasphemiæ arguit, distinctionem naturarum in Christo tollit, atq; ita blasphemiæ ipse reus sit. Quod autem ad meritum obedientiæ Christi attinet, etsi nihil sibi promeruisse iam antè diximus: tamen nostri respectu suam illam naturæ assumtæ exaltationem & maiestatem promeruisse, non potest negari. Quid enim est absurdi, datam illi, & per illum nobis, vt apud Euangelistam extat, gratiam pro gratia? Quod idem vult Athanasius: Sicuti enim, inquit, infirmitates nostras recepit ipse non infirmus, esuriit ipse non esuriens, sed nostra ista aliò transfert, vt deleantur:

Athanas. contra Arrianos. pag. 271.

ita quoque imbecillium nomine Dei munera ipse vicissim accipit, vt cooptatus homo particeps esse queat. Ideoque locutus est Dominus: Omnia quæ dedisti mihi, dedi eis. *Hæc Athanasius.*

281. *Quemadmodum autem commemoratorum hæreticorum impij errores per Vbiquitariorum dogma minimè refutantur, sed potiùs confirmantur: sic genuina quoq; cuiusq; articuli Symboli Apostolici, eaq; simplicissima sententia tollitur, confunditur, & in meram allegoriam, vel potiùs fabulam, aut Mationiticam νόνησιν conuertitur.*

282. *Quomodo enim articulum incarnationis, hoc est, conceptionis, & natiuitatis Filij Dei ex vtero Virginis Deipara, integrum retineat, qui à primo conceptus puncto locum monstrari non posse docet, quin ibidem Christus fuerit secundum vtramque naturam, totus, inquam, Christus, & totum Christi, in vtero simul, & extra vterum? Aut quomodo non confundat tempus exaltationis & humiliationis, qui ab ipso vnitionis principio carnis exaltationem vrditur: adeò, vt ne quidem altiùs euehi potuisse asserat? quod vt de gratia vnionis intellectum, non simpliciter falsum est: ita respectu sessionis ad dextram Dei (quæ à principio vnitionis hypostaticæ tot annorum interuallo distinguitur, quot annis tempus humiliationis ab exaltationis statu distat: hoc est, quantum temporis interuallum à conceptu ad resurrectionem & ascensionem Christi in cælos intercessit:) planè non est verum.*

Andr. Prætorius proposit. 227.

Brent. de personali vnione, pa. 32.

283. *De passione verò, & morte Domini nostri Iesu Christi, quomodo rectè docere possunt, qui Christum in phantasma conuertunt, & vnum idemq; corpus Christi, quod erat Hierosolymis visibiliter & localiter, cùm in templo concionaretur, aut de cruce pēderet: eodem simul momento cum Deitate Romæ, Athenis, in cælo, & vbicunque ea esset, extra omnia loca visibiliter, & illocaliter, hoc est, simul passum & non passum, simul mortuum & non mortuum, denique sepultum simul, simulq; non sepultum fuisse sentiunt? Et quomodo corpus in sepulcro conseruatum fuisse à diuinitate, ne corruptionem videret, firmò statuere possunt, qui ab ipso assumtionis momento corpus Christi clarificatum esse scribunt, & propria sua vi resuscitatum docent, diuinamq; in Christo naturam non omnino passionis ac mortis expertem manisse, sed eiusdem, saltem modo, vt loquuntur, participem factam esse, blasphemè contendunt? Aut quomodo, inquam, corpus in sepulchro exanime iacuisse, Spiritu interea in manū Patris recepto, vt verbis præ se ferunt, reuera sentire possunt, nisi per hanc ipsam Spiritus à corpore separationem, quam hic concedere videntur, aut delirium Vbiquitatis, qua negata, personam solui clamitant, ipsimet destruant:*

Idem Iacobus Andr. in Colloq. Maulbru. Protocoll. Heidelber. folio 95. Brēt. cōtra Bulling. fol. 11. Selnec. in confut. accus. pa. 192 Iac. Andr. cont. Bezā, fo. 113. et 116

nec ibi fuisse corpus modò extinctum, vbi fuerit Spiritus, adhuc nimirum su- *Vide Pulgent. li 3. ad Thrasim.*
perstes, concedant, atq; ita ex suo quidem isto principio personam Christi sol-
uant: aut hæc omnia κατὰ τὸ δοκεῖν sic agi visa fuisse, statuant, cùm reuera
nihil istorum accidisse, vel ita se habere sentiant?

284. De resurrectione porrò, quomodo non quidem simpliciter, inquam, (simplices enim suprà stultis comparauit Disputator) sed πανεχῶς, & secundum fidei analogiam corpus Christi idem, quod in sepulchro collocatum erat, & non aliud, resuscitatum esse doceant, credántve? qui serui formam, quæ est ipsa natura humana, cum suis proprietatibus depositam, & corpus Christi non amplius locale, visibile, palpabile, nisi per dispensationem esse statuant?

285. De ascensu verò Christi in cælum, quomodo Martioniticis opinionibus se occupatos esse negabunt, quas iam pridem in totum orbem publicis editis scriptis sparserunt? Nimirum Filij hominis ascensionem in cælum nihil aliud esse, quàm visibilem disparentiam. Item descendere & ascẽdere Filium hominis, nihil aliud esse aut significare, quàm apparere & disparere. Et iam inde ab initio in momento incarnationis suæ ascendisse Christum inuisibiliter in cælum, & ad dexteram Dei Patris consedisse. Cùm enim ascensio sit motus corporis à loco inferiore ad superiorem, vt inferior relinquatur, & superior occupetur, qualis nam iste ascensus erit, quo secundum idem corpus abiisse, & nobiscum mansisse scribitur. Differunt quidem ascensus Eliæ & Christi, quòd iste aliena, hic vi propria subuectus ascenderit: & ille sibi tantùm in cælis beatus sit, hic verò ad dextram Patris in cælestibus sedens, suo nos vmbraculo protegat. Verùm ita non differunt, vt Eliæ corpus tantùm in cælo, corpus autem Christi vbiq; sit. Beatos enim cum Christo, & in eo loco, quem iis se paraturum promisit, esse oportet. Sequeretur ergo, sanctos etiam vbique esse, & per consequens inspectores nostrarum ærumnarum, & patronos omnipotentes, ideoq; inuocandos. Quæ paradoxa totam religionem euertent. Vt saniores hac in parte libenter fateamur (quod & ipsum Vbiquitarij ad calumniandum arripient) etiam Pontificios esse, qui sanctorum impiam inuocationem per tam absurdum Vbiquitatis commentum stabilire non sunt conati.

Musculus in art. de Cœna sect 3. art. 5. & 6. Brent. de personali vnione pag. 25. Athanas. & Damasc.

286. Nec visibiliter tantùm ad cælos ascendit, quasi nudum Apostolis spectaculum, seu otiosam visionem exhibens, sed verè locali migratione recessit ab iis, sublatúsq; in altum, cælos penetrauit, & consedit cum Patre suo in throno eius, in dextera sedis Dei. In eadem ergo corporis essentia, forma, natura, membrorumq; σωματείᾳ, fabrica, & dispositione, ad iudicium propediem reuer-

Hebr. 4. Hebr. 12.

surus est. Quod enim semel assumsit, nunquam deponit, teste Damasceno. Et piè Augustinus scribit: Formam serui resurrectio non consumsit, sed in melius commutauit. In forma serui mortuus est, & resurrexit: Forma serui leuata est in cælum, in ipsa sedet ad dexteram Patris, in ipsa venturus est ad Iudicium. *Item Hieronymus:* Ascēdit in cælum, sedet ad dexteram Dei Patris, manente ea natura carnis, in qua natus & passus est, in qua resurrexit. Non enim exinanita est humanitatis substantia, sed glorificata. *Quibus omnibus dulcissimè astipulatur Tertullianus, cùm inquit:* Hic sequester Dei & hominum appellatus, ex vtriusq; partis depositò commissò sibi, carnis quoque depositum seruat in semetipso, arrabonem summæ totius: quemadmodum enim nobis arrabonem Spiritus reliquit, ita & à nobis arrabonem carnis accepit, & vexit in cælum, pignus totius summæ, illuc quandoque redigendæ. Securæ estotę caro & sanguis, vsurpastis & cælum, & regnum Dei in Christo, aut si negent vos in Christo, negent & in cælo Christum, qui vobis cælum negauerunt. *Item Cyprianus:* Ascendit Christus ad cælos, non vbi Verbū Deus antea non fuerat: quippe qui erat semper in cælo, & manebat cum Patre: sed vbi Verbum caro factum antea non sedebat, *id est, vbi corpus antea non habuerat corporalem locationem.*

In Symb. ad Damasum.

De resurr. carnis.

In enarrat. Symb.

Calumnia Vbiquistarum cōtra ascensionē Christi in cælum.

287. *Refutanda hoc loco est etiam Patrum Bergensium, & sociorum ipsorum, qui sunt mysteriorum Dei profanatores omnium fœdissimi, atrox illa calumnia, planèque Diabolicum mendacium, quo nos in odium bonorum virorum adducere conantur, quòd impudenter, & magna animi leuitate affirmant, doceri à nobis, quòd Christus cælis tanquam carceri inclusus teneatur, & quòd Patrem instar Regum huius mundi in cælo sedentem fingamus, quasi ad ipsum localis accessus sit. Huic petulanter à se ipsis conficto, & per calumniam nobis obiecto somnio, vt occurrant, simulant ab historia Christi ascendentis in cælum se minimè recedere, sed eam piè explicare, quam tamen ad visibile tantùm spectaculum detorquēt, negantq; audacter magnum illum Pontificem nostrum Iesum Filium Dei cælorum penetratione, vt beatorum patriam occuparet, opus habuisse: denigq; vt omnem corporis Christi è terris in cælum assumti localem migrationem ex historia tollant, nihilq; præter oculorū inane spectaculum relinquant, non verentur pro eodem vsurpare, quādo Christus distinctè suam cum Patre homousiam describens, inquit: Ego & Pater vnum sumus. Pater enim in me est, & ego in Patre sum. Et quando de officio suo*

differens,

differens, ſtatum exinanitionis & exaltationis, ſeu humiliationis & glorificationis inter ſe comparat: Exiui à Patre, & veni in mundum, rurſúſque relinquo hunc mundum, & vado ad Patrem.

288. *Vt igitur has Sycophantarum calumnias & putida commenta quàm breuißimè refellamus, reſpondemus ordine: Certam aliquam aternæ felicitatis beatorum ſedem & manſionem, atq; patriam eſſe, in quam Chriſtus naturam à nobis aſſumtam, tanquam carnis noſtræ primitias, quas eiuſdem generis, naturæ & proprietatis eſſe oportet cum iis, quorum ſunt primitiæ, euexit, quiſquis in dubium vocat, negátve: idem mendacij arguit Filium Dei, qui ſe abire dixit, vt pararet nobis* LOCVM. *Et quidem nominatim ſe velle addit, vt vbi ipſe ſit, ibidem nos ſimus. Id quod neque de incircumſcripta corporum omnipræſentia, neq; de Vtopica ab iſtis impiè & audacter conficta Vbiquitate cæleſtis patriæ, à qua ſecundum Apoſtolum adhuc peregrinamur, do-* 2. Cor. 5. Phil. 3. Act. 3. *nec in hoc mundo exulamus, intelligi poſſe, omneſ ſana mente prædíti teſtabuntur. Quòd autem calum, propterea quòd aſcenſio corporalis facta dicitur, inſtar carceris eſſe oportere garriunt, in quo Chriſtum vſq; ad tempus reſtitutionis omniũ, quaſi captiuum teneri oporteat, vt nemini vnquam fidelium vel per ſomnium tale quid ſentire, aut proferre ſuccurrit: ita nihil eſt aliud, quàm Sarcaſmus Diabolicus eorum, qui aterno, ni reſipiſcant, damnationis carceri reſeruantur: cùm iam multis ſeculis omnium piorum vota ſurſum, in regnum illud gloriæ, vbi exoptatißima aternæ libertatis patria eſt, ex qua migrare, aut dimitti velle, nulli vnquam in mentem veniet, ſingulis vitæ huius calamitoſæ, quæ reuera Eccleſiæ carcer eſt, momentis contendant, & directa ſint. Mirum verò, quàm in exagitãdis Orthodoxis Patres Bergenſes Lyncei ſint, cùm talpa caciores ſe præbeant, quo minùs eundem propter errorem, ſi quidem cum Scriptura ſentire error eſt, perſtringere cogantur eum, qui antequam mente ſimul & pedibus claudicare inciperet, hac ſaltem in parte veritati adhuc teſtimonium perhibuit, licet paulò duriuſculè loquens:* Libenter, *inquit*, acci- *Heshuſius in lib. de Cœna.* *pimus Chriſtum, phyſica locatione ſurſum corpus ſuum ſuſtuliſſe, &* in cæleſti aliquo LOCO COLLOCASSE. *Neceſſe enim eſt fateri, corpus Chriſti in cælo certo ſpatio* CONCLVDI. *Interrogetur ergo num de calo, tanquam de carcere ſeu cauea Chriſti ſit locutus. Non putamus enim: aut ſi ita eſſe fatebitur, minimè aſſentimur. Quinam verò Deum Patrem in ſolio regali, pro Regulorum huius ſeculi conſuetudine collocent, Patrum Bergenſium parietes & tapetia loquuntur, quibus Deus Pater depingitur cana barba, in capite gerẽs triplicatam coronam, more Paparum.*

Contra quàm superstitiosorum hominum εἰκονομαχίαν nos Augustino pũ assentimur: qui in lib. de fide, & Symbolo, cùm articulum exponeret, quo Chri-

Augustin. *stus dicitur sedere ad dexteram Patris, grauiter ait:* Non debetis imaginari, Deum esse humana forma præditum: aut Christum incuruare poplites, & à dextera eius parte sedere: Nefas est talia simulacra habere. *Astipulatur huic etiam Damascenus, immodicus alioquin imaginum prædicator.* Inuisibilis enim (*inquit lib. 4. cap. 17.*) & incorporei, incircumscriptibilis denique, & infigurabilis Dei, quis potest facere repręsentationem? Insipientiæ igitur, & extremæ impietatis est, figurare diuinitatem. Hinc in veteri Testamento non fuit tritus imaginum vsus. *Hæc ille. Sed hæc παρέργως. Superantur enim piorum gemitus, numero, potentia, & hypocrisi Iconoplastarum, hoc vt verum statu satius videatur esse, mentem ad Deum attollere, & hanc Camarinam non mouere, quàm simul oleum, quod dicitur, & operam perdere. Fatales enim sibi mundus, cœno superstitionum immersus, pœnas furenter attrahit, & cumulat. Quàm piè autem historiam Ascensionis explicent Vbiquitarij, testatur Disputatoris Ironia, qua tanquam inter pocula tripudians, vt bellas suas facetias misceat, Orthodoxos auditoribus suis figmentum propinasse iactitat. Sed dic sodes, quale-nam figmentũ suis auditoribus propinant Orthodoxi? Christum cælos penetrare debuisse. Os impudens, os blasphemũ. Quis te docuit totius Oecumenicæ Ecclesiæ vnanimem Confessionem, quam Apostolus nos κρατεῖν, hoc est, firmiter tenere iussit, inter figmenta numerari? Quasi enim digitis tuæ farinæ ὑμεναίκτας, hoc est, veritatis irrisores notans, inquit:* Habentes igitur Pontificem magnum, qui PENETRAVIT cælos, Iesum Filium Dei, TENEAMVS firmiter hanc confessionem. *κρατῶμεν, inquit, τῆς ὁμολογίας: quasi dicat: Cauete vobis ab Empactis, qui hanc Christianam Confessionem, qua spoliati, summo item Pontifice, Iesu Filio Dei spoliabuntur, inter fabulas censebunt. Aduersus illos firma cordis manu, quæ fides est, tenete, inquit, hanc cõfessionem, nulloq; astuti Sathanæ telo ex manibus, aut mente vobis excuti patiamini. Tam enim vult hanc inter Christianos confessionem, quòd videlicet Christus Iesus summus ille Pontifex noster, Filius Dei, & Mariæ virginis, penetrando cælos, consederit ad dexteram Maiestatis in excelsis, certam & indubiam esse, quàm nõ dubitamus de iis, quæ oculatis, vt sic loquar, manibus tenemus, hoc est, inter fidei principia confessionis illius certitudinem numerari vult. Siquidem verò aduersus negantes principia philosophorum, quæ ipsis pari ratione metaphora*

Hebr. 4.

mata-

κατα λήψεις olim nominabantur, tanquam aduersus phreneticos non est amplius disputandum: quantò minùs audiendi erunt in Ecclesia, qui prima Symboli elementa non tantùm in dubium vocant, sed planè pro figmentis explodunt, deridentq́? Sed agè, excutiamus etiam Achilleum Disputatoris argumentum, cuius an non hac sit forma, Lector ex ipsius verbis æstimet.

Athanas. apud Vigilium.

Qui est alicubi, eodem, vbi iam est, vt perueniat, ne latum quidem vnguem aut pilum loco se moueat, necesse habet.

Christus in die Ascensionis abiit ad Patrem, in quo se iam antè, cùm adhuc in terris versaretur, esse, priusquam visibiliter ad cælos ascēderet, testatus fuerat. Hoc quisquis negat (fatemur enim) is non Christianus, sed Nestorianus & Arrianus est. Ergo:

Christo in die Ascensionis suæ, ne latum quidem vnguem, aut pilum à terra recedendum fuit, vt ad Patrem veniret.

Act. 1.

Spero Disputatorem ipsum fassurum, rectè esse assumtum argumentū, quo nititur. Quis autem non animaduertit, Sophisticam & strophas, quibus simpliciorum mentes fascinat præstigiator, cui idem est, Esse in Patre, quod Christi cum Patre ὁμοούσιον exprimit: & Ire ad Patrem, qua phrasi Spiritus sanctus vniuersæ redemtionis nostræ, seu officij Christi, respectu status humiliationis, complementum describit. Necessariò igitur cælestis patriæ, & sedis Regiæ occupationem complectitur, vt sursum, massam à nobis assumtam, tanquam nostræ beatitudinis arrham, secundum Tertullianum, in cælum, quò membra sunt caput in hac ipsius ascensione secutura, transferat, adeoq́ victoriæ suæ glorioſum tropheum statuat, & toti exinanitioni salutarem quasi colophonem imponat. Opponitur enim hac phrasis illi, quæ ad statum humiliationis spectat: Exiui à Patre, & veni in mundum. *Vt igitur in terris dum ambulauit, secundum carnem non fuit in cælis: ita etiam postquam in cælos ascendit, secundum carnem non amplius est in terris. Teste Cyrillo:* Quemadmodum, quando vt homo in terra conuersabatur, tunc etiam cælos replebat [certè non carne, sed Deitate] & Angelorū consortia non deserebat: eodem nunc modo quamuis sit in cælis cum carne [ergo non in terris, vt quadret antithesis] terrā tamen replet [nempe vt priùs cælos, Deitate videlicet, at non carne, quamuis vnita cum Deitate] & cum iis est, qui illum diligunt. *Et teste Vigilio:* Secundum humanitatem suam recesit à nobis, secundum diuinitatem suam, ait nobis: Ecce vobiscum sum vsque ad consummationem seculi: *Item:* Quando in terra fuit, non erat vtique in cælo, & nunc, quia

Iohan. 3.

In Ioh. li. 9. cap. 21.

In Eutychē lib. 1.

in cælis, non vtique est in terra. *Ex quibus omnibus conficitur, cùm esse in Patre, & ire ad Patrem toto genere differant, illudq; Christo tantùm secundum Deitatem, hoc verò secundum humanitatem, κ) κατὰ τὸν τῆς οἰκονομίας λόγον cõpetat: quatuor Syllogismi esse terminos, & à non distributo ad distributum nihil sequi. Etsi enim Deus Pater, ad quem se iturum affirmat Christus, cùm inquit*: Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum: ad Deum meum, & Deum vestrum: *nullis locorum interuallis à nobis, nedum à Christo (qui in Patre, hoc est, vnũ cum Patre, ideoq; Deus ipse est) abest: tamen non vbiq; est, vt in cælis, vbi per singularem reuelationis gratiam habitat. Non tantùm ergo naturas in Christo confundit, & homousiam Filij cum Patre tollit, verùm etiam ima summis, & summa imis miscet, adeoq; spem cœlestis aliquando patriæ, quæ sursum est, adeundæ fidelibus omnem eripit, quisquis Christum in ascensione euntem ad Patrem, ne latum quidem pilum à terra receßisse clamitat, vt ad Patrem veniret. Omnino enim cùm se ad Patrem, ac Deum, & quidem ascendendo vadere, atq; ita relinquere mundũ profitetur: sursum ex hoc mundo se migraturum esse, ideoq; resurrexisse testatur, non moram traheret in terra, sed vt cælestem vitam ingressus, secum eò fideles traheret: vbi se amplexandum exhibebit, cùm interea non nisi fideli mente tangi, coliq;, & piè recipi velit. Magna igitur emphasis est verbi* ASCENDO: *quia veluti manum Christus discipulis suis porrigit, ne alibi, quàm in*
Matth. 6. *cælo felicitatem quærant. Nam vbi thesaurus noster, ibi & cor nostrum esse decet. Christus autem sursum se ascendere prædicat. Ergo ascendere nos oportet, nisi velimus ab eo separari. Ceterùm vbi addit, se ad Deum ascẽdere, quicquid ex eius discessu tristitiæ & anxietatis concipere poterant Apostoli, facilè discutit. Significat enim, se diuina virtute fore semper suis præsentem. Ascensu quidem notatur locorum distantia: sed quamuis corpore absit Christus, quia tamen apud Deum est, virtus eius vbiq; diffusa, spiritualem eius præsentiam clarè demonstrat. Quorsum enim ascendit ad Deum, nisi vt sedens ad eius dexteram, in cælo & terra regnaret?*

289. *Hanc piam & veram ascẽsionis Christi explicationem, omnium retè sentientium calculis approbatam, & cruore sanctißimorum martyrum obsignatam, quisquis irriserit, inter Epicuri de grege porcos potiùs, quàm inter*
Natare hic *Christianos, meritò numerabitur. Eant nunc vanißimi Vbiquitarij (de hac*
Patres Bergenses. *fiarchis Patribus Bergensibus, & ipsorum assecłis loquimur, non de miseræ seductorum, & occæcata subscriptorum turba, quorum sortem ex animo dolemus, & quorum multos suam infirmitatem, sudumq; lapsum anxiè deplorat-*

non dubitarim: vbinam ingenua confessione culpæ se planè iterum expediret.) Eant nunc, inquam, & glorientur, se articulos Symboli Apostolici nec confundere, nec depravare, nec in allegorias cõuertere: cùm ipsorum figmenta & delramenta, quæ non verbo, sed ferro propugnant, impietatis eos doctrĩna manifestè redarguant, atq; convincant.

290. De phrasi porrò in doctrina de communicatione Idiomatum, non tantùm Orthodoxis Ecclesiæ scriptoribus, verùm etiam sacra Scriptura vsitata & recepta, diligenter quoque à fidelissimis iam olim præceptoribus nostris admoniti sumus: qua vtriusque naturæ propria, Saluatoris personæ attributa, κατ' ἄλλο, id est, secundum eam tantùm naturã, cuius sunt propria, distinctè, citra tamen Idiomatum vel separationem, vel naturarum confusionẽ, de Christo, licet ab eadem natura non semper, sed ab alia denominato, intelligenda & explicanda esse didicimus.

291. Vt autem naturæ vnius proprium nunquam tribuitur alteri naturæ, in Abstracto: ita nouè dictum est, & veritati in explicatione, ex diametro repugnat, quod hoc loco Disputator affirmat, vtriq; naturæ tribui in personæ, per concreta vocabula, quod alterius est proprium. Vocabula enim concreta non exprimunt naturas, sed personam, in qua illæ sunt vnitæ. Ideoq; non nisi respectu eius naturæ, quæ est proprij illius, quod persona tribuitur subiectum, accipienda est prædicatio: nihilq; refert, siue ab eadem, siue à diuersa naturæ persona denominatio sumta sit. Alioquin si verum esset, quod Disputator hîc insinuare vult, sequetur, hominem esse & dici Deum: omniáque, quæ Deitatis sunt propria, de Christo dicta, intelligi oportere vtriusque naturæ respectu, sed alio prædicationis modo secundum diuinam, & alio secundum humanam naturã: quod certè Orthodoxis Ecclesiæ patribus nunquam venit in mentem: & ex Vigilij Martyris sententia, supra circa thesin 179 adducta, perspicuè est refutatum. *Damasceni li. 3. ca. 4.*

292. Particula enim, Secundum, Iuxta, Κατὰ, vt cùm Christus dicitur natus ex semine Dauidis, secundum carnem, passus & mortuus secundum carnem: aut cùm apud Patres toties occurrit illud, Secundum aliud, & aliud: tantùm sunt distinctiones, seu nota subiecti, aut naturæ, cui hoc vel illud proprium, quod de persona prædicatur, insit: & nequaquam causales sunt, quasi originem monstrent, vnde, seu ex cuius naturæ propria vi, seu virtute, idem attributum, reali quadam participatione, vtriq; naturæ, in persona, per vocabula scilicet concreta tribuatur. Sic Cyrillus dicit: Caro Christi est viuifica: non tamen κατ' ἰδιότ., seu ἐν ἑαυτῇ, id est, in, vel secundum sese: sed potiùs *Particula distinctiua sunt nota subiecti, ad denotandũ secundum quid, & propter quid aliquid de Christo dicatur.*

κατ' ἄλλο, siue ἐν ἄλλῳ, id est, secundum aliud, vel in alio, seu διὰ ἄλλο, καθ' ἕτερον, propter aliud, videlicet, propter diuinitatem, cum qua personaliter vnita est. Quomodo, inquit, viuificat nos Christi caro? Vt Deus. Item: Posse viuificare quod vitæ indigum est, soli Deo conuenit: Deus ergo est Christus: sic enim viuificū est corpus Christi. Item: Quomodo viuificat caro, & quomodo intelligitur esse de cælo, quod est de terra? καθ' ἕνωσιν, cum viuente & cælesti Verbo. *Quod Scholastici breuiter explicant:* Caro Christi est viuifica per gratiam non habitualem, sed vnionis: seu ratione subsistentiæ, non ratione substantiæ. *Hoc est, non quòd viuificatio sit ipsius carnis δύναμις, seu ἐνέργεια, sed potiùs Verbi, cum quo caro nostra vnita est, saluis vtriusq; naturæ in Christo proprietatibus & actionibus. Sic & Scriptura sacra dicta intelliguntur,*

1. Ioban. 1. *cùm Apostolus scribit:* Quod erat à principio, quod audiuimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectarunt, de Verbo vitæ. *Quæ omnia de λόγῳ κατ' ἄλλο dicuntur, & contra Vbiquitariorum phantasias expressa refutationes sunt. Nam sicut Verbum dicitur contrectari, quia est vnitum carni, quæ verè contrectatur: ita caro dicitur viuifica, quia est vnita Verbo, quod est naturaliter vita: viq; carnē*

Sic loquitur Ignatius epist. 8. *Christi attingens, non quidem ψιλὸν ἄνθρωπον, sed ipsum διάνθρωπον attingit, licet essentia Dei tam posit, quam ante carnis assumtionem, reuera sit, maneatq; intangibilis: ita Filius hominis rectè dicitur esse vbique, non quidem κατ' ἄλλον, quia in Christo non est alius & alius, sed potiùs κατ' ἄλλο: cum extra carnem, posit quam eam semel assumsit, Verbum iam nusquam sit. Et nihilominùs rectè dixit Aquinas, per se ipsam videlicet considerans naturam as-*

lib. 1 sent. distinct. 37. *sumtam:* Corpus Christi neque in quantū corpus, neque in quantum diuinitati vnitum est, hoc habere, vt sit in pluribus locis. *Eadem enim, teste Ambrosio carnis Christi veritas est, quæ in nobis est. Sic Dominus gloria crucifixus esse dicitur, κατ' ἄλλο. Non quòd simul vel passa, vel (nescio quo modo (vt nugantur noui Theopaschitæ) affecta sit Deitas, sed quòd patiente Christo secundum carnē, Verbi assumentis Deitas non separata fuerit à sua carne: cùm sola, id est, nuda humanitas, nec tanto peccatorum & pœnarum oneri ferendæ par fuisset, nec sufficiens inflicta diuinæ λύτρον persoluere potuisset. Quòd autem sola carne passus dicitur Christus, requiescente λόγῳ, hactenus intelligi constat, vt iudicij diuini rigorem seuerissimum assumta*

Quomodo sola caro passa dicatur. *natura sentiret, quam vt sola est affectioni & alterationi obnoxia, ita minimè tamen à λόγῳ requiescente, id est, non depellente rigorem illum, defecta sunt:*

λόγῳ

λόγ& enim is est, qui mortem in ipsa moriente carne vicit, qui sepultam eandem à corruptione asseruit, qui mortuam excitauit: nedum vt vel solam carnem reliquerit, vel requiescendo in carnis passione omnino otiosus fuerit, licet nullo prorsus modo simul assisteretur.

Quomodo Christus homo sit omnipotens.

293. Sic Christum hominem omnipotentem non dici saltem, sed reuera esse, κατ' ἄλλο, secundum aliud, id est, propter diuinitatem, cum qua personaliter vnita est humana natura, nemo pius negabit. Sed longè aliud est, dicere: Homo Christus est omnipotens, & humana natura in Christo est omnipotens. De persona enim in Concreto, si totus Christus ὅλως consideretur, rectè & verè dicitur, quod tamen non nisi parti TOTIVS proprie conuenit. At in Abstracto de naturis, hoc est, de toto Christi, etiam in ipsa vnione, non ὅλως, sed κατὰ μέρη distinctè considerati, neutri, vt sic loquar, partium vel potiùs naturarum Christi rectè & verè tribui potest, neq; quod totius personæ, neq; quod alterius naturæ est. Vt igitur omnipotentia non est humana, sed diuinæ naturæ proprium: ita etiam in ipsa naturarum vnione hypostatica, non aliter de Christo, quàm respectu diuinæ naturæ, vel intelligi potest, vel explicari debet. Nec tamen inde nudum Filius hominis titulum assequitur, vt Vbiquitarij calumniantur, sed id potiùs dicitur esse, quod reuera est, non in proprietate naturæ, à qua denominatur, sed in personali naturarum vnione. Si autem proprietates diuinæ naturæ, etiam de assumta natura, vel in abstracto predicanda, vel in concreto de persona respectu vtriusq; naturæ intelligendæ essent, reuera iam Christo, non tantùm secundum humanitatem nudi tituli, quibus nulla rei veritas subesset, tribuerentur: verùm eiusdem etiam Deitati honor soli propriè debitus adimeretur, hoc est, à Creatore ad creaturam transferretur. Quod & cum sanctorum Patrum, & Spiritus sancti mente ac voluntate pugnat, nec non apertissimè tam Nestorianam, quàm Arianam hæresin redolet. Sicut iam antè non semel luce meridiana clariùs demonstratum est.

Sic Vigilius Martyr has prædicationes explicat.

294. Est enim καθ' ἑαυτὸ, siue ἐν ἑαυτῷ τὸ ἀνθρώπινον, quantùuis ὑπερφυσικῶς glorificatum, tamen seruatis idiomatibus essentialibus (quibus sublatis, vel mutatis desineret esse ἀνθρώπινον) finitum, vno tãtum loco semel circumscriptũ, & infrà Deitatẽ subsidens, tum natura, tum potestate. Deitas verò Filij ea est, quæ semper est, fuit, & erit, nimirum Patri & Spiritui sancto ὁμούσιος, coæterna, æqualis gloriæ & maiestatis, omnipotens, omniscia, immensa, infinita. Nec aliter quicquam Orthodoxè dici de his naturis in abstracto, id est, in seipsis potest, siue distinctè, siue vnitè considerentur, vt Eutychiana blasphemia vitetur. Sed κατ' ἄλλο, id est, non in seipso, sed respectu alterius nà-

tura, secũdum personæ vnitatem (quæ phrasis distinctiua, seu discretiua, sicut & ipsa communicatio Idiomatum, non nisi in propositionibus concreti locum habet) & huic homini à Verbo in vnitatem hypostasis assumto, tribui verè potest, ac debet, quicquid est Ὁ λόγυ, *&* τῷ λόγῳ ἑνσαρκωθέντι, *quicquid est huius assumti hominis, ad cauendum Nestorij præcipitium. Vt igitur rectè Cyrillus, in illud Apostoli,* Secundus homo de cælis: Esse de cælo, *inquit, proprium est Verbi: Homini autem* REIPSA *non conuenit, quamuis de eo prædicetur sermone, ac phrasi Scripturæ. Hæc autem phrasis sic explicatur, vt quia Verbum & caro vnica persona est, non diuidatur à suscipiente susceptus, sed tantùm distinguatur. Ita multò etiam verius Heshusium, & quidem rectius olim, quàm hodie, quando à se ipso desciuit, sensisse constat, cùm inter cetera sic scripsit:* Vt euidens illud discrimen humanæ & diuinæ naturæ maneat in Christo, non dicimus vbique esse corpus Christi, sed recipimus modum loquendi, à Patribus traditum: Christus est vbique, scilicet communicationem idiomatum, id est, diuinitas eius est vbique, & propter vnionem duarum naturarum hypostaticam, alterius naturæ proprietas toti personæ in concreto tribuitur. *Hæc ille.*

Ad Reginas de recta fide.

Heshusius de cõmunicatione Idiomatũ.

Hoc hodie damnatur in libro Bergensi cap. 2.

295. *Nequaquam igitur Dominus noster Iesus Christus, Dei ille, & Mariæ Filius, propter aliam rationem vel omnipotens, vel immensus, vel omniscius est, dicive potest, quam ratione æternæ naturæ, quæ est æterno Deo Patri, & æterno Deo Spiritui sancto coëssentialis & coæternus. Alioqui enim si assumtam etiam naturam, reali quadam κοινωνίᾳ, quæ vnionis personalis effectum sit, omnipotentiæ participem factam esse dicamus, non poterit caueri, quin duplex in Christo statuatur omnipotentia, quarum illa huius effectrix, aut saltem donatrix & communicatrix fuerit. Aut si omnino vnam eandemq; vtriusque naturæ omnipotentiam esse concedamus, caueri non poterit, quin naturarum exæquatio statuatur, quam nuda principij diuersitas, minimè excusabit: cum æqualitatem nequaquam tollat, quòd humanitas Christi non ex se, sed ex communicatione, seu participatione Verbi assumentis, sit omnipotens, modò pari omnipotentia statuatur esse omnipotens. Nisi fortè Patri Filium, & Spiritũ sanctum ἀνομοίους cum hæreticis Eunomianis fingere libeat, quòd hi non ex se, sed ex Patre, tanquam fonte, & radice, vt Basilius loquitur, suam habeant essentiam & omnipotentiã,* ἀληθόνως μέ, ἀλλ' οὐκ ἀναρχως, ἤγυν ἀναιτίως. *Quid? quod his omnibus vel silentio præteritis, vel vltrò concessis, quæ tamen concedi, aut præteriri, salua pietate, nec possunt, nec debent: probandum nihilominùs esset,*

esset, quod est prorsus ἀδύνατον, creaturam aliquam posse ex gratia, reali participatione donari essentialibus creatoris proprietatibus. Non minùs enim hoc fieri nequit, quàm impossibile est, humanitatem posse per gratiam euadere Deitatem, siue Deitatem aliquam existere posse precariam. Adde, quòd hoc rursus posito, licet nequaquam poni vel debeat, vel possit, factam nimirum esse naturam assumtam per realem Idiomatum κοινωνίαν, diuinæ omnipotentiæ participem, & hanc participationem esse per ipsam vnionem personalem effectam: Quomodo igitur hoc ipsum cum eiusdem Disputatoris altero illo dogmate conciliabitur, quod sine reali Idiomatum κοινωνίᾳ, vnionem hypostaticam inane nomen esse contendit, cùm hîc vnionem personalem præcedere ipsemet fateatur. Aut igitur vnio hypostatica, quæ præcedit realem illam Idiomatum communicationem, inane tantùm nomen est, cùm id nondum adsit, vnde sortiri fingitur, vt reuera sit, quod esse dicitur. Atq; ita ne quidem potest esse causa realis participationis, cùm rei adhuc in semet ipsa nihil habeat. Aut si iam tum vera esse statuitur vnio, quando realem illam, quam fingunt κοινωνίαν Idiomatum diuinæ naturæ in carne efficit, vanum esse necesse erit, quòd ex hac κοινωνίᾳ, quæ posterior est, vnionis hypostaticæ veritas pendeat, cùm fieri non possit, vt id, quod ordine prius, & quidē consequentis causa est, vel constituatur, vel rationē veritatis sortiatur ab eo, quod posterius est, & ex illo gignitur.

Hoc negat Cyrill contra Arian. lib. 2. c. 4. p. 3. & 141. & li. 4. ca 18 & li. Thesaur. 4. cap. 1. & lib. 12. ca. 23.

296. Vt igitur Idiomata ipsa essentialia Deitatis, qualia sunt omnipotentia, omniscientia, & omnipræsentia, naturæ assumtæ, nescio qua reali participatione communicari tam falsò dicitur, quàm humanitatem esse Deitatem, quod Eutychianorum est: ita κατ' ἄλλο interpretari aliunde, siue ex alio, est crassissima inscitia, vel potiùs euidens malitia, qua Disputator rem per se plane-in perquam & dilucidam implicare tenebris non veretur. Siquidem enim κατ' ἄλλο idem significare contendit, atq; aliunde, vel ἀλλαχόθεν, vt dicebant Nestoriani: consequetur ex antithesi καθ' ἑαυτὸ idem valere, atq; ex sese, καὶ οἰκοθεν, τὸ ἐξ ἡμῶν: ineptè & falsò vtrunq; Nam hoc modo de solo Deo propriè diceretur τὸ καθ' ἑαυτὸ. Quid enim habent cetera, quod aliunde non acceperint? sed & illud considerandum hîc est, quòd phrasin distinctiuam κατ' ἄλλο, quæ non nisi in propositionibus concreti locum habet, de humanitate Christi in abstracto vsurpat Disputator. Dicit enim, humanam Christi naturam esse omnipotentem κατ' ἄλλο. Id ipsum ergo etsi dextrè interpretari velimus, nimirum Deitatis Verbi respectu, siue non in sese, sed in ipsa Verbi assumentis hypostasi, in qua subsistit, & vnus cum ea Deus est, naturam assumtam esse omnipotentem: tamen hoc rursum non minùs absurdū fuerit dicere, quàm si dicatur cuiuspiam

Impostura Iac. Andr. tenda Patrum sententia.

corpus intelligentia præditum, non in seſe, ſed in anima, qui cùm eſt hypoſtaticè vnitum. Nam vt corpus & anima ſunt duarũ diuerſa natura, ſuisq; proprietatibus re ipſa diſtincta rerum nomina, ita etiam (vt rectè inquit Damaſcenus lib. 3. cap. 4.) Deitatis & Humanitatis nomina, duas naturas repræſentant, ac proinde non niſi καθ' αὐτὸ, id eſt, quales ſunt in ſemet ipſis, conſiderari poſſunt. At vocabulum Dei & hominis in Chriſto, ex duabus perfectis naturis ſubſiſtẽtis, alia ratio eſt, quàm Deitatis & humanitatis. Dei enim & hominis voces tum de ipſis naturis dicuntur (vt idem eodem loco docet Damaſcenus, & ſæpe iam obſeruauimus) tum propter perſonæ vnitatẽ, ipſam quoq; totam hypoſtaſin, quamuis ex altera tantùm natura denominatam, declarãt. Itaq; contra Neſtorium rectè dicimus de Chriſto: Hic Deus noſter in terra viſibilis conſpectus eſt, non ſecundum quod Deus eſt (*verba ſunt Damaſceni*) ſed ſecundum quod ipſe idem eſt homo: &, homo iſte eſt increatus ἄναρχος, impalpabilis & incircumſcriptus: Vtique non ſecundum quod homo eſt, ſed ſecundum quod idem ipſe eſt Deus. *At perſonalis vnio, cùm non efficiat, vt vna & eadem ſit Deitas & humanitas, ſed tantùm vt vnum & idem ſit hypoſtaticè Deus & homo: proinde ſicut περιχώρησις non eſt naturarum, ſed perſonæ: ita manifeſtum eſt, nec καθ' ἑαυτὸ, neq; κατ' ἄλλο poſſe vel humana de Deitate, vel diuina de humanitate propriè in abſtracto prædicari, quin pro vnione confuſionem aſtruamus. Quòd ſi, quæ diximus, per exempla declarare libuerit, audiamus Cyrillum, teſtem in his rebus omni exceptione maiorem, ſic ſcribentem lib. de incarn. Vnig. cap. 26:* Prodeſt, *inquit*, & neceſſarium eſt, vt in vno Chriſto id accipiamus, quod ſecundum aliud & aliud de vno eodemque conſtituatur, & quòd in duo diuidi non permittat, licet diuerſa inter ſe & minimè conuenientia acta eſſe dicantur. Eſt autem tale quod dico: Natum eſſe ſecundum carnem ex muliere dicimus Deum Verbum, quamuis ipſe omnibus præbeat naſci. Item puer proficiebat & confortabatur, & implebatur ſapientia & gratia, quum natura perfectus ſit Deus. Quomodo igitur proficit, & ſapientia impletur, & gratia? ſecundum aliud & aliud. Quum enim idem ſit ſimul homo & Deus, propter vnitatem perſonæ ſuæ dicit humana. Item: Quomodo ſanctificat, & ſanctificatur: baptizat, & baptizatur? ſecundum aliud, & aliud. Sanctificatur enim humanè, & ſic quoque baptizatur. Sanctificat autem diuinè, & baptizat in Spiritu ſancto. Quum ipſe ſuſcitet mortuos, reſurrexit à mortuis.*

Identitas perſonæ Dei & hominis eſt cauſa mutua Idiomatum communicationis.

Hîc certè idiota particulæ non ſunt cauſales.

Idem Nazianz. 5. de Theolog.

mortuis, & cùm sit per naturam vita, viuificari dicitur. Hoc quoque κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο Ipse enim resurrexit quidem à mortuis, & viuificari dicitur secundum carnem: viuificat autem & suscitat à mortuis, vt Deus. Patitur, & non patitur secundum aliud & aliud: patitur autem in humana carne, eò quòd homo sit: impassibilis autem manet, vt Deus. Adorauit Christus nobiscum. Vos enim, inquit, adoratis quod nescitis: nos adoramus quod scimus. At est etiam adorandus. Flectitur enim ipsi omne genu. Hoc quoque κατ' ἄλλο, καὶ ἄλλο. Adorat enim, quia naturam assumsit, quæ debeat adorare. adoratur autem porrò idem, quasi maior adorante natura, καθ' ὅτι intelligitur Deus. Adoratione verò non est diuidendus in hominem seorsum, & in Deum. Nec verò tanquã Deus coniunctim æqualiter dignatus sit, diuisis substantiis, cum ipso adorari dicimus hominem (id enim extremæ impietatis plenissimum est) sed vnicum adorandum Dei Verbum, hominem factum, & incarnatum. *Hæc ille. Ad eundem modum, quæ de Christo* κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο *dicuntur, non (vt falsaria fraude Orthodoxis Patribus affingit improbus Sophista & Impostor) vtriusq; simul naturæ respectu, quamuis alio & diuerso prædicationis modo, sed singula quæq; distinctim de sua propria natura dicta intelligi oportere, docet Synodus Constantinopolitana sexta contra Monotheletas*: Sicut post inseparabilem vnionem, *ait*, dualitas naturarum inconfusa permansit, ita nec earum operationes poterunt confundi: sed idem ipse vnus Christus, quæ vtriusque naturæ sunt, operabatur, secundum insitam vniuscuiusque essentiam, seu naturalem proprietatem. Secundum enim quod Deus est, idem ipse, quæ diuina sunt: secundum verò quòd homo, idem ipse, quæ humana sunt, operabatur. Non enim alius quidem miracula operatus est, Alius autem perpetrauit humana, ficut Nestorius vult, sed vnus idemq; Christus, & Filius est, qui diuina simul gessit & humana, κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο, vt diuinus protestatus est Cyrillus. *Hæc Synodus, quæ propterea, quod in Christo est aliud & aliud, secundum saluas in ipso, & differentes naturas, ideo quoque ex hoc inconfuso naturarum discrimine docere & admonere nos voluit, quæ de ipso dicuntur, de vno quidẽ semper, eodemq; in persona Christo, sed secundum tamen aliud & aliud: hoc est, pro sua cuiusq; naturæ insita essentia, & naturali proprietate, dicta intelligi oportere & debere. Alioquin, si quod vni naturæ proprium est, etiam alte-*

Quomodo Christus adoret, & adoretur.

Falsaria fraus Iacobi Andreæ.

Synodus Constant. sexta cõtra Monotheletas & eius acta.

Ergo nulla est communica. idiomatum in natura.

ri, atq; sic vtriq; naturæ tribuatur, confusionem hinc sequi & existere. quod nequaquam dictura fuisset Synodus, si aliter atq; aliter (vt vult Disputator) vtriq; natura, quæ Deitatis propria sunt, tribui posse, sentire voluisset. Nostro tollitur, nec cuitatur confusio, quandiu propria naturarum prorsus incon-fusa & ἀσυνάρτητα non manent, vt personæ tantùm communia fiant, quæ naturarum sunt propria. Quò referre libet quod Cyrillus, pro concordia super Nestorij controuersia sancienda, ad Ioannem Anthiochenum scribit: Omnia, quæ de Christo dicuntur, tam diuina, quàm humana, in personā coniungi, totiq; personæ tribui, verùm in ipsis naturis vicissim separari, & cuique sua conuenientia assignari oportet. Ad quæ sic Ioannes Antiochenus post factam reconciliationem respondet: Euangelicas & Apostolicas de Domino Christo voces scimus viros Theologos, tanquam ad vnam personam pertinētes, ratione duarum naturarum diuidere, & alias quidem, vtpote diuinitati competentes, ad diuinitatem Christi, alias verò humiles ad humilitatem referre. Hoc recepto, complacuit inter nos, ad contentionis amolitionem, vt per orbem sanctis Ecclesiis pax restituatur. Sic itaque quæ promiscuè de persona dicuntur, rursus distinctè, & quasi diuisim τὰ ἄλλο καὶ ἄλλο, ad suam quæq; naturam, cui verè & propriè competunt, referenda & accommodanda esse, ex Ephesina Synodi sententia voluit pia & Orthodoxa vetustas. Hoc quia vidit & intellexit Disputator, cum sua reali Idiomatum in naturis communicatione non consentire, sed hanc per illud τὰ ἄλλο, alii ísque similes distinctiuas particulas, quibus in omni propositione, quæ per communicationem Idiomatum dicuntur, subiectum ad naturā, cui inest prædicatum, restringitur, prorsus excludi: potiùs quàm veritati cederet, in corrumpenda Synodica doctrina, manifesto se falsi crimine obligare maluit.

Cyrillus in Actis Synodicis.

Ioannes Antiochenus.

Hoc vobis dictum sit, Patres Bergenses.

Cæterùm, quod paradoxorum vanitate quasi in Epitomen collecta, Britannis dicam, inquit Disputator: λόγῳ τῷ ἔτι), humanitas τῷ ἔχειν est omnipotens, idq; verè & realiter. Hæc igitur dum pro ea, quam sibi vendicat, authoritate, planè prætoria, vel potiùs pontificia, sine omni probatione suis τλοις oraculi loco, citra hæsitationem, simplici, hoc est, crassa fide excipienda dictitat, nec ferre potest, si quis obiiciat: Papa, quid fingis? Nihil agit aliud, quàm quòd absurditates cumulat, & contradictionibus se ipsum implicat: vt iam non dissimilis videatur illis, perturbatissima mente exclamanti: ἢ φημὶ, ἢ ἀποφημὶ, ἢ οὐκ οἶδα, τί ἀν φῶ. Fassus est suprà, neutram naturam alterius naturæ proprietates habere posse: hîc contrarium asserit, humanitatem τῷ ἔχειν omnipo-

Ergo etiam verè & realiter ipsi inest, vt in subiecto, quod alibi negat.

Thesi 17.

omnipotentem esse. Quid autem maius Deitas ipsa vel esset, vel haberet? Naturam igitur Christi assumtam, habendo profiteri omnipotentem, cùm omnipotentiam nec substantialiter, nec habitualiter, nec formaliter, nec subiectiuè, denique neque per se, neq; per accidens habere dixerit: quid est aliud, quàm Sarcasmus toti Ecclesiæ illudens? Et hinc nimirum vnionis duarum in Christo naturarum hypostaticæ veritatem pendere demonstrabit. Perinde scilicet, ac si bene nummatum τῷ ἔχειν proclamares, idq; verè & realiter accipi velles: quem tamen vel obolum habere paulò antè diserta asseueratione negasses: vt τῷ ἔχειν Crœsum æquaret scilicet, qui Iro re ipsa pauperior esse dicatur. Siccine autem in mysterijs salutem Ecclesiæ complectentibus, impunè coram Deo ludere se posse crediderit? qui iam summi Magistratus, offuso illi tristi glaucomate, gladium sacrilegè rapuit, & cum ne pietatis quidē micam in se habeat, Religionis tamen Aristarchum profiteri se non erubescit: τῷ ὄντι impijssimus, nequissimus & impudentissimus omnium, & ἔχειν auidissimus. *Cyrillus.* *Thesi 122.* *Sarcasmus Iac. Andr.*

297. Ac vide hominis istius in peruertendis rectè dictis ingenium astutissimum, & studium indefessum. Grauissimam enim Athanasii sententiam, ex qua nihil minùs quàm humanitatem Christi τῷ ἔχειν omnipotentem esse, sequitur, in suas partes detorquere conatur. Instar enim præstigiatorum, quos Empiricos vocant, suo se officio probè perfunctum arbitratur, si quicquid in buccam venerit, proferat, modò vt pro commendanda vnguentorum, quæ circumferunt, virtute, Galeni interdum, & Auicennæ, aut Paracelsi, quos nec curant, nec intelligunt, nomina sæpe reiterent, & plenis buccis crepent: sic iste ad ψιθύρους suis etiam Iouem lapidem persuadendum, Patrum interdum, quos infensissimè odit, & procul dubio non extare mallet, testimonia rarò ὡς ἔτυχε, frequentissimè ἀκροσοδιονύσως, saltem ne obmutuisse videatur, asperserit. Est autem Athanasij sententia iam antè explicata, quæ vt nihil habet, quod Vbiquitarijs patrocinetur: ita cùm toties hactenus demonstrauerimus, Disputatorem Patrum authoritate nefariè abuti, iudicent omnes boni, quātum à Macarij illius, & aliorum Monotheletarū fraude absit, qui in Synodo sexta, qua hæreseos conuicti, ideoq; condemnati sunt, plurima Patrum testimonia congesserant, ad suum dogma comprobādum, quorum aliqua falsò suis autoribus inscripta fuerunt, vt epistola Mennæ ad Vigilium Episcopum: alia verò corrupta aut truncata, id quod collatione authenticorum Codicum deprehensum est. Ceterùm vel Catechumenis notum esse constat, vtramque naturam in Christo cum alterius communione agere, quod cuiusq; proprium est: Verbo, quæ Verbi sunt, operante, & carne, quæ carnis sunt, exequente. Sic *Fraus Monotheletarum in defendendo suo dogmate.*

enim, vt suprà ex Synodo Constantinopolitana sexta, contra Monotheletas est annotatum, diuersæ naturarum actiones κατ' ἄλλο καὶ ἄλλο efficiuntur, & suæ cuiq; naturæ actio tribuitur. Quàm igitur sit hæc Disputatoris probatio ἀναπόδεικτος, facilè prudens Lector, etiam me tacente, intelliget. Manum enim Christi, quam imposuit ægrotis, omnipotentem manum esse: & vocem, qua Lazarum à mortuis suscitauit, omnipotentem esse vocem: propterea videlicet quòd opus omnipotentiæ suæ λόγῳ, per hanc manum, & vocem exercuerit: vt maximè concedamus, si intelligas de persona: negabimus tamen, si accipiatur de parte, seu nudo membro naturæ assumtæ. Reuera enim non quidem manus seu vox, sed is, qui eam manum sibi propriam fecit, vocemq; illam emisit, est omnipotens. Libet autem ex eodem Dialogo Athanasii adscribere explicationem, quæ totam controuersiam dirimere poterat. Sic enim ibidem,

Vide Cyril lib 10 Thesauri ca 2.

Athanas. *(vt nostri Vbiquitarij hodie) argumentatur Apollinarista:* Si talis est natura Christi, qualis & nostra est, vetus homo est, anima viuens, & non Spiritus viuificans, nec qui talis est, viuificabit. At Christus viuificat, estque Spiritus viuificus. Non est igitur nostræ naturæ. Respondet Orthodoxus: Adhuc quid sit Christus ignoras. Nescis enim duarum naturarum esse vnionem, & neque solum Deum, neque solum hominem dici Christum. Nam si hoc scires, nosses eum, quatenus quidem homo est, eadem atque nos natura: quatenus autem Deus est, eadem, atque Deum Patrem, naturâ præditum esse. Et post factam vnitionem Deum profitendum, ac adorandum: ideoque viuificare, & Spiritum esse viuificantem, habita Deitatis ratione: neque nobis similem esse, vtriusque naturæ simul consideratæ respectu. *Idem Serm. 4. contra Arrianos:* Exspuente Christo, manumque extendente, & Lazarum euocante, non dicimus, illa hominis esse miracula: etiamsi per corpus conficiebantur, sed Dei. *Hæc Athanasius. Audiamus etiam Damascenum.*

Damasc. lib. 3. ca. 15. Sicut in homine alia est animæ actio, quæ futurum opus mente concipit, & organa corporis adhibet, quę mouet, atque gubernat: Alia autem est corporis actio, quod ab anima regitur, ac mouetur. Vnde in homine (inquit ibidem Scholiastes) anima rationalis efficiendi primatum, primariamque agendi authoritatem obtinet, mouetque corpus, vt suum organum, cuius vsu & ministerio suas exercet functiones, siquidem in omni efficientium genere, instrumentum inferiorem habet agendi rationem, quàm id cuius est instru-

instrumentum. Haud aliter in Christo diuinitas præcipuum efficiens, humanitate eius, vt coniuncto organo vnitoque vtebatur, ad diuinas actiones perficiendas: neque solùm corporis, sed & animæ officio miracula operabatur. Siquidē sanaturus leprosum, (vt octauo capite Matthæus scribit) extendit manum suam, dixitque illi: Volo, mundare: atque cōtinuò sanatus est languidus. Vbi repentina leprosi curatio, diuinitatis est vnum opus, per animæ actionem, vtpote voluntatis operationem, & corporis itidem vsum, scilicet locutionem, & manus extensionem, demonstratū atque expletum. A Christi igitur humanitate (*inquit porrò ibidem Damascenus*) perfectum, & res gesta fuit, panum fractio, & quòd à leproso auditum, Volo? At verò à diuinitate gestum, panum multiplicatio, & leprosi mundatio: per vtrasque enim & animæ & corporis actiones, vnam & eandem congeneam, & æqualem demōstrat sui ipsius diuinam actionem. Quemadmodum enim vnitas naturas cognoscimus, & se inuicem immeantes, & earum differentiam non negamus, sed & numeramus, & easdem inseparabiles agnoscimus: sic & voluntatum & actionum coniunctionem cognoscimus, & differentiam agnoscimus & numeramus, & diuisionem haudquaquam inducimus. Et quemadmodum caro deificata est, & transmutationem suæ naturæ non est passa: hunc in modum & voluntas, & actio, & deificatæ, & proprios non egressæ terminos. Vnus enim est hoc & illud existens, id est, deitùs & humanitùs, volens & agens. Duas igitur actiones in Christo astruere necessarium est, propter duplicem naturam. Nam quorū natura diuersa, illorum diuersa actio: & quorum diuersa actio, illorum & diuersa natura. Et è diuerso: quorum natura est eadem, horum & actio est eadem: & quorum actio vna, horum quoque & substantia vna est, secūdum diuinorum interpretes Patres. Necesse est igitur duorum alterum, aut vnam actionem in Christo dicentes, vnam dicere & substantiam: aut si veritati adhæremus, & duas substantias secundum Euangelium & Patres nostros confitemur, duas etiam actiones identidem illos sequentes confiteri. *Et paulò pòst*: Atqui vnam naturalem operationem Dei & creaturæ, nequaquam is, qui probè sapit, dederit, secundum beatum Cyrillum. Neque enim viuificat Lazarum humana natura, neque

Deificatio carnis non mutat naturæ proprietatem.

lacrhymatur diuina poteſtas: nam lachrymæ humanitatis propriè: viuificatio autem hypoſtaticæ vitæ. Attamen, vtrunque cõmuniter vtrique conuenit naturæ, ob identitatem hypoſtaſeos: nam vnus eſt Chriſtus, & vna eſt eius perſona, id eſt, hypoſtaſis: veruntamen duas habet naturas, diuinitatis videlicet, & eius humanitatis. Ex diuinitate igitur gloria naturaliter proficiſcitur, vtriuſque communis, propter hypoſtaſeos factam identitatem. Ex humanitate verò procedunt humilia, vtrique communia. Nam vnus eſt & idem, & hoc, & illud exiſtens, id eſt, Deus & homo. Et eiuſdem ſunt, & ea quæ diuinitatis, & ea quæ humanitatis: nam diuina ſigna diuinitùs operabatur, ſed non ſine carne, & caro humilia, ſed non ſine diuinitate. Patienti enim carni coniuncta erat diuinitas, impaſsibilis manens, & paſsiones perficiens ſalutares: & operanti Dei Verbi diuinitati conincta erat ſancta anima, intelligens, & videns quæ perficiebantur. Igitur proprias glorificationes diuinitas corpori transfundebat: at ipſa permanebat paſſionum carnis immunis. Non enim quemadmodum per carnem diuinitas Verbi operabatur, hunc etiam in modum per diuinitatem eius, caro patiebatur: nam caro diuinitatis organum erat. Etſi igitur ex illa extrema & ſublimi conceptione nihil imminutum fuit ex vtraque forma, ſed vnius perſonæ omni tempore, actiones vtriuſque formæ fuerunt, tamen ea quæ inſeparabiliter fiebant, nullo modo confundimus: ſed quid, cuius fuerit formæ, ex operum qualitate intelligimus. Agit igitur Chriſtus ſecundum vtriuſque naturam, & agit vtraque in ipſo natura, cum alterutrius communicatione: Verbo quidem operante ea, quæ ſunt Verbi, propter authoritatem & poteſtatem diuinitatis, quæcunque ſunt præcipua & regia: corpore verò abſoluente quæcunque ſunt corporis munia, ad voluntatem Verbi, quod ipſi counitur, cuius & factum eſt proprium. *Hæc Damaſcenus, cuius ſingularis eſt in hac doctrina per veterum Patrum, quaſi gemmas collectas illuſtranda, & perſpicuitas, & diligentia & induſtria.*

Nota hinc mutuã eſſe Idiomatũ communicationẽ & trinſque naturæ, propter identitatem hypoſtaſis.

Athanaſ. ait, Non ſeparatus à carne.

Nota bene. Quomodo in Chriſto agat vtraq; forma cum cõmunione alterius.

Damaſc. lib. 3 ca. 19.

298. Ad diſcrimen autem actionum animæ in corpore, & actionum τοῦ λόγου inaſſumta natura, quod attinet, rectè monet Diſputator, diligenter notandum eſſe, quòd anima ſic à Deo creata ſit, vt (ſolis tamen actionibus inorganicis exceptis, quas ille cum organicis confundit) ad reliquas ſuas actiones exer-

exercendas organis corporis indigeat: cùm ὁ λόγος nulla vel necessitate, vel indigentia, sed liberrima potiùs voluntate in operibus diuinæ suæ omnipotentiæ ministerio naturæ assumtæ vtatur: quæ etiã sine ea, non minùs post, quàm ante incarnationem exercere poterat, sicut multa exercet quotidie, & in statu etiam humiliationis, salua nihilominus vnione hypostatica, exercuit: id quod sanatio filij Reguli declarat. Ergo vel hanc ob causam, qui nihil iam procul dubio extra carnem operatur, cùm sit in carne, & cum carne hypostaticè vnitus: non tamen simpliciter omnia per carnem agere rectè dici poterit. Et quod consequens est, vel hinc liquidò patet, non assumtam esse carnem à Verbo, vt fieret socia diuinæ omnipotentiæ operum, ad quæ nullo vel adminiculo, vel organo Verbum opus habuit: sed potiùs, vt esset ministra, per mortis λύτρον, placandæ Patris offensæ iustitiæ: organumq; promerendæ, & applicandæ diuinæ nobis misericordiæ, ac gratiæ. Propter temperamẽtum enim diuinæ iustitiæ & misericordiæ Verbum caro factum est: hoc est, vt & præstaret in natura nostri generis æterno Patri obedientiam mortis, quam, nisi homo factus esset, sustinere non potuisset: & vt per eandem, tanquam per canalem (vt sic loquar) succum æternæ vitæ in nos deriuaret, cuius nisi fidelia membra, & quasi surculi per fidem viti illi vitæ inserti, participes nunquam fient. Etenim oportuit Mediatorem esse θεάνθρωπον, vt & passio Christi esset σωτήριος, hoc est, meritum infiniti pretij: & victoria esset hominis, quia homo peccauerat. Sed illud quoque silentio non prætereundum erat, quoties mysterium incarnationis similitudine hominis declaratur, quod homines ex duabus perfectis naturis non sunt conflati, ideoq; nec anima, nec corpus nominari in concreto possunt, ac proinde nec anima mortalis in corpore, nec corpus in anima immortale dici. At cùm in Christo Iesu sint duæ perfectæ naturæ, diuina & humana, quarum ista in illa subsistit: idcirco hanc personam non tantùm Iesum, aut Christum, nomine totam personam propriè declarante, verùm etiam in Concreto, ex altera natura, vel Deum vel hominem vocamus. Hinc demum illud est ad perspiciendam in istis veritatem, ac dirimendas omnes controuersias prorsus cognitu necessarium inter καθ' ἑαυτὸ, & κατ' ἄλλο discrimen, quod perperam Disputator cum ἀφ' ἑαυτῦ confundit, sicut iam antè dictũ est. *Mysterium vnionis personalis.*

299. *Vt autem videat pius Lector, nostram doctrinam de Christo congruere cum perpetua sententia Ecclesiæ Orthodoxæ, adscribam Epilogi loco partem præclaræ illius epistolæ, ab Agathone Episcopo Romano missæ ad Synodum Oecumenicam sextam, Constantinopoli contra Monotheletas congregatam.* *Confessio Agathonis Romani.*

Hic status est (*inquit*) Euangelicæ, atque Apostolicæ fidei, regula-

risq; traditio, vt confitentes sanctã & inseparabilẽ Trinitatẽ, iPatrem, & Filium, & Spiritum sanctũ, vnius esse Deitatis, vnius naturæ, & substantiæ siue essentiæ, vnius eam prædicemus, & naturalis voluntatis, virtutis, operationis, dominationis, maiestatis, potestatis & gloriæ. Et quicquid de eadem sancta Trinitate essentialiter dicitur, singulari numero, tanquam de vna natura trium consubstantialium personarum, comprehendamus regulari ratione hoc instituimus. Cùm verò de vno earundem trium personarũ ipsius sanctæ Trinitatis Filio Dei, Deo Verbo, & de mysterio admirandæ eius secundum carnem dispensationis, confitemur, omnia duplicia, vnius eiusdemque Domini Saluatoris nostri Iesu Christi, secundum Euangelicam traditionem asserimus, id est, duas eius naturas prædicamus, diuinam scilicet, & humanam, ex quibus, & in quibus etiam post admirabilem atque inseparabilem vnitionem subsistit, & vnamquamque eius naturam, proprietatem naturalem habere confitemur, & habere diuinam omnia, quæ diuina sunt, & humanam omnia, quæ humana sunt, absque vllo peccato, & vtrasque vnius eiusdemque Verbi incarnati, id est, humanati, inconfusè, inseparabiliter, immutabiliter esse cognoscimus, sola intelligentia, quæ vnita sunt, discernentes, propter confusionis duntaxat errorem. Æqualiter enim & diuisionis, & commixtionis detestamur blasphemiam. Cùm duas autem naturas, duásque naturales voluntates, & duas naturales operationes confitemur in vno Domino nostro Iesu Christo, non contrarias eas, nec aduersas ad alterutrum dicimus (sicut à via veritatis errantes, Apostolicam traditionem accusant, absit hæc impietas à fidelium cordibus) nec tanquam separatas in duabus personis vel subsistentiis, sed duas dicimus vnum, eundemque Dominum nostrum Iesum Christum, sicut naturas, ita & naturales in se voluntates & operationes habere, diuinam scilicet & humanam: diuinam quidem voluntatem & operationem habere exæterno cum coëssentiali Patre communem: humanam temporaliter ex nobis, cum nostra natura susceptam. Hæc est Apostolica atque Euangelica traditio, hæc est mera confessio pietatis, hæc est Christianæ religionis vera, atque immaculata professio, quam non humana adinuenit versutia, sed Spiritus sanctus, per Apostolorum

Omnia in Christo præter personã duplicia.

Persona Christi subsistit in duabus naturis.

Diuisio personæ in duabus subsistentiis consistit.

Diuina operatio est æterna deitatis.

ſtolorum Principes docuit. Hæc eſt firma & irreprehenſibilis ſanctorum Apoſtolorum doctrina, cuius ſinceræ pietatis integritas quoad vſque liberè prædicatur, in Republica Chriſtiana imperiũ ſtabilietur & exultabit. *Hactenus Agathonis verba.*

300. *Hæc igitur de perſona Domini noſtri Ieſu Chriſti, eiusq; diſtinctis naturis, & exaltatione ad dextrã Patris, doctrina, vt eſt fundamẽtum Eccleſiæ, & fons omnis conſolationis: ita Chriſtianorum ſumma gloria eſt, quòd nimirum Filius Dei, Mediator, Redemtor, Iuſtificator & Saluator noſter, etiam in ſede illa diuinæ Maieſtatis propria, carnem noſtram ſemel aſſumtam non depoſuerit, ſed eandem inconfuse, incõuertibiliter, indiuulsè & inſeparabiliter ſibi vnitam, in ſua hypoſtaſi conſeruet, & ſupra creatas res omnes, inenarrabili maieſtatis, potentiæ & ſapientiæ gloria illuſtratam exerat, adeò vt in poteſtate capitis illius, ac Fratris noſtri ſit cœli & terræ imperium, qui ſuo nobis Spiritu tanquam pignore obſignat ſpem cæleſtis patriæ, in quam primitias noſtri generis, ab hac loco tranſtulit, vt certi ſimus, eiuſdem nos beatitudinis, & triumphi æterni hæredes futuros: quos interim non quidem fictitia carnis Vbiquitate, ſed præſentia virtutis ſuæ gubernat, diuinoq; ſuo Spiritu gemitus cordium introſpicit, atque exaudit, hypocritarum deniq; conſilia diſſipat, & tyrannorum rabiem confundit, adeoq; contra inferorum portas puſillum electorum gregem defendit, quibus tandem à morte reſuſcitatis, vitam, atq; lætitiam æternam communicabit, poſteaquam eos in cælum ad ſeſe tranſtulerit.*

Huic Immanueli θεανθρώπῳ, Domino noſtro Ieſu Chriſto, μεσίτῃ καὶ ἱκέτῃ ἡμῶν, vnà cum Patre, & Spiritu ſancto ſit benedictio, honor, gloria, poteſtas, laus & imperium in æternum. Amen.

THESES IAC. ANDREAE
De Cœna Dominica.

EX hac de persona Christi doctrina, in scriptis Propheticis & Apostolicis tradita, etiam ea, quæ est de Cœna Domini, & vera atque reali præsentia corporis & sanguinis Christi, dependet. Si tamen non modò verbis Testamenti Christi, sed etiã 200 Patribus Cõcilij Ephesini, aliisq; idoneis veritatis testibus credimus. Verba Patrũ Concilij Ephesini hæc sunt: Ad mysticas benedictiones accedimus & sanctificamur, participes sancti corporis & pretiosi sanguinis Christi omnium nostrũ redẽtoris effecti, non vt COMMVNEM CARNEM accipientes (quod absit) nec vt viri sanctificati, & verbo coniuncti, secundum dignitatis vnitatem, aut sicut diuinam possidentes habitudinem: sed VERE VIVIFICATRICEM, & ipsius Verbi propriam factam. Vita enim naturaliter, vt Deus existens, quia propriæ carni vnitus est, viuificatricem eam professus est. Et Hugo de S. Victore inquit: Quòd corpus Christi potest esse in pluribus locis, hoc habet ex vnione personali. Et Ambrosius in sermone de Abel & Cain: In illo Sacramento Christus est, quia corpus est Christi, non ergo corporalis esca, sed spiritualis. Corpus enim Dei, est corpus spirituale. Corpus Christi, corpus diuini Spiritus est.

2. Et aduersariorum, quos in hoc certamine habemus, testimonio constat, si de persona Christi pius consensus inter nos sanciatur, de præsentia corporis Christi, nullum verbum se ampliùs facturos, aut nobiscum litigaturos pollicentur.

3. Ex quo intelligi potest, quàm fraudulenter quidam illorum socij agant, qui etsi nomen Caluini exosum declinant, interim tamen quod ad doctrinam attinet, cum ipsis faciunt. Rudi enim populo, & huius controuersiæ ignaris inculcant, de Cœna Domini, de vera præsentia corporis & sanguinis Christi nullum inter nos certamen esse. siquidem ipsi quoque veram præsentiam corporis & sanguinis Christi in Sacramento credant, quòd verè ad-

sint, & cum pane & vino, nō modò dignis, verumetiam indignis exhibeantur. Nobiscum enim, quod hæreticis consuetum est, loquuntur, etsi minimè nobiscum sentiant. De Vbiquitate autem sola illa portentosa & monstrosa disputationem esse, recens in has Ecclesias & terras post mortem Philippi Melāchthonis introducta: qua veritas humanæ naturæ in Christo negetur, & hæreses Eutychianorum, Marcionistarum, Monotheletarum &c. iudicio veræ Ecclesiæ damnatæ, ab Orco resuscitentur: quod magnoperè dolēdum sit. Qua oratione fucata, & querela hypocritica plurimi etiam boni decipiuntur. Cùm interim hoc vnum agant, vt omnibus persuadeant, corpus Christi in vno loco tantùm esse, & saluis naturæ humanæ proprietatibus, nullo modo aut ratione in pluribus locis præsens esse posse.

4. Quapropter pellē ouinā illis quoq; in hoc articulo detrahamus, & lupū in ouile Christi irruisse, omnib⁹ demōstremus. Quæ vt iuuentus cognoscere possit, in breuissima capita contrahemus.

5. Nihil quicquam autem de Vbiquitate, hoc est, de præsentia humanitatis Christi in omnibus locis dicemus: sub quo nomine effugia quærunt, quò minùs ad propositum, in hac parte doctrinę Christianæ statum respondeant.

6. Sed dicamus de præsentia corporis Christi tantùm in duobus aut tribus diuersis locis, videlicet in cælo locali, vbi corpus Christi nunc collocant supra cælos omnes aspectabiles, in templo VVitembergensi, Dresdensi, & Lipsensi.

7. Et quæstio est: An corpus Christi, salua veritate naturæ humanæ, verè & substantialiter seu realiter possit simul & semel eodem momento in cælo illo empyreo, & in templo Lipsensi, VVitembergensi ac Dresdensi adesse, quando Cœna Domini celebratur? idque quo ad se, nulla ratione hominum habita, siue digni sint, siue indigni, qui ad Cœnam Domini accedunt?

8. Ad hanc quæstionem si categoricè responderent, affirmando vel negando, expedita res esset.

9. Si enim affirment apertè, hoc posse fieri per omnipotentiam Dei, salua naturę humanæ proprietate, modò nobis incognito: quæ causa esset dubitandi de eius præsentia in Cœna, cùm expressa sint Testamenti Christi verba: HOC EST CORPVS MEVM?

Et sic

Et sic omnis controuersia sublata esset.

10. Sin verò expresè dicant: Nulla vi diuina hoc fieri, nec Deũ omni sua potentia hoc præstare posse, esse enim simpliciter impossibile: eo ipso & se, & Ecclesiam magna molestia liberarent, quòd cum illis, tanquam apertis abnegatoribus omnipotentiæ Dei, adeoque impiis hominibus, nihil ampliùs hac de re disputandum sit.

11. Quapropter ad hũc modum interrogati, cùm propria ipsorum conscientia eos percutiat & damnet, non statim apertè respondent, sed tergiuersatione vtuntur, quandiu possunt, differentes interim: Deum multa efficere posse, quæ tamen non faciat. Adesse autem corpus Christi iuxta verba Testamenti sui. Quis homo simplex hîc fraudem verbis inesse crederet? siquidem hoc vnũ semper D. Lutherus & nos cum ipso vrsimus, vt iuxta verba Testamenti Christi simpliciter intellecta, præsentia corporis & sanguinis eius credatur. Verba autem (inquiunt) Christi hoc non volunt, quòd corpus Christi verè & realiter præsens sit in duobus aut tribus diuersissimis locis.

12. Cur autem non velit, cùm ampliùs interrogantur: Respondent statim: Quia hæc sententia verborum in articulum Symboli Apostolici de ascẽsione Christi in cælum, & aperta Scripturæ sacræ dicta impingat, quæ testentur Christum suo corpore à pane Cœnæ tantum abesse, quantum supremum cælum à terra abest.

13. At contrà certum est, Christum Cœnam suam & instituisse & celebrasse, priusquam in cælum ascenderet. Quid igitur, contra præsentiam & dispensationem corporis eius in Cœna, ascensio Christi facit? Quod enim in prima Cœna præstare potuit, priusquam ascenderet, id nunc multò magis præstare potest, postquã formam serui planè deposuit.

14. Ad dicta Scripturæ verò quod attinet, quæ testantur, Christum non esse hîc: Christum reliquisse mundum: quæ Grammatica, quæ Dialectica, quæ Rhetorica, quæ Physica, quæ Mathematica, quæ Metaphysica docet, quòd Scripturæ sacræ dicta, quæ de Christo loquuntur, quòd mundum relinquerit, idem significẽt, quod: Corpus Christi non adest? Ego, inquit Christus, relinquo mundum: non dicit, Meum corpus relinquit mundum. Me non

semper habebitis, inquit: & non: Meum corpus non habebitis.

15. Ex quo manifestum est, veram & realem corporis & sanguinis Christi præsentiam in Cœna, neque in articulum ascensionis, quemadmodum & reliquos fidei articulos, neque in aperta dicta Scripturæ impingere. Sed cùm ipsorum glossa tantùm & opinione pugnare, quæ aperto & manifesto textu Scripturæ sacræ destituitur: quo solo vera fides piorum nititur.

16. Conscientia enim hominis in tentationibus grauissimis, non glossa, sed expresso Dei verbo fatiatur & sustentatur, cùm econtrà glossæ humanæ in dubitatione relinquant perpetua, & ad desperationem tandem adducant.

17. Et hæc quidem pellis ouina est, qua sese tegunt, aut tegere Sacramentarij conantur.

18. Aperta igitur sacræ Scripturæ testimonia cùm non habeant, ad Patrum interpretationem confugiunt, quorum testimonia magno numero congerunt, vt fucum faciant imperitis, & confictum illorum perpetuum consensum demonstrent, quòd in Cœna Domini realem præsentiam corporis & sanguinis Christi non crediderint.

19. Sed cùm econtrà demonstratum sit, ipsos sanctorum Patrũ testimonia non modò truncata proferre, sed iisdem quoque sensum affingere alienum: nec proferre possint vllum testimonium, quòd Patres vel scripserint vel senserint, Corpus Christi in Eucharistia nõ verè & realiter adesse: Qua ratione auditorũ ipsorũ fides de Cœna Domini cõfirmabitur? cùm iubeãtur à simplicitate verborum Testamenti Christi, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, & eorum genuino sensu κατὰ τὸ ῥητὸν accepto, recedere: nec habeant vllum vel fidei articulum, vel Scripturæ testimonium, quæ hoc doceant, sed glossam tantùm humanam, eamque etiam non consentientium inter sese Patrum & Doctorum Ecclesiæ. Nec vllius verba proferre possint, qui apertè dicat, in Cœna Domini non verè & realiter corpus Christi adesse. An non hoc est miserè deceptas ouiculas Christi, & à simplici eius verbo abductas, in mare, adeoque opinionum humanarum desperationis præcipitium ablegare?

20. Cùm igitur hac non successerit, postquam & vera sententia verbo-

verborum Cœnæ, & articulorum Symboli Apostolici ita explicata est, vt non modò non negetur, sed multò magis per ea confirmetur vera hæc & realis præsentia corporis & sanguinis Christi in Cœna Domini: nec Patrum interpretationibus cõfidere possint: nolint velint, morbum animi vel tandem fateri coguntur: vnicum fundamentum opinionis ipsorum esse, videlicet, principiũ Philosophicum: Quòd iuxta doctrinam Aristotelis, vnum & idẽ corpus non possit esse in duobus aut pluribus locis. Idque ex regula contradictionis, quæ sit regula veritatis immota, contra quam Deus non possit facere, quia nõ velit, ideoque nulla vi diuina fieri, nec Deum omni sua potentia præstare posse, vt vnum & idem corpus possit verè & realiter simul & semel esse in cælo, & in pluribus locis in terris, vbi Cœna Domini celebratur.

21. Ideoque à proprio humani corporis ad corpus Christi argumentantur, cùm excepto peccato nostris corporibus per omnia sit simile: quapropter æquè corpori Christi non conuenire, quàm corpori Petri aut Pauli, quòd sit simul in diuersis & pluribus locis.

22. Hæc vna ratio mouet eos, quòd à simplici sententia verborum Testamenti Christi recedendum esse censent: hæc absurditas illa est, in quam præsentia corporis Christi, simpliciter κατὰ τὸ ῥητὸν verbis Christi intellectis, in Cœna Domini impingit, quam deinceps peruersa interpretatione articulorum Symboli, & Scripturæ testimoniis sua glossa corruptis, aut à Patribus non accuratè explicatis, tegunt & ornant, vt fucum faciant auditoribus suis, sese minimè ratione humana, sed verbo Dei confirmatos opinionem suam tueri.

23. Hinc adeo factum est, vt ex loco de Cœna Domini, de quo non ampliùs sese disputare velle simulant, in doctrinam de persona Christi sese conuerterint, spe minimè dubia, si suam in eo loco opinionem propugnauerint, sese, quod de Cœna Domini, contra aperta verba Testamenti Christi, de absentia corporis Christi sentiunt, obtinuisse: qua in re eos minimè falli existimo.

24. Si enim hoc demonstratum est & confirmatum ex verbo Dei: Quòd corpus Christi salua veritate naturæ humanæ, nullo modo aut ratione, verè & realiter simul & semel possit esse in pluribus locis, aliàs verum corpus humanum esse non posse: idque

eis in loco de persona Christi concessum fuerit: Quis, quæso, tam stultus & demens esset, vt amplius de reali præsentia corporis Christi in Cœna Domini cum quoquam contendere vellet?

25. Quod enim simpliciter impossibile est, id nulla ratione, nullo tempore, nullo loco fieri potest: ideoque vt credant homines, frustrà docentur.

26. Leuitatis autem & inconstantiæ notam effugere non possunt, cùm D. Lutherum ex lacunis Sophistarum, hanc suam doctrinam de persona Christi & Cœna Domini hausisse affirmant & interim non verentur affirmare, eandem cum Scholasticorum doctrina pugnare: qua in parte mẽdaces oportebat esse memores.

27. Quemadmodum & Lutheri verbis in hoc vim faciunt, qui cùm doctrinam de persona Christi, à Sacramẽtariis, non à Luthero, in hac controuersia primò introductam, in disputatione hac præcideret, nec huius loci esse diceret: (est enim peculiaris locus & pars doctrinæ Christianæ) eidem falsò imputare, & impudenter affirmare audent, Lutherum in ea sententia fuisse: articulum de persona Christi, prorsus à doctrina Cœnæ remouendum. Ideóque ne de illo disputaretur, interdixisse. Quomodo enim ab hac disputatione commemoratum articulum planè remoueret, qué inter alia suæ doctrinæ de Cœna Domini fundamenta collocauit? quo tanquam proprio gladio insignem illum Goliath Zvvinglium, adeoque omnes Sacramentarios prostrauit. Et tolle personam Christi ex hoc sacro conuiuio, nihil præter panem & vinum reliquum erit.

28. Postquam autem vera explicatione huius articuli, vanitatem opinionis Zvvinglij demonstrauit, vt manibus palpari posset: prolixiorem huius rei explicationem in suum locum reiecit, ne Zvvinglius à statu causæ recedere posset, quò minùs ad rem responderet.

29. Id quod ipsi quoque in Luthero non modò probamus, sed & publicè coram vniuersa Ecclesia testatum volumus: Nos in doctrina de Cœna Domini posthac nullum verbum cum Sacramentariis de præsentia Christi in omnibus locis, siue de Vbiquitate, facturos aut disputaturos esse, cùm studio hoc agant, vt lectores à statu causæ abducant.

30. Sed

30. Sed de præsentia corporis Christi in Cœna Domini saltem dicemus: An corpus & sanguis Christi verè & realiter possint adesse, & adsint simul & semel in duobus aut pluribus locis, salua veritate naturæ humanæ, quando Cœna Domini in diuersis locis celebratur.

31. Sic enim illorum malitia patefiet omnibus piis, qui falsò persuasi existimant, hos impostores, in quibus nulla conscientia est, & quos nullius impudentissimi mendacij pudet, de corporis Christi reali præsentia in Cœna Domini rectè sentire, & portentum ac παράδοξον Vbiquitatis solùm oppugnare: Cùm hoc prætextu tantùm vtantur, ad tegendum suum errorem de Cœna Domini, ne fortè in lucem producantur.

32. Qua in parte maiorem candorem apertis Caluinistis tribuimus, qui nulla circuitione vsi, planè affirmant, eandem rationem corporis Christi esse, siue in omnibus, siue in pluribus locis simul adesse: posterius si concesserint, de præsentia in omnibus locis disputare, superuacaneum esse.

33. Est autem hęc omnium Sacramentariorum, siue aperti sint, siue clandestini, opinio & doctrina de Cœna Domini: Quòd corpus Christi assumtum in cælum, nusquam sit, nisi in cælo. Ideoq; nullo modo in Cœna Domini verè & realiter præsens esse: virtutem autem corporis Christi adesse per virtutem Spiritus sancti, qui intermedius sit inter nos in terris, & corpus Christi in cælis, per quem nos cum corpore Christi coniungamur.

34. Hanc esse sententiam Caluinianorum, quos sic vocant, qui priùs Zvvingliani appellabantur, fatebuntur omnes, qui ipsorum scripta cognouerunt.

35. Neque verò nobis succenseat quisquam, quòd his appellationibus eos nominemus.

36. Quòd enim D. Paulus Corinthios reprehendit, qui dicebãt: Ego sum Pauli, Ego sum Apollo, longè alia res est: Cùm Paulus non diuersam aut contrariam doctrinam tradiderit Corinthiis, sed eandem quam Apollo, Christi videlicet: Ideo iure ab Apostolo increpati sunt, quòd non Christi, sed Pauli & Apollo se cognominauerint.

37. Cùm verò Sacramẽtarij aliam doctrinam suis auditoribus

proponant, verbis Testamenti Christi contrariam, rectè ab autoribus & magistris huius erroris discipuli cognominantur: quemádmodũ à Nestorio Nestoriani: ab Arrio Arriani. & sic deinceps.

38. Quòd autem Sacramentarij aliam doctrinam de Eucharistia Christi, suis auditoribus proponant, quàm quæ in verbis Testamenti Christi comprehensa est, hinc patet. Christus enim dicit, Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus. Illi verò dicunt: Non est corpus Christi: Non est sanguis Christi. Quo nomine criminis læsę maiestatis rei tenentur, quando æternam veritatem apertè mendacij arguunt.

39. Sunt enim verba Christi, verba Testamenti, in quibus disertè & perspicuè locutus est, vt ab omnibus, quid velit, intelligi possit: maximè verò à stultis illis & infantibus, qui soli hæc mysteria capiunt, & quos maximè Christus pro suis discipulis & idoneis auditoribus agnoscit. Matth. 11.

40. Vbi in verbis nullus tropus est: sed simplex & germana cuiusque vocabuli sententia. Nisi velis Synecdochon, quæ præsentiam corporis Christi è Cœna non tollit.

41. Quò minùs etiam in contextu verborum sit figuratum aliquid, quo corpus Christi vel significetur vel figuretur absens, vno vocabulo Noui Testamenti Christus diligenter cauere voluit, cùm inquit: Hic est sanguis meus Noui Testamenti.

42. Cùm enim in veteris Testamenti Sacramentis Christi corpus & sanguis, variis modis tantùm figurata, significata, & adumbrata sint (sicut Agnus ab origine mundi occisus dicitur) postquá λόγος incarnatus est, per Sacramenta noui Testamenti Christus figuras, significationes & vmbras veteris Testamenti planè abrogauit, & Ecclesiæ suæ corpus & substantiam dedit, quæ in Sacra-
Hebr 10. mentis veteris Testamenti non erat, sicut scriptum est: Lex vm-
Colos 2. bram obtinuit futurorum bonorum. Et iterum: Quæ sunt vmbra rerum futurarum, corpus autem Christi.

43. Non igitur amplius corpus & sanguis Christi in Sacramentis noui Testamenti figurantur aut significantur, quemadmodum in veteri Testamento factum est, sed corpus ipsum verè præsens est.

44. Si enim in Sacramentis Noui Testamenti figurarentur tantùm

tantùm præterita, sicut in Sacramentis veteris Testamenti futura: Quis non videt, maiorem gloriam veteris, quàm noui Testamenti, & illustriora illius, quàm huius Sacramenta esse?

45. Quemadmodum etiam illustrior Dei præsentia inter Israëlitas fuisset, quàm nunc inter Christianos esset: cùm in eductione populi Israël ex Ægypto præcederet, ad ostendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, vt dux esset itineris vtroque tempore, adeò, vt nunquam defuerit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem. Exod. 13. Quibus ad propitiatorium responsa dabat, cùm à populo de rebus agendis interrogaretur. Vt de sacrificiis nihil dicamus: quibus passio & mors CHRISTI tanquam viua imago ob oculos posita fuit.

46. Illustriora igitur veteris Testamenti Sacramenta fore dicimus, quàm Noui. Quomodo enim significantiùs figurari, adeóque sensibus & mentibus efficaciùs imprimi posset, sanctissima passio & mors Domini nostri Iesu Christi, quàm factum est in mactatione & esu Agni paschalis? Quando in conspectu omnium domesticorum in singulis domibus occisus fuit agnus, sanguis eius effusus, & caro comesta.

47. Qua ratione parētes familiam monere potuissent, ad eundem modum Christum Agnum Dei occisum, & sanguinem eius effusum esse, cuius carnem per fidem debeamus manducare, sicut ore carnem Agni paschalis manducemus, & in memoriam reuocare beneficium redemtionis, quod sua morte nobis præstitit.

48. Quid simile, quæso, habet, quod ad figurationem & sensum attinet, panis & vinum Cœnæ cum morte corporis Christi, & sanguinis eius effusione? Per quæ mors Christi illustri significatione nobis in memoriam reuocetur, cuius memoriæ causa hoc Sacramentum institutum sit?

49. Vel cæcos igitur palpare existimamus falsissimū esse, quod illi tamen confidenter affirmant: Eandem rationem Sacramentorum Veteris & Noui Testamenti esse.

50. Quemadmodum non minùs falsò affirmare audent, eandem corporis Christi in Sacramentis Noui Testamenti præsentiam esse, quæ fuit in Sacramentis Veteris Testaméti, in hoc autē

solùm differre, quòd illa futurum, hæc præteritum, illa venturũ, hæc verò eum venisse figurauerint. Et sicut illis nihil nisi Spiritus sanctus affuerit, cuius virtute beneficia meriti Christi Israëlitis applicabantur: ita in Sacramentis Noui Testamẽti longissimè abesse corpus & sanguinem Christi à pane Cœnæ, adesse autem Spiritum sanctum, cuius virtute, absens Christi corpus cum suis beneficiis nobis applicatur.

51. Ad quem errorem confirmandum, apertam verborum Apostoli sententiam peruertunt, cùm ait: Patres nostri omnes eandem escam spiritualem comedebant, & omnes eundem potum spiritualem bibebant: bibebant autem de spirituali sequente petra, petra verò erat Christus. Sed plures illorum non approbauit Deus, prostrati enim sunt in deserto. 1 Cor 10.

52. Apostolus enim de Israëlitis tantùm loquitur, quòd illi omnes BANDB Mescam manducauerint, siue fuerint pij, siue impij: non autem BANDBM nobiscum. Sicut statim addit: Hæc autem FIGVRÆ nostri fuerunt.

53. Quapropter hanc ipsorum opinionem tanquam falsam, & cum æterna Dei veritate pugnantem, constanter Ecclesiæ nostræ damnarunt, quam & nos damnamus.

54. Idem, cùm quibusdam in locis perplures Ecclesiarum & Scholarum Doctores palàm affirmare non auderent, insigni fraude vsi sunt, qua deceperunt simplices: eam verò phrasi tegebant, quæ prima fronte idem quod nos dicimus, affirmare videbatur, sub qua tamen hunc ipsum errorem propagare conati sunt.

55. Credimus, inquiunt: CHRISTVM DOMINVM verè, substantialiter, realiter, & viuum adesse, & nobis communicare corpus & sanguinẽ suum. Quod pij & simplices Christiani, quibus horum hominum malę artes ignotæ sunt, simpliciter intelligebant, & nobiscum eos sentire & credere arbitrabantur: quòd corpus & sanguis Christi in Cœna Domini verè & substantialiter adsint, cùm ipsi nihil minùs crederent, quin hoc solo nomine, nos nostrásque Ecclesias acriter oppugnarent.

56. Nostrarum enim Ecclesiarum Doctores aduerbia hæc [verè, substantialiter, realiter] corpori Christi apposuerunt, hac orationis forma: Corpus Christi verè, substantialiter & realiter adest in

in Cœna Domini: Sacramentarij verò eadem aduerbia non cum corpore Christi, sed cum persona Christi coniunxerunt, cùm dicunt: CHRISTVS Dominus verè & substantialiter adest.

57. Quemadmodum etiam hac phrasi plerunque vtuntur: Filius Dei adest. Per quam pij totam personam intelligunt, adeóque etiam corpus & sanguinem Christi: Sacramentarij contrà sub hac phrasi & credunt, & docent: Christum sua diuinitate tolùm verè, substantialiter & realiter adesse: corpus autem & sanguinem eius minimè adesse, sed abesse, quantum distat summum cælum à terra.

58. Quapropter verè cum Irenæo etiam de nostri temporis hæreticis dicere possumus: eorum malitiam, impostura, fraudes & dolos in lucem producere, est confutare.

59. Plurimi enim etiã boni ac pij homines his ambiguis phrasibus ipsorum decipiuntur, qui fide sua vera de Sacramento Cœnæ in corde ipsorum immota permanente, non modò illorum sacris communicant: sed eosdem & rectè sentire, ipsisque iniuriam fieri, quòd aliter credant aut doceant, quàm in Ecclesiis nostris docetur & creditur, affirmare imò & iurare audent.

60. Quæ causa etiam est, quòd nullis artibus, nullis blanditiis Papistarum, Ecclesiarum nostrarum Doctores se permoueri passi sint, vt Ecclesias, quibus hi lupi præsunt, damnarent, cùm interim & dogmati, & dogmatistis, vt par est, minimè pepercerint.

61. Nihil enim dubitamus, si vel tandem hæc ipsorum malitia piis mentibus innotescat, quam hactenus studiosè tegere conati sunt, fore, vt etiam ipsorum consortio renuntiẽt, & eos, tanquam lupos rapaces ab ouili Christi arceant. Quemadmodum ipsi (patientiæ scilicet & charitatis inauditæ exemplum) omnes sinceros Doctores magno numero sede sua pellunt, qui illorum impietati non adstipulantur.

62. Contrà verò nos, πληροφορίᾳ Spiritus, sine vlla hæsitatione, affirmamus: corpus & sanguinem Christi, verè, substantialiter, & realiter in Cœna Domini adesse, cum pane & vino manibus Ministrorum communicantibus distribui, ore à dignis & indignis accipi: illis quidem ad vitam, his verò ad iudicium.

63. Ne quis autẽ nobis litem de vocabulis moueat, tria aduer-

bia, verè ſubſtantialiter, realiter nobis ſynonyma ſunt, quibus non modum aliquem exprimimus, quo adſit corpus Chriſti: ſed corpus Chriſti verè adeſſe dicimus.

64. Inprimis verò corporalem illam localem præſentiam reiicimus, qua ſola, & nullo alio modo, corpus Chriſti realiter adeſſe poſſe, vbicunque eſt, Sacramentarij falsò perſuaſum habent.

65. Sed hæc vocabula, eorum opinioni opponimus, qui corpus Chriſti in Cœna Domini figurari aut ſignificari tantùm dicunt: ac corpore Chriſti quo ad ſe omni modo abſente, virtutem corporis Chriſti, hoc eſt, merita eius cum externis ſymbolis nobis communicari affirmant.

66. Nec à vocabulo [ſpiritualiter] abhorremus: quin à noſtris ſubinde vſurpatum legimus, quòd corpus Chriſti ſpiritualiter in Sacramento adeſſe aſſerant.

67. Nequaquam verò per hoc id intelligimus, quod Sacramentarij, videlicet Spiritum ſanctum tãtùm adeſſe, ſed quod ſuprà ex D. Ambroſio produximus, quia corpus Dei eſt, & corpus Spiritus Diuini, vnde & modum ſpiritualem habet, quo adeſſe poteſt, & verè etiam adeſt in hoc ſacroſancto Myſterio, de quo modo præſentiæ ad nauſeam vſque auditoribus noſtris inculcamus: quem modum ἄῤῥητον ſemper eſſe diximus, & omnipotentiæ Dei commendamus, qui dixit, & facta ſunt.

Lib. 4. cap. 34. 68. Idem apertè nobiſcum affirmat D. Irenæus Polycarpi diſcipulus, qui Iohannem Euangeliſtam audiuit. Euchariſtia, inquit, duabus rebus conſtat, terrena & cæleſti. Terrena panis & vinum: cæleſtis (non inquit virtus corporis Chriſti, ſed ipſum) corpus & ſanguis Chriſti eſt. Cum quo reliqui Doctores Eccleſiæ vnanimiter conſentiunt.

69. Quod verò cõtradicitur: Fruſtrà nos ad omnipotẽtiam Dei confugere, cùm Deus multa facere poſsit, quæ tamen non facit: voluntatem Dei priùs demonſtrandam, quòd velit adeſſe ſuo corpore: Huic verba Teſtamenti Chriſti opponimus, quando inquit, Accipite, manducate, Hoc eſt corpus meum: quibus verbis voluntatem ſuam nobis patefacit, quòd velit adeſſe.

70. Cùm autem Sacramentarij viciſsim opponant, his verbis Teſtamenti minimè probari, quòd Chriſtus ſuo corpore in Sacramento

cramento adsit, quoniam hæc ipsa verba à Sacramẽtariis in controuersiam vocentur, adeoque sint ipsa materia litis, de qua controuertatur: omnibus piis mentibus considerandum & iudicandum relinquimus, An non hoc sit Deo pariter & hominibus illudere?

71. Et vt verè dicamus, quod res est, quid hoc aliud est, quàm serpentis vox in Paradiso primùm audita, cùm Eua, quò minùs de arbore scientiæ boni & mali comederet, sese mandato DOMINI expresso, aduersus serpẽtis insidias tueretur, quod dixit: Quocunque die comederis de ligno scientiæ boni & mali, MORIERIS: serpens hæc planissima Dei verba inuertit, & ait: NON MORIEMINI.

72. Pari ratione cùm Christus dixerit apertè: Hoc est corpus MEVM: serpens hæc verba inuertit, & ait: HOC non est corpus Christi.

73. Quis autem reuerentiam numinis diuini ita deposuit, sueq; æternæ salutis tam negligens est, vt cùm Christus dixerit, Hoc est corpus meum, ille vicissim in faciem ausus sit dicere, HOC NON EST CORPVS TVVM?

74. Sed inquiunt: Christus vocabulo HOC, non corpus suum demonstrauit, qua in parte Patriarcham huius hæreseos Carolostadium vnanimiter damnant (qui primus hanc Scholam & Ecclesiam perturbauit) sed panem, quem discipulis dedit, qui panis corpus Christi esse non potest.

75. Quid serpens antiquus per os tuum loquatur, audio. Nondum autem quid panis esse possit, quærimus: sed quid Christus monstrando panem dixerit, nimirum, HOC EST CORPVS MEVM, hoc inquam dixit Christus, æterna veritas & omnipotentia. num quod dicit, præstare non potest? num verax non est in suis verbis?

76. Si verò te panis offẽdit, quò minùs verum esse credas, quod Christus inquit, Hoc est corpus meum: cur non & columba impedit, quò minùs credas Spiritum sanctum in columba demonstratum & visum esse, in cuius specie descendisse dicitur: Vidi, inquit Iohannes, Spiritum descendentem specie columbæ. Et Lucas: Et Spiritus sanctus descendit corporali specie sicut columba. *Ioan. 1.* *Luc. 3.*

Num & hic Spiritus sancti linguam corriges? Siquidem magis absurda videtur rationi humanæ, quàm est hæc verborum Testamenti Christi?

77. Cùm enim Spiritus sanctus sit verus Deus, immensus & infinitus, qui cælum & terram implet, iuxta illud Psalmi: Quò ibo à Spiritu tuo? Quomodo Spiritus sanctus verè descendere dicitur? Et quomodo Iohannes vidit Spiritum sanctum, qui columbam tantùm vidit, seu speciem columbæ, vt aliis videtur? *Psal 139.*

78. Vbi nõ modò columba Spiritus sanctus esse dicitur, sed Spiritui sancto etiam propter hanc reuelationem & speciem columbæ assumtam, tribuitur quod columbæ proprium est, & cum natura Spiritus sancti pugnare videtur.

79. Quemadmodum etiam Ecclesiastici Scriptores, propter admirandam hanc præsentiam corporis Christi in Cœna Domini, quam Sacramentalem appellant, corpus Christi manibus tractari, dentibus teri, & similia dixerunt, quæ Christi corpori minimè conueniũt: sed propter panem ei tribuuntur (quem corpus suum Christus appellauit) cui hæc accidunt.

80. Pro Serpentis ergo antiqui indubitata voce habendum est omnibus, quisquis hanc explicationem verborum Testamenti Christi audierit, qua Sacramentarij dicunt: Hoc non est corpus Christi, sed tantùm signum & figura absentis corporis Christi, quod corpus Christi absens significat.

81. Nec obstat corporis Christi proprietas, quòd sua natura non infinitum quiddam sit, sicut Spiritus sanctus in specie columbæ reuelatus.

82. Non enim eodem modo corpus Christi in pane Cœnæ esse dicimus, quo Spiritum sanctum in specie columbæ: non videlicet proprietate naturæ suæ, sed in mysterio, vt Ecclesia loquitur.

83. Quamobrem diligenter pronomen [MEVM] studiosis sacrarum literarum declinandum est, Grãmaticè, realiter & Theologicè. Et cogitandum, corpus quidem Christi esse verum, proprietate suæ naturæ & essentiæ finitum: verùm non solùm corpus, sed simul etiam Dei corpus, in vnitate personæ τοῦ λόγου assumtum, adeoque verè Deificatum corpus, vt antiquitas locuta est, non in diuinitatem commutatum, sed per communicationem naturarum

rum diuinæ & humanæ cum persona τοῦ λόγου personaliter vnitum, cuius propria tum mihi explicabit quispiam, cùm quale sit vnionis mysterium definierit, & perscrutatus fuerit. De quo in præcedente disputatione satis dictum est.

84. Cùm igitur assumta natura cum τῷ λόγῳ vna sit hypostasis, & in hypostasi Filij Dei subsistat, quæ Religio prohibebit, verè & realiter corpus Christi cum Filio Dei adesse in dispensatione Cœnæ?

85. Vnde verò nequaquam sequitur, quod Iesuitæ cum Sacramentariis sociis suis, falsò colligunt: Eodem modo corpus Christi in Eucharistia præsens fore, quo sit in hordeo, fœno, & similibus rebus. *in thesi 91.*

86. Cùm enim persona τοῦ λόγου, quæ cælum & terram extra controuersiam implet, vbique sit præsens, aliter tamen Ecclesiæ suæ, quàm fœno aut hordeo adsit: Cur non alio modo etiam, Christus corpore suo in Eucharistia adesse posset, quàm aliâs, propter vnitatem personæ cum λόγῳ omnibus rebus creatis sua humanitate adest, cui propter τὸν λόγον, & ita κατ' ἄλλο hæc maiestas tribuitur?

87. Præterea non habemus verbum Christi, vt corpus ipsius vel in hordeo aut fœno quæramus, sed de pane & vino Cœnæ dixit: Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, ibi quæramus eum, non autem in fœno aut hordeo, vbi etiam non inueniemus.

88. Longissimè autem hic remouendæ sunt Sacramentariorum ineptissimæ similitudines de orbibus & corporibus planetarum, de capite & membris, de stipite arborum & ramis: quibus miseram iuuentutem fascinare solent, vt de tanto mysterio minùs rectè cogitent.

89. Neque enim humana natura, vna tantùm in parte Diuinitati τοῦ λόγου vnita est: sicut corpus planetæ vno in loco in suo orbe est, sed in se totam plenitudinem omnis Diuinitatis corporaliter habitantem habet, cuius plenitudinis totius alioqui vniuersi cæli & terræ machina capax non est.

90. Hoc miraculum quisquis crediderit, de corporis Christi vera & reali præsentia in Cœna Domini minimè dubitabit.

91. Et cùm Dei modum præsentię non definiant pij, sed verbis ipsius simpliciter fidem habeant, conscientia ipsorum tranquilla est, & consolatione fruitur, quam totus Christus præsens in vsu huius sacri conuiuij operatur in credentibus.

92. Quod verò ad dicta Scripturæ attinet, quæ testantur Christum per ascensum suum in cælum Mundum reliquisse, de visibili & externa corporali conuersatione loquuntur, quam Christus à nobis sustulit, adeoque formam serui penitùs deposuit: ne vni adesse, alteri abesse videatur, sed simul omnibus ex æquo adesset.

93. Ac ne quis nobis hoc tanquam humanum commẽtum obiiciat, ex nostro cerebro profectũ, Angelos Dei cum D. Apostolo testes habemus: Act. 1. Hic Iesus, qui assumtus est à vobis in cælũ, sic veniet, QVEMADMODVM vidistis eum euntem in cælũ, Quibus verbis apertè demonstratur, quòd visibilem & corporalem, pro ratione huius seculi, conuersationem subduxerit: nequaquam verò, quod ad humanam naturam attinet, omnino à nobis recesserit.

Ephes. 4. 94. Ideoque ipsum non modò ad cælos & in cælum, sed supra
Matt. 28. 18. omnes cælos Apostolus testatur ascendisse, vt OMNIA IMPLERET, vnde verè dicere posset: Ego sum vobiscum semper &c. Et vbi duo vel tres in meo nomine congregati fuerint, EGO SVM in medio ipsorum.

95. Hæc non sunt humana somnia: sed Scripturæ sacræ aperta dicta & testimonia, quæ nobis Christum Totum, integrum ὑποστατικῶς, Deum & hominem, non autem Deum solum, aut hominem solum præsentem promittunt. In quibus testimoniis cõscientia pij hominis tutò acquiescere potest, quæ fidem ipsorum etiam de vera eius præsentia in Cœna Domini, iuxta verba Testamenti confirmant, vt κατὰ τὸ ῥητὸν intellectis, de eorum veritate minimè dubitent.

96. Nusquam verò in vniuersa Scriptura legimus: Corpus Christi à nobis recesit, & sola Diuinitas eius manebit nobiscum in terris. Nusquam hoc dicit Christus, nusquam Euangelista, nusquam Apostolus.

August. in epist. ad Irenæum. 97. Sic Augustinus quoque loquitur: Non hoc corpus quod videtis, manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem effu-

suri

furi sunt illi, qui me crucifigent: ipsum quidem, & non ipsum, ipsum inuisibiliter, non ipsum visibiliter.

98. Quòd si verò ex Ecclesiasticis doctoribus quidam ad hunc modum Scripturæ dicta interpretati sunt, quid de illis factum dicemus, qui mortui sunt, priusquam hæ glossæ in Ecclesiam introductæ essent?

99. Nec in animo pij pectoris tanta glossæ humanæ autoritas erit, vt vel aperta Scripturæ testimonia sibi eneruari, aut verba Testamenti Christi, eorumque genuinum sensum κατὰ τὸ ῥητὸν peruerti patiatur, vbi expressè Christus dicit, Hoc est corpus meum. Quibus verbis simplicissimis Christi omnipotētis & veracis, dum insistit pia mens, pacata est & tranquilla. Cùm econtrà in nuda glossa mille Doctorum sine expresso textu verbi Dei hærēs, nunquam, nunquam, nunquam possit esse quieta, quin morsum & scrupulum semper relinquat in conscientia, qui tandem desperationem parit, sicut exempla longè tristissima, paucis ab hinc annis vidimus, quibus Deus electos monere voluit, vt sibi ab ista impietate caueant.

100. Nullam verò hîc cum aduersariis nostris de cælo disputationem instituemus, qui carnalibus cogitationibus fascinati, nil nisi carnalia, & quæ huius seculi sunt propria, de illo imaginantur.

101. Calumniam tantùm Diabolicam hîc æquo lectori considerandam proponimus, qua turpiter mentiuntur: Nos cælum cum inferno miscere, & Diabolos in cælo collocare, quod electis promissum est. Ascensum, qui creditur in Ecclesia Catholica post mortem, quòd verus non fuerit, negare: cælum cæli somnium: infernum phantasma: cælum, Dei & Diaboli habitaculum facere. Hac nota quisquis in Sacramentariis Diabolum non agnoscit, Patrem mendacij, Spiritum Dei non habet.

102. Sæpe autem iuuentus admonita est, quemadmodum de vnionis personalis mysterio diximus, quòd magis quid non sit, quàm quid sit dicere queamus: sic & de mysterio illo lōgè maximo sentiēdum iudicamus, quòd modus præsentiæ corporis Christi à nobis nullo pacto definiri possit, qui omnem captum ingenij nostri excedit.

103. Id si nobiscum facerent Sacramentarij, se ipsos & nos maximo labore, & Ecclesiam Dei magno malo & scandalo liberarent. Quod vt faciant vnà nobiscum, & simpliciter verbis Testamenti Christi absque humana glossa credant, per Christum Iesum eos oramus & obtestamur.

104. Quòd enim & nobis glossas obiiciunt, quòd ipsi quoque τὸ ῥητὸν verborum Christi non retineamus, falsum est.

105. Nam quod dicitur: Corpus Christi in pane, sub pane, cum pane adesse, non nostræ, aut à nostris excogitatæ, sed ipsius eruditæ vetustatis phrases sunt.

106. Quas nos eadem simplicitate retinemus, qua ab authoribus vsurpatæ sunt, cùm, Paulo interprete, substantia panis in Eucharistia maneat, vt Sacramenti integritas non minùs ex parte elementorum, quàm corporis Christi conseruetur, quibus phrasibus etiam carere possumus, cùm mysterium sit ἄῤῥητον.

107. Ideoque ab omnibus similitudinibus abstinendum monemus, quæ nos à simplicitate verborũ Christi abducunt: cuiusmodi est Solis, & similes, per cuius radios Sol in terris esse dicitur.

108. Neque enim radij Solis cum corpore Solis vnum personale constituunt.

109. Quòd si verò virtutem corporis Christi, nobiscum in Cœna, corpus autem in cælo esse dicamus: id nobis verba Testamenti Christi non admittunt, cùm inquit: Hoc est corpus meum, QVOD pro vobis datur. Virtus enim corporis Christi pro nobis data non est, sed ipsum corpus: corpus inquam, & non virtus corporis.

110. Quemadmodum hæc ipsa verba Testamenti Christi eam quoque interpretationem non admittunt, quam aliqui afferunt: Hoc est corpus meum [quod] id est, [quatenus] pro vobis traditur, quæ cum priore eandem sententiam continet.

111. Christus enim hoc ipso vocabulo [Quod] non modum præsentiæ corporis sui in Cœna definire, sed simpliciter docere voluit, quodnam corpus in hoc sacro conuiuio nobis proponatur, videlicet, hoc ipsum, quod pro nobis traditum, hoc est, crucifixum, & mortuum est: hoc ipsum, inquam, corpus & non aliud: sicut quoque eum sanguinẽ, & nõ alium, qui pro nobis in cruce effusus est.

112. Ex

112. Ex quo constat, errorem de absentia veri corporis Christi, in vnitatem personæ ἕνωσιν assumti, per hoc ipsum vocabulum [quod] efficacissimè refutari: cuius falsa, humana & philosophica interpretatione, quidam philosophiæ humanæ magis, quàm Theologiæ studiosi, eundem confirmare conantur.

113. Et hæc est perpetua & vnanimis confessio veræ & Catholicæ Ecclesiæ, de vera & reali præsentia corporis & sanguinis Christi, iam inde à temporibus Apostolorum, quam etsi Berengarius suo errore & eius opinionis socij nonnihil interruperunt, in aliis tamen partibus orbis hæc fides constáter defensa est, & inter hos ipsos erroneos spiritus, Deus sanctos & electos suos mirabiliter ab ipsorum errore illæsos conseruauit.

114. Quòd verò ad transsubstantiationem attinet, à Scholasticis introductam, eam ad autores suos remittimus.

115. Sicut enim vocabulum monstrosum est, ita etiam à suis autoribus res significata explosa est, vt præter nomen nihil retinuerint, qui tamen eius acerrimi defensores esse volunt.

116. Etsi enim ad defendẽdas suas decretales vocabulum Transsubstantiationis abiicere noluerunt, eius tamen significationem remittentes, ipsius loco alij annihilationem, alij desitionem panis substituerunt. Cuius tanta est certitudo, scilicet, vt primarius Canonista Iohannes Andreæ, his omnibus repudiatis, substantiam panis & vini remanere apertè asseruerit, sicut glossa in Decretalibus apertè testatur. Quam veram esse D. Paulus confirmat.

117. Quapropter & nos cum Apostolo loquimur, & sentimus, verum & substantialem panem & esse, & manere in ipso vsu Cœnæ, & seruire dispensationi corporis Christi: sicut apertè eius verba sonant: Panis quem frangimus, nónne communicatio corporis Christi est? Item: Quotiescunque comederitis panem hunc &c. 1. Cor. 11. Sicut & aqua in lauacro generationis. Id quod etiam Sacramenti definitio requirit. 1 Cor. 10.

118. Quod verò Patres de mutato pane in corpus Christi loquũtur, nequaquam de substantiali mutatione intelligunt: sed quòd non amplius sit communis panis, qui in hoc mysterio, dispensationi corporis Christi seruiat.

119. Obiter hic quoque de peruersa interpretatione verborum

Pauli iuuentus monenda est. Cùm Paulus inquit: Panis quem
1 Cor. 10. frangimus, nónne communicatio corporis Christi est? Qua cùm Transsubstantiationem euertere student, in contrarium errorem incidunt: dum substantiam panis retinent, & substantiam corporis Christi excludunt.

120. Peruersè enim de communicatione Spiritus interpretantur, quæ de communicatione corporis Christi Apostolus loquitur, & quidem in externo vsu Sacramenti, qui ore fit, & piis cum impiis communis est, sicut verba contextus Paulini planè docet.

121. Fraudem igitur subesse, cùm nuda verba Apostoli recitant Sacramentarij, & qui in occulto sunt ipsorum socij & clandestini adstipulatores, studiosa iuuentus meminisse velit.

122. Quæ maximè in eo detestanda venit, quòd quidam Catechismum Lutheri adulterantes loco definitionis Cœnæ Domini à Luthero traditæ, hæc verba Apostoli substituerunt, quibus Sacramentarium errorem incautis instillare voluerunt.
D. Petrus Prateolus.

123. Quando autem Confessio nostra loquitur, sub speciebus panis & vini corpus & sanguinem Christi nobis exhiberi, vocabulo [speciei] non accidentia seu externam formam intelligit, substantia vel annihilata, aut in corpus Christi mutata, sed quòd corpus Christi non ea forma se nobis exhibeat, qua sese Apostolis spectandum præbuit, cùm in terris versaretur.

124. Ore quoque manducari corpus Christi, non nos dicimus primi: cùm sanctos Ecclesiæ Doctores, Augustinum in primis, socios habeamus. Sed ne aliter loquamur, verba Testamenti Christi prohibent.

125. Cùm enim hoc ipsum, quod Christus suis discipulis manducandum dedit, dixerit esse suum corpus: quod illi ore manducarunt, quis inficiabitur, eos ore corpus Christi accepisse?

126. Neque verò vel phrasis dura, aut res absurda videatur, corpori Christi, pro ratione & modo huius sacrosancti mysterij, tribui, quod panis proprium est, cùm supra dictum, Spiritui sancto proprium columbæ, descensum videlicet è cælo adscribi, quod Spiritui sancto, ratione suæ substantiæ & essentiæ minimè conuenit.

127. Nisi fortè in ea quoque sententia sint Sacramentarij, sicut subinde in deterius hoc genus hominũ proficere videmus: quòd

Deus

Deus non sit in terris sua essentia, vt Spiritui sancto etiam secundum naturam propriam descensus realiter tribuatur.

128. Apertè enim nunc & hanc doctrinam impugnant, quod liber Concordiæ dicit: Non solùm dona Dei, sed & Deum ipsum in sanctis habitare.

129. Contra illi: Deum in sanctis secundum virtutem tantùm & efficaciam bonitatis suæ: In sola autem assumta natura & λόγῳ essentia sua habitare. Aliâs enim, iuxta illorum opinionem, & personaliter cum sanctis vnitus esset, si essentia sua in illis quoque habitaret.

130. Id quid parturiat, tempus aperiet, vt prophetiam Lutheri, seu testimonium eius de ipsis tandem impletum esse demonstrent, cùm inquit: Ego certus sum, quòd de Deo nihil credant.

131. Quòd si igitur Deum sua infinita essentia in sanctis habitare negant: quomodo possent credere aut concedere, Christum corpore suo in nobis esse?

132. Id quod reuera non modò de Christi corporis & humanitatis maiestate, verumetiam de ipsa diuinitate est nihil credere.

133. Neque verò Capernaiticam lanienam carnis Christi in Cœna Domini instituimus: cùm de corpore Christi nihil pro ratione huius seculi in hoc mysterio asseramus: sed actio tota, quoad corpus Christi, cùm sit cælestis & Spiritualis, & mystica, quæ pani accidunt, propter vnionem Sacramentalem, corpori Christi tribuuntur, cùm tamen in ipso corpore Christi nihil horum fiat. Sic videri oculis corporeis, frangi manibus, tangi, dentibus atteri, & similia, quæ in sanctorum Patrum scriptis passim occurrunt, corpori Christi in Cœna Domini tribuuntur propter panem, cui accidunt, cùm in substantia carnis Christi nihil horum fiat, sicut suprà ex sententia eruditæ antiquitatis diximus.

134. Optaremus autem hac in re priùs inter sese conuenirent, qui Capernaiticam lanienam carnis Christi nobis in suis scriptis obiiciunt, & apud suos auditores hoc nomine nostram doctrinã exosam reddere conantur, cùm primarij erroris ipsorum patroni & defensores acerrimi publicis scriptis testentur, quòd hoc nomine nos excusatos habeant, si quidem non modò crassam illam carnis Christi & Capernaiticam manducationem damnent, sed

Theologi Heidelbergenses in Apologia.

etiam OMNEM, OMNEM, OMNEM realem præsentiam & manducationem, quocunque tandem modo, siue cælesti, siue supernaturali, siue quocunque alio cogitari, aut appellari possit.

135. Quemadmodum etiam falsè & Diabolico σαρκασμῷ summum hoc mysterium rident, dum nos modum præsentiæ ἄῤῥητον dicimus, illi meritò ἄῤῥητον esse affirmant. Quod enim non sit, id etiam neminem effari posse. Cuius impietatis Filio Dei pœnas dabunt, quem hic irrident.

136. Frustrà autem de indignorum mãducatione cum illis disputatur, cùm non credant, dignis, hoc est, verè credentibus vllo modo realiter corpus Christi adesse.

137. Nusquam enim dicunt esse corpus Christi, quàm in cælo, vbicunque locorum id sit: neque ad nos descendere, vsque ad consummationem seculi.

138. Quod verò dicunt: verè adesse corpus Christi: quibus verbis simplicibus imponunt, de ea præsentia intelligunt, qua iubent credentes sua fide in illum remotissimum cæli locum ascendere, vbi corpus Christi sit, & hoc modo sibi per fidẽ corpus Christi presens facere, cùm edunt panem Cœnæ, & bibunt ex calice vinum.

139. Quemadmodum enim duo eminus castrum aliquod collocatum habentes, quod alter aspiciat, & hoc modo sibi præsens faciat, alter verò oculos claudat, & non aspiciat, qua ratione præsens non habeat, cùm tamen neuter ad castrum accedat, neque castrum ad ipsum: sic pios per fidem sibi corpus Christi eminus & in cælo manens, præsens habere, reliquos verò minimè, qui non de Christo per fidem cogitent.

140. Quando autem non modò dignos, verùm etiam indignos corpus Christi accipere dicunt: intelligunt hoc de pane Sacramẽti tantùm, quem Christus corpus suum appellauerit, quod Sacramentale corpus, non modò digni, verùm etiam indigni sumant. Id verò nihil à corpore Christi præter nomen & appellationem sortiri: sicut humana natura in Christo omnipotentiæ nomen habeat, cuius in æternum, neque capax, neque particeps fiat.

141. Nos verò in Cœna Domini talem præsentiã corporis Christi ex verbo Dei docemus, vbi neque Christo, quo ad se, descensu,

neque

neque nobis, quo ad illius præsentiam in Cœna, ascensu in aliquem locum cæli opus sit. Sicut Lutherus luculenter exposuit.

142. Quando enim Christum secundum humanam naturam in sede diuinæ Maiestatis ad dextram virtutis Dei, quæ cælum & terram implet, collocatum firmiter credimus, sicut Symbolum Apostolicũ, & clarissima Scripturæ testimonia confirmant: hoc, quem ratio humana fingit, ascensu aut descensu minimè opus est.

143. Ante annos verò quinquaginta D. Lutherus refutauit Sacramentariorum ludibria, qui propter hanc summam Maiestatem, ad quam caro Christi exaltata est, nos ad cantharos ceruisiarios & brasicam ablegant, vt ibi corpore & sanguine Christi fruamur. Quas voces Deus impunitas non patietur abire.

144. Si verò conscientia est in illis Filij Dei & Testamẽti ipsius irrisoribus, qui sua hypocrisi corpus Christi hoc modo honorare videri volunt, nobis ad sequentes quæstiones breuiter respondeant.

145. An credant: Deum vbique esse sua essentia, vbique inquã? Cuius natura diuina humanæ tantum excellit, quantum Creator creaturæ.

146. Hoc si fatebuntur, de quo tamen vehemẽter dubito, si, inquam hoc credunt, respondeant nobis: An credant, Deum ipsum sua diuina essentia in omnibus cantharis cereuisiariis, brasica, & communi pane adesse.

147. An cum honore aut contumelia Dei cõiunctum sit, quòd rebus omnibus etiam minutissimis adsit, easdem sustentet atque conseruet, singulas inquam, nihil excipio, hîc inquã respondeant. Id enim necessariò sequitur, si credimus, Deum, diuinã inquam naturam & essentiam vbique esse, & omnia implere. Ieremiæ 23.

148. Sin verò hic os continent, non ignorantiæ, sed extremæ malitiæ in propria sua ipsorum conscientia conuicti sunt coram Deo & hominibus: Quod nobis coram rudi populo imputant, nos doctrina de Maiestate Christi sanctissimum corpus cõtumelia afficere: vt taceam alias blasphemias. Toto.n.corde & pectore exhorresco eas vel cogitans saltem, nedum audiens, vel recitans, qua appellant hanc Christi hominis Maiestatã cõmunicatã (quã Christo secundum humanam naturam, apertus fidei articulus

de sessione ad dexteram Dei, & Scripturæ sacræ euidentissima testimonia, cum vnanimi consensu sanctorum Patrum, tribuunt) Deam & Dianam mammatam, meretriculam, filiam Diaboli, cuius pater sit Diabolus, mater Brentius. Mirum si non ignis è cælo cadat, vt blasphemos istos homines viuos, sicut Chore, Abiram & Dathan, terra deglutiat, & ignis infernalis excipiat.

149. Quibus horrendis vocibus haud dubiè aduentum Filij hominis ad iudicium maturabũt, vt tantis blasphemiis vel tandem finem faciat.

150. Nos verò hanc maiestatem, & Christum secundum humanam naturam in ea collocatum, & exaltatum ad dexterã omnipotentis Dei, adoramus, colimus, & in rebus aduersis omnem spem & consolationem in ea collocamus. Quòd videlicet homo, homo inquam, frater noster, caro nostra, nobis in omnibus miseriis & tribulationibus nostris adest, gemitus cordis nostri audit etiam tanquam homo, neque quidquam illi, etiam quoad hominem, ignotum est, nobisque longè præsentior est, quàm ipsi nobis ipsis simus.

Theologi Heidelbergenses in sua confessione de tribus Articulis &c.

151. Ideoque hanc etiam vocem Sacramentariorum tanquam blasphemam detestamur, qua apertè affirmant, Christum nunc in gloria ad dextram Patris collocatum secundum humanum spiritũ *non omnia* scire, sed scire anima sua, quantum ipsum *decet scire*, & quantum ei *sufficiat* ad exercendum iudicium: Non esse καρδιογνώστην: Qui *tantum* habeat *cognitionis* Dei & operum eius, quantum illi Diuinitas reuelet. *Omnia enim scire*, proprietatem esse *solius Dei*, quæ nulli carni, adeoque etiam *humanæ Christi naturæ* non communicetur. Hactenus blasphemi Sacramentarij de humanitate Christi.

152. De manducatione quoque corporis Christi diligenter monendum duximus: aliam esse, quæ Iohannis sexto capite prædicatur: & aliam quæ in Cœna Domini instituta est.

153. Ea enim de qua Christus Ioannis sexto concionatur fit sola fide, sine externis Symbolis, à solis verè credentibus in Christum, semper ad vitam, nunquam ad iudicium.

154. Quæ autem in Sacramento à Christo instituta est, fit ore, cum externis signis, non solùm à verè credentibus, sed etiam ab hypocritis

hypocritis impiis, non solùm ad vitam, sed etiam ad iudicium.

155. Quapropter diligenter attendendum, sanctos Patres, Ecclesiæ primitiuæ Doctores, etsi concionem Christi ad Sacramentum Cœnæ accommodarunt, nequaquam tamẽ propterea vnam & eandem manducationem statuisse.

156. Cùm enim vnum & idẽ, quo ad Christum, corpus (vel caro) Christi sit, de quo Iohan. sexto, & in Cœna disseritur, & cum Sacramentali manducatione in vsu Cœnæ ea quoque manducatio concurrat, quæ fit fide in Christum, nec duo sint Christi corpora: hoc nomine rectè concionem Christi Ioan 6. ad Cœnam Domini accommodatam dicimus.

157. Apertè autem cum Apostolo asserimus, non solùm pios & verè fideles, sed etiam impios hypocritas, qui fidem & pietatem simulant, idem, adeoque illud ipsum corpus Christi, in vsu huius sacri conuiuij accipere, quod pij: sed ad iudicium, non ad vitam.

158. Christus enim non solùm Saluator est, sed etiam Iudex, cui Pater omne iudicium dedit, QVIA FILIVS HOMINIS est. Ioan. 5. qui tam præsens & efficax iudicium operatur in incredulis hypocritis, quàm vitam in verè credentibus. *Ioh. 5.*

159. Causa verò iudicij & mortis nõ est caro Christi, quæ mundi vita est, sed incredulitas hominum.

160. Sicut enim iidem numero radij Solis, ceram liquefaciunt, & lutum indurant, quod fit propter diuersitatem materiæ luti & ceræ, in quam Solis radij agunt: sic idem corpus Christi in Cœna, à dignis & indignis sumtum, propter hominum diuersitatem diuersa quoque operatur, vt in piis, quo ad se, iudex permanens, eosdẽ tamẽ non iudicet, sed viuificet, & in impiis, quo ad se, vita existens, eos tamẽ propter incredulitatẽ non viuificet, sed iudicet.

161. Et quamuis quo ad se contumelia afficiant corpus Christi, cuius rei sunt, sicut Apostolus loquitur, non panis: ipsi Christo tamen non minùs gloriosum est, iudicium in illis exercere, ad ostẽdendam suam iustitiam, quàm vitam & salutem in credentibus, ad declarandam suam misericordiam.

162. Quapropter toto cælo errant Sacramentarij, & apertè verbis Apostoli contradicunt, quando docent: impios hypocritas non corpus Christi, sed tantùm panem manducare, cùm

Apostolus disertè dicat: Quisquis indignè manducat & bibit, iudicium sibi manducat & bibit, NON DIIVDICANS CORPVS DOMINI. Non inquit: Non diiudicans panem hunc ab alio communi pane, vt Sacramentariorum glossa sonat: sed non diiudicans CORPVS DOMINI.

163. Nam etsi Apostolus panis vocabulo tantùm vtitur in commemoratis verbis, significanter tamen addit pronomen [Hoc] qui indignè inquit, de hoc pane manducat. Hoc autem panis est, de quo Christus dixit: HOC EST corpus meum. Ideo non panem tantùm, sed panem DOMINI, qui est corpus Christi, manducant.

Augustin. Tract. in Ioh. 27.

164. Et cùm Apostolo loquitur D. Augustinus, cùm inquit: Iudas manducauit PANEM DOMINI contra DOMINVM, quibus verbis nequaquam dicere voluit, Iudam nihil præter panem manducasse, sed quod non etiam sicut reliqui Apostoli virtutem Sacramenti acceperit. Quod Augustinus confirmat, inquiens: Hoc ergo totũ ad hoc nobis valeat, dilectissimi, vt CARNEM Christi non tantùm edamus in Sacramento, QVOD ET MVLTI MALI, sed vsque ad Spiritus participationem manducemus & bibamus, vt in Domini corpore, tanquam membra maneamus, vt eius Spiritu vegetemur.

2. Cor. 4.

165. Quemadmodum autem Euangelij prædicatio bona fragrantia est Deo semper, sicut Apostolus loquitur, & in his qui salui fiunt, & in his qui pereunt. His quidem odor mortis ad mortem, illis verò odor vitæ ad vitam. Sic & caro Christi in Cœna Domini.

166. Etsi enim Christus in hunc mundum non venit, vt iudicet mundum, sed vt mundus per eum saluetur: nec causa est iudicij aut interitus, quem sibi manducant impij, sed ipsorum impietas & incredulitas: tamen quando mundus eum non agnoscit, iudicium quoque à Patre accepit, quod nunc inuisibiliter exercet, in nouissimo autem die manifestabitur.

167. Possunt ergo impij hypocritæ sua incredulitate & impietate Christum respuere Saluatorem, quò minùs in illis vitam & salutem operetur: sed nolint velint coguntur eundem admittere Iudicem, qui in visceribus & intimo ipsorum Spiritu iudicium

suum

ſuum horribile & tremẽdum operetur, quod in hoc ſeculo ſit indu-
ratione, interdum etiam manifeſta deſperatione.

168. Damnamus ergo, primò omnium Caroloſtadij delirium, qui per pronomen [Hoc] Chriſtum corpus ſuum, non panem Cœnæ demonſtraſſe contendit.

169. Deinde Zvvinglij quoque interpretationem, qui vocabulum [eſt] per [ſignificat] interpretatus eſt, vt abſentiam corporis Chriſti doceret.

170. Similiter quoque Oecolampadij dogma, qui in verbis Teſtamenti Chriſti per vocabulum [corpus] nihil aliud, quàm figuram corporis Chriſti intellexit, vera corporis Chriſti præſentia negata.

171. Fatemur equidem libenter, ſanctos Patres in explicatione huius myſterij, panem & vinum appellauiſſe ſigna, figuram, Symbola, ἀντίτυπα, & quæ ſunt his ſimilia: Nuda autem Symbola, aut quæ abſens corpus Chriſti tantùm ſignificent aut figurent, hoc nullo modo demonſtrari poteſt.

172. Damnamus etiam Caluini, & ſociorum eius de Cœna doctrinam, qui vt maximè anteceſſorum ſuorum non omnia probent, in communi tamen cum ipſis errore verſantur, & docent: corpus Chriſti à pane Cœnæ abeſſe, quantum ſummum cælum à terra diſtat, cuius loco virtutem corporis Chriſti pro ipſo corpore Eccleſiæ obtrudunt.

173. Damnamus & Svvenkfeldij errorem, qui falsò docet: quòd eadem ſit carnis Chriſti manducatio extra Sacramentum, quæ ſit in Cœna DOMINI: præterquam quod in Cœna DOMINI externa ſigna accedant, quorum vſum gratiarum actionem dicit, pro interiore manducatione per fidem factam.

174. Damnamus quoque Papiſtarum Tranſſubſtantiationem, qua ſubſtantiam panis in ſubſtantiam corporis Chriſti conuerti docent, ſpeciebus ſeu accidentibus tantùm relictis.

175. Damnamus etiam, quam docuerunt annihilationem panis, in cuius locum corpus Chriſti ſuccedat.

176. Similiter & damnamus Papiſtarum ſacrilegium, quo alteram partem Sacramenti, contra expreſſa verba Teſtamenti Chriſti, friuolis de cauſis, quas Gerſon commemorat, laicis (quos ſic vocant) ſpoliarunt.

177. Neque enim hîc ipſorum, quam finxerunt, concomitantiæ locum habet, quam ex proprietate phyſici corporis proferunt, quòd corpus viuum non ſit ſine ſanguine. Cùm hæc præſentia corporis & ſanguinis Chriſti non ſit phyſica, ſed myſteriũ. Ideóque eius diſpenſationis ratio non alia eſt cogitanda aut conſtituenda, quàm verbo Dei definita eſt, & myſterij ratio exigit.

178. Hinc rectè Gelaſius: Comperimus quòd quidam, ſumta tantummodò corporis ſacri portione, à calice ſacrati cruoris abſtineant, qui procul dubio (quoniam neſcio qua ſuperſtitione docentur aſtringi) aut INTEGRA Sacramenta accipiant, aut AB INTEGRIS arceantur. Quia diuiſio vnius eiuſdemque myſterij, ſine grandi ſacrilegio non poteſt peruenire.

179. Damnamus quoque & adorationem, circumgeſtationem, & incluſionem panis conſecrati, cuius vſus eſt à Chriſto inſtitutus, vt ad memoriam mortis ipſius manducetur. A quo vſu per Chriſtum inſtituto ſi recedatur, & nouus cultus inſtituatur, horribilis idololatria committitur.

180. Inprimis verò Miſſam Pontificiam, tanquam abominationem damnamus, qua Sacramentum à Chriſto in memoriam paſſionis & mortis ſuæ inſtitutum, in ſacrificium propitiatorium cõuertitur, quod quotidie pro peccatis viuorum & mortuorum, pro culpa & pœna, in contumeliam ſemel pro peccatis totius mundi à Chriſto oblati ſacrificij, Deo Patri offertur.

181. Damnamus quoque Ieſuitarum hæreticam & Neſtorianã doctrinam, qua docent, corpus Chriſti in cælo tantùm eſſe, & ſalua veritate naturæ humanæ ſimul in cælo & terra eſſe non poſſe.

182. Ex quo intelligitur, Ieſuitas non modò Caluiniſtas, ſed iis etiam deteriores eſſe, quòd loco corporis Chriſti veri in cælo permanentis, & quòd ſimul in cælo & terra adeſſe negant, aliud nouum corpus fingentes, Eccleſiæ Dei pro vero illo Chriſti corpore in Sacramento adorandum proponunt, quod non ex ſubſtantia Virginis Mariæ natum ſit, ſed ex ſubſtantia panis factum ſit. Siquidem in locum ſubſtantiæ panis annihilati, vel definentis, illorum opinione non põteſt ſuccedere verum corpus Chriſti, quod in cælo eſt, & ſalua veritate naturæ humanæ in terris nullo modo eſſe poteſt.

183. Hæc

283. Hæc est vera doctrina, fides & confessio de Cœna Domini ex fontibus Israël hausta, omni ex parte sibi cõsentiens, quam nobis Lutherus reliquit.

284. Pacis autem & concordiæ vna hæc est cum Iesuitis & Sacramentariis ineundæ ratio, vt communicatione naturarum in persona ϑ λόγυ, & earum proprietate, adeoque Maiestate hominis Christi asserta, qua ad dextram omnipotentiæ collocata est, quæ nullo loco definitur, iuxta aperta & perspicua, ac minimè dubia aut obscura verba Testamenti Domini nostri Iesu Christi, remota omni disputatione simpliciter credamus, quòd corpus Christi, virtute omnipotẽtiæ Dei, verè & realiter adsit, corpus inquam Christi, non virtus, aut merita corporis Christi tantùm: modo nõ locali, naturali, aut physico, sed cælesti, supernaturali, & humano captui imperuestigabili, quem neque incredulitas impediat, aut fides hominis faciat: sed Maiestas, & indubitatum verbum Testamenti Christi. Quo ad vitam fruuntur pij per fidem, impij autem propter incredulitatem per eundem Christum iudicantur. Mysterium sacrilegio non diuidamus, nec extra ordinem à Christo institutum in alium vsum conuertamus, sed memoriam mortis Christi celebrantes, & ore & vera fide manducemus, ad confirmãdam fiduciam de remissione peccatorum, quod vnicum propitiatorium sacrificium mortis Christi in cruce nobis impetrauit. Et sic pax & concordia erit.

285. Quod largiatur nobis Deus Pater, per Iesum Christum in virtute Spiritus sancti: cui laus, honor & gloria in secula. Amen.

REPETITIO ORTHODOXÆ doctrinæ, oppositæ Thesibus Jacobi Andreæ, de Cœna Dominica.

Dialog. 2. in fine.

GRAVISSIMÈ apud Theodoretum Orthodoxus inquit: Tantam vim habet veritas, vt etiam aduersa fronte repugnantes ad assentiendum iis, quæ ab ipsa dicuntur, flectat. Idem nostro Disputatori, de sacra Cœna litem renouanti accidit. Etsi enim fœdissimum consubstantiationis errorem, qui manifestæ idololatriæ occasionẽ præbet, mordicus defendere apud animum suum constituit: propter quem etiam bellam illam corporis vbiquitarij glossam, toti sacræ Scripturæ repugnantem, & vniuersæ Orthodoxæ antiquitati ignotam, ac recens audacter excogitatam totis viribus propugnat: tamen è mediis, & planè cimmeriis, atque AEgyptiis perplexissimæ disputationis tenebris, veritatis interdum radioli emicantes, quasi per transennam ipsi apparẽt: quos nisi anteceptæ opinionis densissima illa caligine, tanquam nube obducta, rursus opprimeret, facilè totam cõtrouersiam componi posse, certum est. Cùm autem omnia ista ficulnea fulcra, quibus suam opinionem de corporis Christi non tantùm in qualibet panis consecrati offula, & sanguinis eiusdem in singulis vini consecrati guttulis coëxistentia, verùm etiã in omnium arborum foliis, vel vt ipsius verbis vtar, in quouis fœno & hordeo, denique in qualibet brassica, & omnibus (horrendum dictu) cantharis cereuisiariis, reali præsentia malè fulcit, iam antè plus satis in præcedenti

Thesium

Theſiũ ipſius de perſona Chriſti examine refutata ſint: itaque ne actum agere videar, vtar nunc compendio, & omiſſis conuiciis, ad quę non eſt reſpondendi animus, ne immemor videar præcepti: Ne reſpondeas ſtulto ſecundum ſtultitiam, ne fias ei ſimilis: in quatuor claſſes diſtribuam, quàm potero breuiſſimè, ea omnia, quæ Diſputator ſine ordine, & ratione de Cœna Dominica miſcendo vera falſis conſarcinauit, & effutiuit. Earum autem claſſium prima repetet propoſitiones veras, quibus Antagoniſta præter animi ſententiam imprudens Orthodoxis aſtipulatur: altera fictas, quas calumniæ aſſcribendas puto: tertia, contradictorias, quibus ſe ipſum confutat: quarta manifeſtè impias, & blaſphemas, quæ effrenem animi malitiam produnt.

Cumque Diſputator ipſemet Irenæi dictum alleget, *Theſi 32.* quòd hæreticorũ malitiam, impoſturas, fraudes, & dolos in lucem producere, ſit confutare: prudenti lectori iudicium relinquam, an non officio cõfutatoris perfunctus ſim, ſi vera à falſis eo, quo dixi, ordine, & modo diſtinxero, & quaſi in tabella, nudè contemplanda propoſuero. Illud ſaltem hîc obiter admonendum duxi, cùm in prandio ſuorum candidatorum præſes D. Iacobus Andreæ clara voce profeſſus ſit, ſe ante vitæ ſuæ exitum cum Theodoro Beza, grauiſſimo huius ſeculi, optimeque de Eccleſia Chriſti merito Theologo, quem honoris cauſa nomino, de controuerſia ſacræ Cœnæ placidè tranſacturum: videri mihi priore hac propoſitionum, in tabellam collectarum, claſſe, ſi conſtare ſibi velit, concordiæ ſolidæ ineundæ, quaſi viam delineari, quæ tamen ex diametro repugnat vtrique, tam conſubſtantiatorum, quàm Vbiquitariorum monſtro. Deſinat ergo ſtultum nouæ fidei architectum agere, & aut in diuino illo opere, quod

Ad Orthodoxum consensum.

sanum Orthodoxæ Ecclesiæ de sacra Cœna consensum, super Scripturæ testimoniis immotis extructũ, complectitur, piè tandem nobiscum acquiescat: aut vanissimis se mendaciis ludere, & omnem religionem scurrili impietate irridere fateatur: cùm his ipsis Thesibus, quæ in prima sequentis tabellæ classe recitabuntur, non aliam, quàm Orthodoxi consensus, doctrinam proponat, cuius tamen iuratus & infensissimus hostis esse furenter pergit.

Tabella in quatuor classes distincta.

Sequitur tabella, cuius prima, vt dixi, classis continet propositiones veras, quas pio cõsensu amplectimur, nec aliam, quàm verborum & phrasium proprietas requirit, sententiam eis affingimus: cùm totidem verbis, imò syllabis, nostræ fidei sententiam, quam verbo Dei congruere certi sumus, exprimere, vt omni tandem suspicione remota, pax firma inter sinceros veritatis & concordiæ studiosos coalescat, nequaquam recusemus.

Prima classis continet propositiones veras, & Orthodoxas.

Approbamus ergo has theses.

Thesi D Iacobi Andreæ.

QVOD *præter verba Testamenti Christi, quibus in solidum subscribimus, quæq; vnicum & proprium, & perpetuum huius tremendi mysterij fundamentum esse asserimus, etiam 200 Patribus Concilij Ephesini, & 630 Concilij Chalcedonensis, aliisq; veteris Ecclesiæ scriptoribus, non quidem vt fidei nostræ autoribus, sed potius, vt Christianæ veritatis idoneis testibus, reuerenter assentiendum & credendum sit. Cùm ergo liber Orthodoxi consensus sacra Scriptura, & veteris Ecclesiæ, de Cœna Dominica veritate, dulcissimam ambrosiam luculenter explicet: quid obstat, quo minùs in vera illa sententia pax coalescat?*

2. *Verba Patrum Concilij Ephesini vtraq; manu amplectimur, totidemque literis, syllabis, & verbis, iisdem deniq; cum Patribus, non recentibus, inquam, Bergensibus, quibus ne quidem inter se conuenit, sed priscis illis, hoc est, Orthodoxis,*

doxis, sententiis, & phrasibus, repetimus. Annuntiantes enim mortem vnigeniti Filij Dei Iesu Christi, & resurrectionem eius, atque in cælum ascensionem pariter confitentes, incruentum celebramus in Ecclesiis sacrificij cultum, & ad mysticas benedictiones accedimus & sanctificamur, participes sancti corporis, & pretiosi sanguinis Christi, omnium nostrûm Redemtoris effecti, non vt COMMVNEM CARNEM percipientes (quod absit) nec vt viri sanctificati, & Verbo cõiuncti, secundũ dignitatis vnitatem, aut sicut diuinam possidentis habitudinem: Sed VERE VIVIFICATRICEM, & ipsius Verbi propriam factam. Vita enim naturaliter, vt DEVS existens, quia propriæ carni vnitus est, viuificatricem eam professus est. Hactenus verba concilij aduersus Nestorium, quæ à disputatore ita citantur, vt facilè appareat, quòd nec textum inspexerit, nec decreti scopum obseruarit.

3. Etiam Ambrosij sententiæ subscribimus, quòd nimirum in Sacramento Eucharistiæ Christus sit, & quòd non corporalis sit esca, sed spiritualis, id est, pabulum mentis, non ventris: adeoq; non nisi spirituali organo recipiendum. Quia corpus Christi, hoc est, corpus Dei, seu corpus diuini Spiritus: & per consequens corpus viuificum est. Spiritus enim est qui viuificat: propterea etiam caro Christi viuificat, non quia caro, sed quia Christi, hoc est, Dei Verbi, viuificantis omnia, caro est. Huc Lutheri congruit axioma: Sacramenta sunt spiritualia non in obiecto, sed in vsu.

4. Constat & illud, Vbiquitarios iamdudum vltrò professos esse, nisi τὸ παντα χοῦ corporis Christi obtineant, cui portento tota sacra Scriptura & Catholica Ecclesia vnanimi consensu, vniuersa deniq; rerum natura repugnat, non posse eorum, quos aduersarios proclamant, sententiam περὶ δείπνου ex verbis Institutionis impugnari. Aut igitur veritati palmam concedant, & triste classicum canere desinant, aut se fumos vendere agnoscant, dum verborum Institutionis prætextu bellam suam περὶ τοῦ παντα χοῦ Helenam in theatrum producunt. *Thes. 2, & 24. Brentius, Iacobus Andreæ. Osiander, Marbachius.*

5. Fatemur ingenuè, & disertis verbis profitemur: Verba Testamenti Christi secundum subiectam materiam simpliciter esse intelligenda, veriq; corporis pro nobis in ara crucis traditi, & sanguinis pro nobis ex vulneribus Christi profusi præsentiam indubia mente credimus, & docemus. Atque præter hanc vnicam nulla alia causa est, cur tanto cum periculo capitũ nostrorum resistendum acerrimè Vbiquitariorum portentis iudicemus, quàm nimirum, vt naturali, hoc est, vero, non imaginario, vmbratili, aut fictitio Christi corpore, & sanguine in sacra Eucharistia verè nos pasci, ac refici constet. Cum è contrario Vbiquitarij verba Testamenti Christi non simpliciter, hoc est, secundum sub- *Thes. 11.*

iectã materiam interpretentur, sed in alienum planè sensum, à sacræ cœnæ fine δὶς διὰ πασῶν discrepantem, & Testamentum Saluatoris planè euertentem, detorqueant: Adeoq; pro corpore tradito, & sanguine effuso, cum quo naturalis, vt orthodoxi patres sentiunt, κοινωνία nobis intercedit, corpus figuratiuum, vbiquisticum, phantasticum, replens cælum, & terram, cui nostri corporis definitio non congruat, hoc est, quod nobis non sit ὁμοούσιον, sed & à nobis, & ab eo, quod in ara crucis pro nobis traditum fuit (quod certè carne, & ossibus, & sanguine præditum, deniq; palpabile, visibile & locale fuisse minimè negari potest) longè, proh dolor, diuersissimum, mira impudentia, & audacia comminiscantur, atque substituant: totámq; Redemtionis nostræ certitudinem, id est, omnes fidei Christianæ articulos, quorum Eucharistia Sacramentum, hoc est, σφραγὶς, & sigillum esse debebat, labefactent.

Thes. 13. 6. Luce porrò meridiana clarius est, Christum Cœnam suam & instituisse, & celebrasse priusquam in cælum ascenderet. Quid igitur opus est, vt propter præsentiam, & dispensationem corporis eius in cœna nec localem, nec miraculosam, sed mysticam, seu vt Lutherus loquitur, Sacramentalem, articulum Ascensionis negent? Cur pro Ascensione disparitionem substituunt? cur triplicem ascensionem comminiscuntur? (Bis enim verè Christum ascendisse fingunt, semel post salutationem. statim Angelicam: semel vbi dixerat: pater in tuas manus commendo Spiritum meum. Tertiam spectaculo tribuunt, cùm videntibus Apostolis ascenderet) cur deniq; tam latè corpus Christi pertinere, quàm latè dextra Dei sese extendat, fingere non erubescunt? Qua enim ratione in prima cœna Apostoli corporis, & sanguinis Christi postridie tradendi & profundendi, nondum verò tum quidem in ara crucis traditi & profusi, participes facti sunt: eadem nunc quoque ratione, eiusdem inquam corporis, & sanguinis Christi, semel pro nobis iam pridem traditi & effusi, non iterum tradendi, aut effundendi, participes nos reddi, quotquot ad mensam Domini, seruato ritu diuinitus sancito, congregamur, certum est. Qua enim ratione in primæ cœnæ sacra institutione corpus Domini in altera mensæ parte coràm tùm accumbentis manducabant Apostoli crucifigendum: eadem, non alia ratione, adhuc hodie in sacra Synaxi manducamus, & deinceps manducaturi sunt fideles, donec inde, quò abiit, redeat, idem eiusdem Domini, licet non amplius conspicui, non omnino tamen absentis, corpus, non denuò, inquam, crucifigendum, sed iam antè semel pro mundi peccatis crucifixum. Sin negent, diuersam hanc ab illa Eucharistiam constituant oportet, atque ita, non quod Dominus iussit, sed quod ipsis facere libuit, fecerint.

Thes. 14. 7. Certum & illud est, solo Scriptura textu, eoq; aperto & manifesto, hoc

est,

est, non detorto, non mutilato, non stolidè intellecto, non deprauato, veram pi- *Thes. 16. & 99.*
orum fidem niti. Conscientia enim hominis in tentationibus grauissimis, non glossa, sed expresso Dei verbo satiatur, & sustentatur: cum è contrario glossa humana in dubitatione relinquant perpetua, & ad desperationem tandem adducant. Doceant ergo nos Patres Bergenses, vbinam scriptum sit: Corpus Domini replere cælum & terram, vbiq; locorum, in, sub, & cum pane coexistere, manducari ore etiam ab impijs. Aut quænam, non inquam Grammatica, *Thes. 14.*
Dialectica, Rhetorica, Physica, Mathematica, Metaphysica, vt liberalium artium iuratus ille hostis scurriliter ludit, sed quæ Scriptura, inquam, docet, quòd aperta, & manifesta illa Scripturæ sacræ dicta, quæ de Christo loquuntur, quòd mundum reliquerit, idem significent: quòd corpus Christi factum est inuisibile, impalpabile, illocale, vbiq; locorum cum diuinitate in quolibet hordeo, & fæno coexistens? Deniq; pro eo, quod Christus in cœna dixit: hoc est corpus meum, quod pro nobis traditur: doceant nos (sed ex verbo Dei, non ex suo cerebro) legendum esse, hic, in hoc loco, vbi est situs panis, adest corpus Christi, replens cælum & terram? Quod si hic verborum Christi sensus est, quibus argumentis pontificiam Idolomaniam, alligantem corpus Christi ad locum panis, refellere possint, erudiri cupimus.

Aut ergo consolationum neruis trepidas conscientias impiè spoliare se agnoscant Vbiquitarij, aut istas suas bellas glossas, quibus veritatem Scripturæ tetrè corrumpunt, abiiciant, atque ita pax erit restituta Ecclesiæ.

8. *Veram, & realem corporis Christi in sacra Cœna præsentiã, & partici-* *Thes. 12.*
pationem, tantum abest, vt orthodoxa antiquitas vnquam in dubium vocarit, vt ex hoc ipso fundamento perditissimis iam olim hæreticis, Martionitis, Arianis, Nestorianis & Eutychianis restiterit: quorum furores cum fictitia illa, nescio cuius supposititi, non veri, sed figuratiui & somniati corpusculi, in, sub, & cum pane, respectu situs & loci coexistentia, non refutet, sed renouet & stabiliat: tum demum ex orthodoxis patribus suam Vbiquitarij consubstantiatores probabunt sententiam, cum inter orthodoxos illa ipsa Martionitarum, Arianorum, Nestorianorum, & Eutychianorum portenta recipienda esse demonstrauerint. Qua de re consulat lector orthodoxi consensus librum, ne *Orthodox. conf. cap. 5.*
hic in immensum nobis crescat opus.

9. *In verbis ipsis nullum tropum esse, sed simplicem & germanam cuiusq;* *Thes. 40.*
vocabuli sententiam retinendam: At in connexione, seu integra propositione vel Synecdochen, vel alium tropum Sacramentalem ponendum esse, per quem tamẽ præsentia corporis Christi è cœna minimè tollatur, sed explicetur: iterũ vno ore fatemur. Nisi ergo secum ipse pugnare velit disputator in hac senten-

tia consistat, & tota composita lis erit. Sic enim olim Brentius, antequam renouato per odium & ambitionem certamine, portentosa inualescerent vbiquitas, verba cœnæ ad synecdochen redigi voluit, hoc nimirum sensu, vt intelligatur, pane, & vino cœnæ, tanquam mediis quibusdam, & signis per verbum factis, corpus & sanguinem Christi, fidei nostræ, vt donum & res signatas, præsenter offerri, & dispensari, quò non tantùm externo ventris ori, sed & suus fidei cibus relinquatur, & spiritualis homo, in hoc cœnæ mysterio suis speratis bonis non defraudetur. Consideret autem pius lector, quàm longè à simplici, & natiua verborum institutionis vi atque sententia consubstantiatores vbiquitarij discedant, cum non modò in singulis verbis tropum fingant, verùm etiam totam propositionem inuertant, in subiecti locum prædicato, & in prædicati locum subiecto distractis & transpositis. Hac enim ipsorum sententia, seu explicatio est: Hoc, id est, hic, in, sub, & cum panis offula: Est, id est, realiter, substantialiter & corporaliter adest, atque ore corporis, cum à piis, tum ab impiis essentialiter sumitur: Corpus Christi, scilicet, in, sub, & cum pane, respectu elementi situs, ac loci, inuisibiliter, impalpabiliter & illocaliter comprehensum: Quod pro vobis traditum est, id est, quod non est circumscriptum, & loco definitum, sed quod est factum maiestuosum, repletq; cælum & terram. Hanc tetram verborum Domini deprauationem quis non execretur?

Brent. cap. 6. & 20. in Exeg. Ioan. Hac doctrina potest esse formula Concordiæ. de hoc art.

NOTA. Falsa verborum cœnæ explicatio, contra quam vide 22. Argumentum orthod. con sens. cap. 7. Thes. 55. Thes. 56.

10. Vtrunq; autem & sentimus, & dicimus, & credimus: Christum Dominum verè, substantialiter, realiter, & viuum adesse, & nobis communicare corpus & sanguinem suum. Et corpus Christi verè, substantialiter & realiter adesse in Cœna Domini, videlicet non pani, sed sumenti illum panem, ritu diuinitus sancito. Non enim pani, sed sumenti facta est promissio. Et quia præsentia pendet ex promissione, non ex situ panis, aliud est, adesse Sacramentaliter, seu mysticè, aliud localiter. Hoc negant, illud asserunt orthodoxi. Sit ergo pax, & faciat calumnia.

Præsentia Sacramentalis est ex promissione.

11. In primis enim corporalem illam, hoc est, localem præsentiam reiiciendam ducimus, qua exposita, corpus Christi verè, substantialiter & realiter in mysterio cœnæ adesse, & sacramentotenus etiam ore, cùm à dignis, tùm ab indignis accipi: illis quidem ad vitam, his verò ad iudicium, nemo sanus inficiabitur. Nec quisquam inter orthodoxos vnquam repertus est, qui corpus Christi in Cœna Domini figurari, aut significari TANTVM dixerit, aut corpus Christi omni modo à sacra cœna abesse finxerit. Quin potius vnanimi omnes consensu, & credunt & docent: vt sine externis elementis panis, & vini, Eucharistia non esset Sacramentum: ita sine corpore, & sanguine Christi non posse dici, aut esse cœnam seu mensam Dominicam.

Thes. 64. Thes. 63. Thes. 62. Thes. 65. Vide Dialogum Oecolampadij.

12. Ad

12. Ad vocabulum autē ſpiritualiter quod attinet, nequaquam per hoc intelligimus, Spiritum ſanctum tantùm adeſſe, aut ſolam corporis Chriſti virtutem, hoc eſt, merita nobis communicari, ſed talem κοινωνίαν cum Apoſtolo prædicamus, qua corpus Chriſti, ſubſtantia, merito & efficacia nobis communicetur. Et diſertè ſubſtantiam præponimus, quia cauſſarū ordine prius oportet nos cum ipſo Chriſto vnum fieri, ſiue Chriſtum ipſum participare, quàm ex ipſo, quæ ipſi, vt ſubiecto inſunt, id eſt, omnia ad ſalutem neceſſaria, quæ tam ad reatus expiationem, quàm perfectæ innocentiæ imputationem, & nouitatis inſtaurationem ſpectant, hauriamus. Cum autem hoc ſacroſanctum epulum nequaquam ventri, ſed menti paſcendæ inſeruiat, modum præſentiæ cum Luthero Sacramentalem, ipſum verò vſum ſpiritualem nominamus. Iuxta axioma eiuſdem, ſuprà in explicatione dicti Ambroſij adductum: Sacramenta non ſunt ſpiritualia in obiecto, ſed in vſu. Quam Regulam eo ipſo Vbiquitarij euertunt, quòd ex myſterio faciunt miraculum, & verba promiſſionis in Euchariſtia explicant per verba creationis: Ipſe dixit, & facta ſunt. Quæ ſententia pontificiam ἀρτολατρείαν adeò non impugnat, vt etiam magis ſtabiliat, ac confirmet. *Theſ. 67. Theſ. 65.*

13. Nobis autem D. Irenæus, Polycarpi diſcipulus, qui Iohannem Euangeliſtam audiuit, apertè aſtipulatur, inquiens: Euchariſtia duabus rebus conſtat: Terrena, & cæleſti. Terrena, panis & vinum: cæleſtis (non inquit, virtus corporis Chriſti, ſed ipſum) corpus & ſanguis Chriſti eſt. Vt enim homo ex parte terrena & cæleſti conſtat, ita ſacrum illud epulum, quo paſcimur ad æternam ſalutem, habet, & quod corpori, & quod animæ congruat, vt hoc quaſi pabulo & ſigillo gratiæ, ſecundum animam & corpus ad vitam immortalem ſaginemur & obſignemur. Idem tota orthodoxa antiquitas vnanimi ſemper conſenſu & credidit & docuit. *Theſ. 68. Lib. 4. cap. 34. Vide Chryſoſt. Homil. 83 in Matt.*

14. Etſi autem verba Teſtamenti Chriſti, quando inquit: Accipite, comedite, hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur: voluntatem ipſius patefaciunt, quòd velit adeſſe: Tamen hinc non ſequitur, quòd ita velit adeſſe, vt etiam ſubſtantialiter, non Sacramentaliter tantùm impiorum immundo percipiatur ore: quod qui contendere non erubeſcunt, ſimul & verbis Chriſti vim faciunt, & ſuam ἀκρισίαν in theatrum producunt, qua modum partim nullum ſe exprimere, partim ἄῤῥητον eſſe modū clamitant, & omnipotentiæ Dei commendandum, cum interim & præſentiam corporalem, & manducationem oralem, quæ ab omnibus ſenſu communi præditis, non niſi de modo, vel dici, vel intelligi poſſunt, perpetuò in ore habeant. *Theſ. 69. Theſ. 63 & 102. Theſ. 67.*

15. Quin potius cum Eccleſiaſticis ſcriptoribus præſentiam corporis Chriſti *Theſ. 79.*

in cœna Domini, quæ non est miraculum, sed mysterium, Sacramentalem appellamus, qua corpus Christi manibus tractari, dentibus teri, & similia dixerunt, quæ corpori Christi minimè conueniunt: sed propter panem ei tribuuntur (quem corpus suum Christus appellauit) cui hæc accidunt. Sunt hæc disputatoris verba satis perspicua, in quibus si pedem fixerit, facilè totum negocium transigetur: præsertim si illud etiam pro confesso receperimus, quòd corpus Christi in pane cœnæ non sit proprietate naturæ suæ, sed ratione mysterij, Thes. 82. Thes. 103. *vt Ecclesia loquitur. Et in hac sententia, phrases illas Sacramentales, in pane, sub pane, cum pane &c. minimè reiicimus, sed reuerenter, & cum pia consideratione amplexamur. Quibus tamen cum etiam, saluo cœnæ mysterio carere nos posse ostendat disputator, non immeritò miramur, cur interpretationem* Thes. 106. *Paulinam iisdem postponat, & definitionem ex Apostoli verbis extructam, ne-* Thes. 122. *scio cuius erroris Sacramentarij suspectam reddere conetur, cui catecheticam illam Lutheri, de Sacramento, vt loquitur, altaris, licet minimè falsam, si dextrè accipiatur: nimis tamen exilem, & humanis potißimum phrasibus nitentem, præferre solet. Neque verò corporis Christi integritas in Eucharistia conseruatur ab iis, qui id vbiq; esse contendunt, & negant, eadem definitione, qua nostra corpora comprehendi.*

Thes. 97. 16. *Huc facit etiam, quod ex Augustino citat disputator*: non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem effusuri sunt illi, qui me crucifigent. Ipsum quidem, & non ipsum: ipsum inuisibiliter (id est, spiritualiter & fide) non ipsum visibiliter (id est, corporis ore) Explicat enim seipsum Au-

Serm. 2. de Verbis Domini. gustinus, cum alibi sic inquit: Putastis, quia de hoc corpore, quod videtis, partes facturus sim, & membra concisurus & vobis daturus? Illud manducare refici est: illud bibere, quid est, nisi viuere? Tunc autem corpus & sanguis Christi erit vita vnicuique, si quod in Sacramento visibiliter sumitur, in ipsa veritate spiritualiter manducatur & bibitur. Idem docet Paschasius Abbas, cum inquit: Virtute Spiritus Christi corpore ipsius quotidiè pascimur, & potamur sanguine, vnde nec mirum, si Spiritus sanctus, qui hominem Christum in vtero virginis sine semine creauit, etiam ipse panis & vini substantiam, carnem & sanguinem Christi inuisibili virtute & potentia, per Sacramenti sui sanctificationem, quotidie operatur, quamuis nec visu, nec gestu exterius comprehendatur, sed quia spiritualia sunt, fide & intellectu, pro certo plenissimè

mè sumuntur, sicut prædixit veritas: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. *Hæc ille.*

17. *Vt autem substantiam panis in Eucharistia integram manere, extra controuersiam est: ita si seriò ita sentit disputator, vt præfert, omissa nimirum disputatione de modo præsentiæ, simplici fide credendum esse, in sacrosancto illo conuiuio, hoc ipsum corpus, quod pro nobis traditum, hoc est, crucifixum, & mortuum est: hoc ipsum inquam corpus, & non aliud: sicut quoque eum sanguinem & non alium, qui pro nobis in cruce effusus est, nobis manducandum, & bibendum à Filio Dei proponi & legari: iterum compositalis erit. Nemo enim pius negat, id corpus fruendum in cœna proponi, quod pro nobis est traditum: illumq; sanguinem nobis fideli mente hauriendum legari, qui ex vulneribus Christi pro nobis effusus largos riuulos duxit.* Thes. 106. Thes. 112.

18. *Vtq; à pontificia, vel transubstantiationis, vel annihilationis, vel desitionis, vel consubstantiationis (est enim ipsa quoque consubstantiatio pontificiorum inuentum, teste Luthero de Cardinale Cameracensi: Tom. 2. Lat. Ienen. de capt. Babyl. folio 277.) & similium monstrorum turba, toto pectore abhorremus: ita cum Apostolo grata mente, voceq; & sentimus, & loquimur: Verum nimirum & substantialem panem & esse, & manere etiam in ipso vsu cœnæ, & seruire dispensationi corporis Christi: Iuxta verba maximè perspicua:* PANIS, *quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? Item, quotiescunque comederitis* PANEM HVNC *&c. Sacramenti enim definitio elementorum integritatem requirit, sicut & aqua in lauacro regenerationis, quo ad substantiam non immutatur. Et quod Augustinus de Baptismo eleganter ait: Vnde tanta vis aquæ, quæ corpus tangit & corpus abluit; nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur? Hoc etiam de pane Eucharistiæ rectè dici potest: Vnde tanta virtus panis, quòd ore visibiliter manducatus, in ipsa veritate nos corporis Christi participes faciat, nisi faciente verbo, non quia dicitur, sed quia creditur? Qui enim cum debita reuerentia & conscientia pura, & recta fide accedunt, illis fit, sicut credunt: inquit Damascenus lib. 4. cap. 14.* Thes. 114. 116. *Est tamen damnata à Guitmundo & Algero ante aliquot centenos annos.* Thes. 117. Tract. 80. in Ioan.

19. *Quòd verò Patres de mutato pane in corpus Christi loquuntur: nequaquam de substantiali mutatione intelligunt: sed quod non amplius est communis panis, qui in hoc mysterio dispensationi corporis Christi seruiat.* Thes. 118.

20. *Atque hinc minimè impugnamus, etiam ore manducari corpus, propter verba Christi, id est, quatenus panis est corpus, respectu mutationis non substantialis, sed mysticæ. Sicut eadem phrasi orthodoxos Ecclesiæ Doctores iam olim vsos esse cōstat, quando corpori tribuunt Sacramentaliter, quod est signo-* Thes. 124. 125.

rum. Id quod etiam supra, Thes. 79. disputator ipse fassus est: & sequentibus verbis clarè repetit, quando nec phrasin illam de manducatione, vt loquuntur, orali, duram, nec rem ipsam absurdam haberi vult, cum corpori Christi pro ratione & modo huius sacrosancti mysterij tribui soleat, quod panis proprium est: sicuti etiam spiritui sancto proprium columba, descensum videlicet è cælo adscribi docet, quod Spiritui sancto, ratione suæ substantiæ & essentiæ minimè conuenit. Hoc igitur in sano vtring3 intellectu teneamus, & rursus omnis iam controuersia erit sedata.

Thes. 126.

21. Ad inhabitationem Dei in sanctis quod attinet, consideratis gradibus præsentiæ Dei, facile scrupulum omnem eximi posse dubium non est, si facessat calumnia. Qui enim pro infinitissima essentiæ immensitate omnibus creaturis, nedum sanctis, hoc est, renatis adest liberrimè præsentia conseruationis: eum in hac vita renatos insuper, vt templa, & organa sua per gratiam sanctificationis, non autem hypostaticæ vnitionis, aut nescio cuius inclusionis substantialis inhabitare, vt extra controuersiam positum esse puto, ita nullo idoneo argumento, nedum Scripturæ testimonio euerti poterit. Toto enim genere cum vniuersalem præsentiam, tum inhabitationis gratiam, ab vnione personali, quæ sola essentialem duarum naturarum in vnam hypostasin copulationem requirit, differre certum est. Nec tamen propterea à singulari illa virtute & efficacia bonitatis suæ, hoc est, à gratia inhabitationis, qua Pater, & Filius, per κοινωνίαν Spiritus sancti ad credentes venire, & mansionem apud ipsos facere perhibetur, essentia Dei, qua omnibus creaturis in genere adest quo ad conseruationem, vel diuellitur, vel excluditur. Vt hac quidem in parte frustrà videantur in suspicionem adduci, qui nonnulla distinctius, & accuratius explicari optarint.

Thes. 128. & 129.

Iohan. 14. 2. Petri. 1.

22. Approbamus etiam totam illam thesin, quam veritas ipsa disputaturi extorsit: cum inquit: Neque verò Capernaiticam (vel crassam scilicet, vel subtilem) lanienam carnis Christi in cœna Domini instituimus: cum de corpori Christi nihil pro ratione huius seculi in hoc mysterio asseramus: sed actio tota, quo ad corpus Christi, cum sit cælestis, & spiritualis, & mystica, quæ panis accidunt, propter vnionẽ Sacramentalem, corpori Christi tribuuntur, cum tamẽ in ipso corpore Christi nihil horũ fiat. Sic videri oculis corporeis, frangi, manibus tangi, dentibus atteri & similia, quæ in sanctorum patrum scriptis passim occurrunt, corpori Christi in cœna Domini tribuuntur propter panem, cui accidunt, cum in substantia carnis Christi nihil horum fiat: sicut suprà ex sententia eruditæ antiquitatis diximus. Hæc ille. Vtinam huic soli sententiæ insisterent Vbiquitarij, nec de Concordia stabili periclitaremur. Nam & eodem modo

Thes. 133.

modo de orali manducatione corporis Christi, ex hac Sacramentalis vnionis explicatione, esset sentiendum. Sed mox instar Prothei in aliam se formam transmutant, & ex vno ore calidum simul, & frigidum efflant.

23. Christum non solùm saluatorem, sed etiam iudicem esse, cui pater omne iudicium dedit, quia Filius hominis est, testatur Scriptura: Sed eandem praesentiam, & efficaciam esse Christi, qua iudicium in incredulis hypocritis, & qua vitam in verè credentibus operatur, tetra est confusio graduum praesentiae Dei. Neque enim iudicij & mortis, sed tantùm vitae causa est caro Christi: quam qui in Euangelio, & Sacramentis oblatam repudiant, vt incredeli, eo ipso rei fiunt: non quòd vsurpent, sed quòd incredulitate sua respuant tam praeclarum donum, quod nisi fides capere nequit. *Thes. 152. Ioannis 5. Thes. 153. Ioannis 6.*

24. Vt enim propositio illa immota est, qua solâ fide iustificari nos coram Deo credimus: cùm tamen non propter fidem, sed propter Christum, quem SOLA FIDE apprehendimus, iustificemur: ita certũ est, nec sine fide recipi Christum, nec receptum, sed repudiatũ mortem operari. Vt & illud negari à nullo sano potest, cum Christus non sit bicorporeus aut tricorporeus, nõ posse nõ eandẽ, respectu corporis & sanguinis Christi καθ' αὐτὸ, tam in verbis Cœnae, quàm in concione Ioannis 6. manducationẽ instituì, qua cum ipsam viuificì corporis & sanguinis Christi essentiam respiciat, nulli mortalium potest esse lethifera. Sed in cœnae institutione adduntur externa symbola, ad efficaciorem fidei nostrae confirmationem: qua destituti fiunt rei corporis Christi, cum Symbolis verè quidem per verbum exhibiti, sed ab incredulis repudiati, nec vnà cum Symbolis intra viscera, vt erroris quidam fascinati opinione clamitant, recepti. Huic sententiae tota orthodoxa Ecclesia veritatis testimonium perhibet, contrariam abominatur & explodit. *Thes. 156. Vide ortho. consensum cap. 8.*

25. Disertè enim Apostolus ait: Quisquis ederit panem hunc, aut biberit hoc poculum Domini indignè: reus tenetur corporis & sanguinis Domini. Non inquit: Quisquis ederit ipsum corpus, & biberit ipsum sanguinem Domini. Quod tamen Sacramentotenus verè dici posse, minimè negamus. Et considerent saltem aduersarij vim promissionis vniuersalis: Qui edit carnem meam, & bibit meum sanguinem, habet vitam aternam. Item, Ego sum Panis viuificus, qui è cælo descendi: Si quis ederit ex hoc pane, viuet in eternum. Nullam hae dicta restrictionem admittunt, quò minus quisquis realiter carnis & sanguinis Christi particeps factus fuerit, vel in Cœna, vel extra Cœnam, viuat, & contrà. Cum autem impij maneant obnoxij aeternae damnationi, immota consequentia concluditur, quòd Sacramentum sumendo, corporis Christi, nisi in Sacramento, hoc est, quatenus Sacramentum corporis, corpus est, vt *Thes. 157. & 162. August. li. 21. cap. 25. de ciuit. Dei. Ioannis 6.*

Augustinus loquitur, non fiant participes, sed rei, οὐ μέτοχοι, ἀλλ' ἔνοχοι, vt Apostolus loquitur.

Tract. 1. 59. in Ioann. *De Verbis Dominicis tamen de eo sect. dist. 2. cap. quid est.*

26. *Non enim panem Dominum, sed panem Domini contra Dominum accipiunt, teste Augustino.* Nam qui discordat à Christo, nec carnem Christi manducat, nec sanguinem eius bibit: Etsi tantæ rei Sacramentum ad iudicium suæ perditionis quotidiè accipiat. Hoc ergo totum (*inquit idem*) ad hoc nobis valeat dilectissimi, vt carnem Christi non tantùm edamus IN SACRAMENTO, quod & multi mali: sed vsque ad Spiritus participationem, manducemus & bibamus, vt in Domini corpore tanquam membra maneamus, vt eius Spiritu vegetemur.

In Ioann. tract. 27. Thes. 164. Corpus Christi edi tur in participatione Spiritus.

27. a *Quemadmodum autẽ Apostoli, prædicantes Euangelium, bona Christi fragrantia sunt Deo, teste Paulo, cùm in iis, qui seruantur, tùm in iis, qui pereunt: his quidem odor mortis ad mortem, illis verò odor vitæ ad vitam, 2. Cor. 2. Atque ita prædicatio Euangelij tantùm damnat non recipientes oblata bona: ita non recepta, sed repudiata caro Christi damnat impios.*

a *Thes. 165. Thes. 166.*

28. *Etsi enim Christus in hunc mundum non venit, vt iudicet mundum, sed vt mundus per eum saluetur; nec causa est iudicij, aut interitus, quem sibi manducant impij, sed ipsorum impietas & incredulitas: tamen quando mundus eum non agnoscit, iudicium quoque à Patre accepit, quod nunc inuisibiliter exercet, in nouissimo autem die manifestabitur.*

Thes. 167.

29. *Possunt ergo impij hypocritæ sua incredulitate & impietate Christum respuere Saluatorem, quo minus in illis vitam & salutem operetur; sed nolint velint coguntur eundem admittere iudicem, qui in viscoribus & intimo ipsorum Spiritu iudicium suum horribile & tremendum operetur, quod in hoc seculo fit induratione, interdum etiam manifesta desperatione.*

Thes. 168. Vide orthodoxi consens. cap. 7. & Lutherum contra Regem Angl.

30. *Siquidem autem Carolostadij delirium meritò damnat Antagonista, non immeritò miretur aliquis, quid nam Thesi 74. per pronomẽ (HOC) præter cœnæ panem (qui cum sit mysticus, nequaquam est nudus, id est, communis panis) demonstrari amplius velit. Qui enim nescio quod inuisibile corpusculum reipsa in, & sub pane latens, seu absconditum, & cum pane realiter coëxistens, per pronomen (HOC) intelligendum esse, sua quadam præconcepti erroris opinione suspicantur: quantum illi ipsi à Carolostadiano delirio absint, iudicent omnes pij, & cælestis doctrinæ amantes, ac studiosi: cum vtrobique propositionem Christi inuerti, & permutatis extremis ex subiecto prædicatum fieri (tantum abest, vt τὸ ῥητὸν seruetur) luce meridiana clarius sit.*

Pronomen Hoc demonstrat panẽ, quem Christus accepit & fregit.

31. Si Zuuinglius sua interpretatione simpliciter absentiam corporis, &

Oecolam-

Oecolampadius nihil aliud, quàm figuram corporis Christi, vera eiusdem praesentia negata, & quasi histrionica representatione substituta, docuisse conuinci poterunt (vt non posse vereor) meritò repudiantur. Sin ad explicandam vnionem Sacramentalem sic cum orthodoxis patribus locuti sunt, non nisi damnato simul orthodoxa Ecclesia perpetuo consensu, damnari rectè poterunt. *Thes. 169. & 170. Vide librũ Zuinglij ad regem Galliæ, & Dialogum Oecolampadij.*

32. Nam & sanctos Patres in explicatione huius mysterij, panem & vinum appellauisse signa, figuram, symbola, ἀντίτυπα, & quæ sunt his similia, disputator ipse fatetur. Nuda autem symbola, aut quæ absens corpus Christi TANTVM significent, aut figurent, omnes orthodoxi vnanimi consensu in hunc vsque diem reiiciunt. *Thes. 171.*

33. Etsi autem corpus Christi respectu loci à pane cœna abesse, quantum summũ cælum à terra distat, negare nemo potest, quin simul & præsentiã corporis in pane localem fingat, quod est artolatricum: & historiam Ascensionis in Allegoriam cõuertat, quod est Marcioniticum: Et veritatem corporis Christi reipsa deneget, licet verbis confiteatur: tamen non propterea tollitur è cœna præsentia corporis Christi Sacramentalis, seu mystica, quæ adeò non est localis, vt etiam propositio enuntietur, qua panis ille mysticus dicitur esse, & reuera est corpus Christi: cùm respectu loci, tam hoc sit falsum, quàm falsum esset, si propterea quòd Christus corpore suo in cælo est localiter, cælum contenderes appellandum esse corpus Christi. Aut igitur simul artolatris & Marcionitis se patrocinari agnoscat disputator, aut, quos erroris conuincere nequit, hæreseos tandem insimulare desinat. *Augustin. in sermone ad infantes, & sermo. 28. ad Fratr. in Heremo. Thes. 172.*

34. Eandem cum Schuenckfeldio Vbiquitarios carnem Christi fingere, manifestius est, quàm vt approbatione opus habeat. Inter se ipsos ergo, vt Mysterij vtriusq; tam incarnationis, quàm cœnæ dominicæ tetros profanatores committamus. Ad pontificios autem quòd attinet, certum est, eosdem ex consubstantiatione, quos ex transsubstantiatione errores sequi: nimirum adorationẽ, circumgestationem, inclusionem, oblationem. Et vtriusque fundamentum esse miraculi opinionem: seu miraculi, & mysterij confusionem. Siquidem ergo quàm primùm à vero vsu, quem Christus instituit, disceditur, horribilem Idolatriam committi, disputator ipse agnoscit: Simus memores præcepti Apostolici: Fugite Idola: & vtrunque tam consubstantiationis, quàm transubstantiationis παράδοξον abiiciamus. *Thes. 173. Idem fatetur D. Crellius in sua Epistola ad D. Maiorẽ. Thes. 174. 175. 180. Thes. 179.*

35. Cum autem quasi per transennam subinde disputator aspiciat verum, sed quod statim obnubilat phantasia de corpore Christi Vbiquitario præconcepta, & penitus animo infixa: iterum rogamus, vt in hac sententia, quæ sequitur, in qua totius controuersiæ cardo vertitur, pedem figat, & concordiæ basin

Thes. 177. Mysterium est in quo aliud videtur, & aliud creditur & intelligitur.

felicitèr iactam esse fatebimur. Cùm enim præsentia corporis, & sanguinis Christi in cœna (vt perspicuis verbis affirmat) non sit physica, sed mysterium: ideóque eius dispensationis ratio non alia erat cogitanda, aut constituenda, quam verbo Dei definita est, & mysterij ratio exigit.

Thes. 177. & 178.

36. Vt autem calicis sacrilegium per fictitiam illam concomitantiam Monachorum minimè excusatur: ita nec per consubstantiationis commentum euertitur, sed potius stabilitur: & per vbiquitatis somnium duplicatur. Cùm enim corpus illud vbiquitarium, quod Christo Saluatori affingũt, ab omnibus corporis humani proprietatibus planè sit, vt sic loquar, abstractum, adeò, vt realis Idiomatum deitatis communicatio facta carni, reuera sit Idiomatum carnis Christi, per commentitiam illam Maiestatem, in summam ipsius Dei gloriam euecta, excommunicatio: necessariò sequitur, stante hoc portentoso dogmate, non tantùm exanguem, verùm etiam ἀσώματον, καὶ ἄναιμον esse Christum, atque ita præter sanguinis defraudationem, ipsa quoque carne Christi ab Vbiquitariis, si ipsorum somniis assentiemur, spoliabimur, & vanis tantùm signis in Eucharistia pascemur.

Thes. 181.

37. Vnde etiam illud expendamus, cum Iesuitas reprehendat disputatur, quòd nouum corpus ex SVBSTANTIA panis comminiscantur: an non seri possit, vt illud audire cogatur: TVRPE est Doctori, cùm culpat redarguit ipsum?

Certissimum enim est, corpus Vbiquitarium & dissimile nostris corporibus, ex substantia virginis Deipare nec natum, nec à Verbo incarnato assumtum, nec pro nobis in ara crucis immolatum esse, nec in sacra Eucharistia vescendum exhiberi. Aut igitur Christum bicorporem se fingere agnoscat, aut veritati, quam sub odioso Caluinistarum nomine persequitur, palmam concedat. Premi enim potest veritas, opprimi non potest.

Thes. 182.

38. Hæc est vera doctrina, fides & confessio de cœna Domini, ex fontibus Israel hausta, omni ex parte sibi consentiens, quam Lutherus in formula concordiæ, quam cum superioris Germaniæ Theologis Anno 36. constituit, professus est, & in Syngrammate Suevico, nec non in fratrum VValdensium confessione, & multis in locis scriptorum suorum cum didacticorum, tum polemicorum, aliàs clarius, aliàs pressius non tantùm approbauit, verùm etiam explicauit. In hac igitur piè acquiescamus, atque pax & concordia.

Absit

Absoluta prima tabellæ institutæ parte, seu classe, progredior ad secundam, quæ ob oculos ponet lectori τὰ ἀναθέματα, id est, dogmata conficta, perque calumniam & inuidiam orthodoxis obiecta, quorum conuinci nunquam poterunt.

Secunda classis continet propositiones per calumniam confictas.

Talia Sunt.

Thes. 33. Cõtrarium sentit Oecolãpadius in Dialog.

1. *Quòd sentire, aut docere finguntur: Corpus Christi, propterea quòd in cælum assumtum sit, NVLLO MODO in cœna Domini verè, & realiter præsens esse, aut adesse posse.*

Thes. 31.

2. *Quòd aliam doctrinam de Eucharistia Christi suis auditoribus proponant, quàm quæ in verbis testamenti Christi comprehensa est.*

Lequens mendacium confundetur.

3. *Quòd Christo dicente: Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus: illi dicant contrarium: Non est corpus Christi, non est sanguis Christi. Hoc diabolicum mendacium, quo innocentibus periculum creant hypocritæ, grauiter aliquando Deus, seuerissimus calumniæ vindex, puniet.*

Thes. 57.

4. *Quòd credant, & doceant, corpus & sanguinem Domini in sacra cœna MINIME adesse.*

Thes. 65. Aliter Calvinus in Epist. ad Corinth. ca. 13.

5. *Quòd corpus Christi in cœna Domini TANTVM figurari, aut significari dicant: ac corpore Christi, quo ad se OMNI MODO absente, tantùm virtutem corporis Christi, hoc est, TANTVM merita eius cum externis Symbolis nobis communicari affirment.*

Thes. 66. 67.

6. *Quòd per vocabulum (spiritualiter) intelligant, Spiritum sanctum TANTVM adesse.*

7. *Quòd Christus suo corpore in Eucharistia PLANE non adsit.*

Thes. 70.

Thes. 72. Falsitas doctrinæ Vbiquistarũ.

8. *Quòd cùm Christus apertè dixerit: Hoc est corpus MEVM· hæc verba inuertant, & dicant: Hoc non est corpus Christi. (Quam blasphemiam potius in aduersarios retorquemus. Illi enim verba Christi inuertunt, cum non simpliciter legunt: Hoc est corpus Christi, sed hoc, quod inuisibiliter pani subest, aut inest, aut cum visibili elemento realiter coexistit, quódque cælum & terram replet, est corpus Christi pro nobis traditum: scilicet.)*

Thes. 73. O execrandum mendacium.

9. *Quòd omni numinis diuini reuerentia deposita, nullaq; salutis æternæ ratione habita, cum Christus dixerit: Hoc est corpus meum: illi vicissim Christo in faciem ausint dicere: Hoc non est corpus TVVM.*

Thes. 30.

10. *Quòd in explicatione verborum Testamenti Christi dicant: Hoc non est*

corpus Christi, sed TANTVM *signum & figura absentis corporis Christi, quod corpus Christi absens* TANTVM *significat.*

Thes. 109. *11. Quòd* TANTVM *virtutẽ corporis Christi in cœna esse doceant: quasi verò corpus Christi à sua virtute diuelli, aut separari queat, vt Vbiquitarij somniãt.*

Thes. 119. Vide ortho. consens. c. 1. *12. Quòd in interpretatione verborum Pauli: panis, quem frangimus, nónne communicatio corporis Christi est? nudam panis substantiam retineant, corporis verò Christi substantiam* EXCLVDANT.

Thes. 127. *13. Quòd subinde in deterius proficiant, & in ea quoque sint sententia, quòd Deus non sit in terris sua essentia, vt ita Spiritui sancto etiam secundum naturam propriam descensus realiter ab ipsis tribuatur.*

Thes. 128. *14. Quòd inhabitationem Dei in sanctis negent.*

Thes. 130. *15. Quòd de Deo nihil credant.*

Thes. 134. *16. a Quòd non modò Capernaiticam, sed* OMNEM, OMNEM, OMNEM *realem carnis Christi presentiam, & manducationem,* QVOCVNQVE *tandem* MODO, *siue cœlesti, siue supernaturali, siue quocunque alio cogitari, aut appellari possit, damnent.*

Thes. 136. *17. Quòd ne quidem dignis, hoc est, verè credentibus, vllo modo realiter corpus Christi adesse credant.*

Thes. 169. *18. Quòd vocabulum (*EST*) per (significat) interpretantes, simpliciter corporis Christi absentiam doceant.*

Thes. 170. Vide Oecolampad. in Antisyngr. Thes. 172. *19. Quòd in verbis Testamenti Christi per vocabulum (corpus) nil aliud, quàm figurã corporis Christi intelligãt, vera corporis Christi præsentia negata.*

20. Quòd vt maximè antecessorum, & sociorũ non omnia probent, in communi tamen cum ipsis errore versentur, & doceant: corpus Christi simpliciter abesse à cœna, quantum summum cælum à terra distat, cuius loco TANTVM *virtutem corporis Christi pro ipso corpore Ecclesia obtrudant.*

a *Huius calumnia falsitatẽ, qua veteres Heidelbergenses Theologos grauat, vide* in Grundlichen bericht *cap. 3. Et in Confessione siue Apologia, pag. 94.*

Has viginti obiectiones simpliciter negant orthodoxi, & disputatorem Sycophantam agere affirmant, qui calumniis pro demonstratis vtatur.

Tertia classis continet propositiones contradictorias.

Tertia Classis est contradictionum, quarum recitationi libet illud Lutheri præclarè dictum præmittere: Qui semel mentitur, hic certissimè ex Deo non est, & suspectus in omnibus habetur. Mendacia autem certius dignoscere non potes, nisi quando sibimetipsis contraria sunt, quæ dicuntur.

A Deo

A Deo enim ita ordinatũ est, vt impij semper seipsos confundant: Et quòd mendacia non consonent, sed semper contra semetipsa testentur. Ac notũ est Apostoli illud: vir duplex animo, inconstans est in omnibus viis suis. Iacob. 1.

Conciliet ergo nobis disputator istas Antilogias.

1. *Quòd & παντα χησίαν, & πολλαχησίαν, seu τλὼ πολυτοπίαν paciscitur: adeò vt qui corpus Christi in duobus minimum, aut pluribus locis, simul, & semel verè, atque realiter adesse neget, cum eo de reali præsentia corporis Christi in cœna Domini frustrà contendi asseueret. Cum tamen è contrario de corporis Christi vel vbiquitate, cuius dogma portentũ, & παράδοξον appellat, vel præsentia in cœna locali verbum nullum cum quoquã se facturum posthac palàm protestetur.* Thes. 1. 24. 30. Thes. 31. Thes. 3. 5. 29

2. *Quòd Vbiquitas sit portentosa, & monstrosa, & nihilominus corpus Christi in hordeo & fœno, & omnibus rebus creatis realiter præsens adsit.* Thes. 3. Thes. 35. 36.

3. *Quòd aliter in pane & vino cœnæ, aliter in hordeo, aut fœno sit corpus Christi, & quòd nihilominus non vni creaturæ adsit, alteri absit, sed quòd* SIMVL *omnibus rebus creatis* EX AEQVO *adsit: quodq; huic dogmati non obstet corporis Christi proprietas, quod sua natura non infinitum quiddam sit.* Thes. 87. Thes. 92. Thes. 81.

4. *Quòd Christus per Ascensum suum in cælum, formam serui* PENITVS *deposuerit, & quòd nihilominus integritatem corporis non amiserit.* Thes. 92. Thes. 106.

5. *Quòd præsentiam in cœnã nõ statuat localem, aut corporalem, aut physicam: cum nihilominus disputet de præsentia corporis Christi simul, & semel, in diuersis* LOCIS, *videlicet, in cælo* LOCALI, IN TEMPLO VVitebergensi, Dresdensi, & Lipsensi, *substantialiter & realiter coëxistentis.* Thes. 184. Thes. 6. 7.

6. *Quòd patribus, vt idoneis veritatis testibus, credendum sit, quos passim alibi vt patres, & matres sugillat, atque explodit.* Thes. 1. Cõtra Stupinum.

7. *Quòd Sophistarum lacunas à saniorum scholasticorum lucubrationibus non distinguit: cum ipsemet ad nugacissimum sophisma confugiat, idq; Hugoni Victorino falsò adscribat, nimirum: Quòd corpus Christi in pluribus* LOCIS *esse possit, hoc habere ex vnione personali. Admonendus enim hic obiter lector est, Hugoni de S. Victore, nunquam Vbiquitatis illud commentum in mentem venisse. Fuit is natione quidem Saxo, sed Abbas sancti Victoris Parisiensis, flo-* Thes. 26. Thes. 1.

uitq; circa annum Domini 1130. Hoc autore libellum de essentia Diuinitatis, qui inter Augustini extat opera, scriptum censet Erasmus: vbi inter cætera credere nos, & confiteri oportere docet Hugo ille Victorinus, Christum & secundum substantiam Diuinitatis suæ esse incircumscriptum: & secundum humanitatem, circumscriptum, ac localem esse, & hoc non credere, esse impium, atque profanum.

Tom. 4. col. 974.

Antecessit hic centum annis Hugonem glossatorem, & Cardinalem, qui floruit circiter annũ Christi 1230. Cuius vt maximè laudanda sit in euoluendis & explicandis sacris literis diligentia, seculi tamen, in quod incidit, tenebræ deploranda sunt, quibus dementatus totam ferè Scripturam in prodigiosam illam quadruplicis sensus Metamorphosin conuertit, & miserum Transubstantiationis mancipium est, quam fictis iis miraculis palliare, & defendere studet. Cum enim ad illud Augustini respondendum esset, quo cibus iste in mentem, non in ventrem transire dicitur, cum nihilominus elementa visibilia in humores, vt loquitur, resoluantur: inter cætera paradoxa quæ ibidem cumulat, in hanc tandem glossam erumpit: Hoc Sacramentum plenum est miraculis. Est enim miraculum, quòd transubstantiatur panis in corpus Christi. Est miraculum verum, quòd facta diuisione hostiæ, sub vnaquaque parte totus est Christus. Denique miraculum est, quòd forma remanent, & faciunt illud, quod faceret substantia panis, & vini. Quando ergo dicit Augustinus: Quòd cibus iste non transit in ventrem, &c. respondendum est, quòd loquatur de eo, quod est sub formis. Hæc ille. Posset hac ipsa responsione, qua id, quod sub formis est, in ventrem transire negat, euerti commentum de orali manducatione nescio cuius, siue sub forma, siue substantia panis, latenter absconditi corpusculi.

Tom. 7. in Postill. 1. Cor. 11. q. 2. a.

Sed hoc portento iam omisso, sufficiat lectorem commonefacere, hunc illum esse præclarum Vbiquitatis patronum, quem si admittendum censeat, simul in iisdem opinionum monstris, quæ hanc ei de corporis Christi Vbiquitate blasphemam vocem extorserunt, audiendum esse. Extat autem locus, ad quem, tanquam ad sacram anchoram miser disputator, totius aliequin orthodoxæ antiquitatis testimoniis destitutus penitus, quasi in casu desperato, confugit, hisce apud glossatorem illum verbis descriptus: Corpus Christi hanc habet dignitatem ex natura vnionis cum diuinitate, vt simul sit in multis locis: Libuit enim consignare ipsa glossatoris verba, cum facilè appareat, disputatorem locum non inspexisse. Quis autem non videt, eadem opinionum portenta defendere, iisdem qui dogmatum, licet in speciem à se mutuo dissidentium, fundamentis nituntur? Ecquis amplius dubitet, pro verbis Christi puti-

Tom. eodẽ 1. Cor 10. q. 4. a.

Aliter & contrariũ sentiunt Thomas & Albertus Magnus in lib. 1. sent. distinct. 17.

putidam glossam substituit abiis, qui sententia sua fulcrum ab ineptissimo glossatore mutuantur? Hem Sacramentarios, fanaticos & blasphemos.

8. Sunt etiam hæc inter se contradictoriè opposita, quòd tropos simpliciter reiicit, & nihilominus admittit synecdochen. Respondeat ergo Iesuita, qui iam pridem in solenni disputatione pro axiomate certo, & indubitato posuerunt hanc propositionem: Si in verbis cœnæ corpus de pane prædicetur, & panis substantia manere dicatur, non posse verba Christi propriè, & absque tropo intelligi. Thes. 40. Iesuita Moguntinenses.

9. Quòd corporis & panis: Item vini, & sanguinis Christi vnio sit mysterium simul & miraculum. (Excogitata hæc opinio est ab ociosis, & indoctis Monachis, cum imaginarentur modum præsentiæ, non Sacramentalem, sed Physicum, vel magicum.) Thes. 82. 90. 108.

10. Quòd modum præsentiæ simpliciter dicit esse ἄῤῥητον, cælestem, supernaturalem, illocalem, & humano captui imperuestigabilem, quem neque incredulitas impediat, aut fides hominis efficiat, quiq; nullo pacto definiri possit: & nihilominus, præter τὸν πολυτοπίαν, quam vrget, etiam ore manducari, cùm à pijs, tum ab impijs corpus Christi substantialiter clamitat: quasi verò multi- Thes. 62. præsentia & oralitas modum non definiant, aut os hominis, pars illa corporis bruta, quicquam comedat cælesti, supernaturali, non locali, naturali, aut Physico modo. The. 67. 102. 184.

11. Quòd tria ista aduerbia: verè, substantialiter, Realiter, synonima esse docet, quæ in commento realis, hoc est, Physica idiomatum communicationis, quæ est confusio naturarum, Synonima esse pernegat. Thes. 61.

12. Quòd respuentes fanaticum hoc dogma Ecclesias, minimè se damnare simulat, quarum tamen ministros furiarum æstro percitus Anathematizat. Thes. 60.

13. Quòd corpus Christi spiritualiter in Sacramento adesse concedit, cum id ipsum corporaliter & substantialiter, etiam impiorum ore recipi, & deuorari blasphemè vociferetur. Thes. 68. Thes. 62.

14. Quòd solum τὸ ἅπτὸν vrgere præ se fert, cùm interim ex commento Realis Idiomatum communicationis, diuersis essendi modis, Allegorica denique Ascensionis Christi in cælum interpretatione, peruersa sua glossæ fulcra petat. Thes. 95. 104. Thes. 27 86. 97. 184.

15. Quòd cælum cum inferno se permiscere instituari non erubescit; cùm aperta Brentij testimonia extent. Vide Brentium in libro Recognitionis, pag. 149. 150. 182. 223. Thes. 101. Mendacem oportet esse memorem.

Item de Maiestate, pag. 159. 160. 182.

16. Quòd ab omnibus similitudinibus abstinendum monet: cum perpetuò in ore habeat similitudinem ferri igniti, item castri, denique solis: quarum appli- Thes. 107. Thes. 139.

tationem facit ineptißimam. Et quũ ſanamente præditus (ne dicam, ſanæ fidei guttula imbutus) non ridet, vel potius execratur impias Marbachij ſimilitudines aduerſus Toſſanum, quando præſentiam corporis in cœna comparat infanti cubanti in cunis, theſauro in ciſta repoſito, cereuiſiæ in cantharo, panni in caniſtro comprehenſo, pecuniæ in marſupio recondita, Item, imagini principis in cera expreſſa, &c. Sed huic ſpermologo ſatis grauiter à Toſſano reſponſum eſt. Nos bellam illam diſputatoris ſimilitudinem, à radiis ſolaribus deductam, obiter, ſi libet, examinemus. Sicut (inquit) iidem numero radij Solis ceram liquefaciunt, & lutum indurant, quod fit propter diuerſitatem materiæ luti, & cerę, in quã Solis radij agunt: Sic idem corpus Chriſti in cœna, à dignis & indignis ſumtum, propter hominum diuerſitatem diuerſa quoque operatur, vt in piis, quòd ad ſe, iudex permanens, eoſdem tamen non iudicet, ſed viuificet, & in impiis, quòd ad ſe, vita exiſtens, eos tamen propter incredulitatem non viuificet, ſed iudicet. Nil proculdubio ineptius, & à myſterio ſacræ cœnæ alienius in medium proferri poterat. Si enim vt Sol in ceram & lutum ita corpus Chriſti in dignos, & indignos agit, neceſſe erit, vt digni viuificẽtur nõ ratione applicationis, quæ fit fide (cuius diſputator nullam in hac propoſitione mentionem facit) ſed nuda qualitatis reſpectu. Quæ ſententia vt partim eſt Pelagiana, partim Enthuſiaſtica; ita totam doctrinam de iuſtificatione euertit.

Simili tudines Marbachij.

Theſ. 160.

Vide ortho. conſenſ. ca. 9. ferè in fine.

Neiam dicam, abſurdißimam, imò blaſphemam eſſe vocem, quæ corpus Chriſti in cœna à dignis, & indignis ſumtum, tam in his, quàm in illis realiter exiſtendo, & permanendo, impiorum quidem iudex, piorum autẽ viuificator eſſe dicitur. Pater enim omne iudicium dedit filio: non aſſumto filij corpori. Et ſicut Pater habet vitam in ſeipſo: Sic dedit & filio habere vitam in ſe ipſo. Nec Paulus dicit, Indignos ſumere corpus Domini, quod in impiis, quòd ad ſe, vita exiſtens (vt diſputatoris habent verba) eos tamen propter incredulitatem non viuificet, ſed iudicet. Quin potius indignè edentem, & bibentem, ſibiipſi iudicium edere, & bibere, non diſcernendo corpus Domini, teſtatur Apoſtolus. Et quis hoc vnquam audiuit? quis legit? quis, hoc fanatico diſputatore excepto, ſomniare, nedum proferre auſus fuit vnquam? quòd corpus Domini IMPIIS (in impiis inquam) EXISTAT, quòd corpus Domini ſit IVDEX, quòd corpus Domini vocali ſua in IMPIIS (in iſtis cloacis Satanæ) exiſtentia, exerceat iudicium?

Ioham 5.

2 Corin. 11.

O ſerè portentoſam Theologiã.

Inter blaſphemias hæc referenda meminerit lector: quæ hic inter τὰ ἀστρατικὰ, bella ſimilitudinis occaſione mota, quaſi in tranſitu, breuiter annotanda duxi.

17. Quòd

17. *Quòd Berengarium erroris accusat, cuius reuocationem Syngrammia Sueuicum, à quo Sueuicus hic disputator turpiter defecit, diserte improbat, hisce verbis, quibus nemo sanus contradicet.* Nam edimus corpus, & bibimus sanguinem carne, non vt corpus Christi atteramus & frangamus, vt est in reuocatione Berengarij, sed panem ipsum, quà panis est, tractamus, frangimus, edimus, & dentibus atterimus. Corpus autem accipimus, quà verbum accipimus, *HOC EST CORPVS MEVM*, vt pulcerrimè quidam dixit, Quod edimus, intrat ventrem, quod credimus, intrat mentem. *Thes. 117. 118. Fol E. a. Sic docea-tur, & facta est concordia.*

18. *Quid? quòd ad glossam decretalium disputator ipse prouocat: quam si admittit, non potest non in damnando Berengario sibi ipsi contradicere. Legat enim glossam, quæ adiuncta est capitulo: Ego Berengarius. Vbi clarè dicitur:* Nisi particula ea, qua perhibetur corpus Christi dentibus fideliter atteri, sanè intelligatur, in maiorem hæresin, quàm quæ Berengario impingitur, incurri. *Item:* Berengarium hyperbolicè locutum fuisse, & modum in dicendo excessisse. *Sed ne nimis videar in conquirendis antilogiis scrupulosus, faciã hic etiã tertiæ classis, institutæ nostræ tabellæ finem: si tamen prius, quasi colophonis loco, vnum atque alterum ex decretis canonicis, pro vera, & orthodoxa sacræ cœnæ sententia, quasi ex Cimmeriis tenebris, testimonium produxero. Siquidem enim disputatori canonistarum autoritate vti libuit, cur idem mihi non liceat?* *Thes. 116. Adde glossam in cap. Verum; & in cap. hoc est, de consec. dist. 2.*

Distinguamus autem sententias in certa capita, vt maior sit perspicuitas,

I. *In Sacramentis aliud videri, & aliud intelligi.*

De Con. Dist. 2. Qui manducant) Quod videtur, panis est, quod etiam oculi renuntiant. Quod autem fides postulat instruenda, panis est corpus Christi, calix sanguis. Ista ideo dicuntur Sacramenta, quia in eis aliud videtur, & aliud intelligitur: Quod videtur, speciem habet corporalem, quod intelligitur, fructum habet spiritualem. *August. In Sermone ad infantes.*

II. *Quid sit corpus Christi manducare, & sanguinem eius bibere.*

De Con. Distinct. 2. Quid est) Quid est Christum manducare? *Augus.*

Solum in Sacramento corpus, est ipsum corporis Sacramẽtum, quod nomine rei Vocatur.

Non hoc est, solũ in Sacramento corpus eius accipere, multi enim indignè accipiunt, de quibus ait Apostolus, Qui manducat, & bibit calicem Domini indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Sed quomodo manducandus est Christus? quomodo ipse dixit: Qui enim manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in eo, & si indignè accipit Sacramentum, acquirit tormentum magnum.

Aliud Sacramentũ, aliud Christus.

Et mox capite sequente. Vt quid paras dentem, & ventrem? crede, & manducasti. Credere enim in eum, hoc est panẽ viuum manducare. Qui credit in eum manducat eum. *Item* (credere) Credere in Iesum Christum, hoc est manducare panem viuum. Qui credit, manducat. Inuisibiliter sagmatur, quia inuisibiliter renascitur, & qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, habet vitam æternam.

Adde Augustin. in sermo. de verbis Domini.

Et mox ibidem. Qui discordat à Christo, non manducat carnem eius, nec bibit sanguinem, etiamsi tantæ rei Sacramentum ad iudicium suæ perditionis quotidiè accipiat.

Epistol. 23. & cap. Hoc est, de consecrat distinct. 2.

Quid magis perspicuum esse potest hac Augustini sententia & explicatione? qua aliud esse dicit, solum in Sacramento corpus, hoc est, Sacramentum corporis, quod suo modo corpus vocatur, percipere: Aliud autem Christum manducare: Illud enim externa Dominicæ cœnæ manducatione, de qua Paulus ait: Qui manducat indignè de hoc pane, iudicium sibi manducat: Hunc verò non aliter, quam sicut ipse apud Ioannem hoc concione sua explicauit, percipi docet. Hinc duplex illa manducatio: Alia Sacramentalis, alia spiritualis, quarum in illa Sacramentum visibiliter, carnaliter, ore, & dentibus accipitur & premitur: Hac autem corpus & sanguis Christi, in ipsa veritate, spiritualiter manducatur & bibitur. Vt itaque diuersis istis inter se manducandi & percipiendi modis discernitur Sacramentum, & corpus atque sanguis Christi: Ita quoque diuersis atque distinctis exhibendi modu vnum ab alio discernit Augustinus: Visibilem enim (inquit) Sacramenti formam Minister dat. Ipse autem Christus est, qui inuisibilem dat gratiam.

Augustin. Tract. 26. in Ioan. ca. qui discordat. de consecr. dist. 2. Ad Crescõ. Gramat. Epistol 166. Psal. 77. & ca. 24. super Leuit. ca. corpora bis dist. 2.

Illa promiscuè omnibus, etiam ab vnitate corporis Christi segregatis, est communis, hæc verò solis fidelibus propria.

III. Spiri-

III. Spiritualiter intelligenda esse verba Domini, quæ de manducatione corporis sui loquitur.

Ibidem. Cum enim diceret, Nisi quis manducauerit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habebit vitam æternam. Illi verò non intelligentes, dixerunt ad inuicem, Durus est hic sermo, quis eum potest manducare? (aliâs audire) Dicêtes, durus est hic sermo, separauerunt se ab illo, & remansit cum duodecim discipulis. Discedentibus illis, instruxit eos qui remanserunt, Spiritus est, inquit, qui viuificat, caro nihil prodest, verba, quæ locutus sum ad vos, spiritus & vita sunt. Intellexistis spiritualiter, Spiritus, & vita sunt, Intellexistis carnaliter, etiam sic illa Spiritus & vita sunt, sed tibi non sunt Spiritus & vita, qui spiritualiter non intelligis. Spiritualiter intelligite, quæ locutus sum. Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem effusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendaui, spiritualiter intellectum viuificat vos, caro autem non prodest quicquam.

August. Confer ibi sin 94.

IIII. Sacramentum suo MODO vocari corpus Christi, non rei veritate, sed significante mysterio.

De Con. Distinct. 2. Hoc est. Sicut ergo cælestis panis, qui Christi caro est (id est, cæleste Sacramentum, quod verè *REPRAESENTAT* Christi carnem) *SVO MODO* vocatur corpus Christi (in glossa iterum additur, vt sit sensus, vocatur Christi corpus, id est, *SIGNIFICAT*) cum reuera sit Sacramentum corporis Christi, illius videlicet, quod visibile, quod palpabile, mortale in cruce positum est, vocaturque ipsa immolatio carnis, quæ Sacerdotis manibus fit, Christi passio, mors, crucifixio, non rei veritate, sed significante mysterio. Sic sacramentum fidei, quod Baptismus intelligitur, fides est. Quæ Augustini sententia alibi sic ab eo est explicata: Sacramentum corporis Christi, secundum quendam modũ est corpus Christi, quia videlicet sacramentum tantæ rei nomine ipsius rei vocatur.

Augusti. vide orthe. conf. ca. 2.

Panis non est sacramentum invisibilis & impalpabilis corporis latentis in pane.

Adde Epist. Augusti. ad Bonifa.

V. Pane significari corpus Christi, & vino sanguinem.

Augustin.

De Con. Distinct. 2. comperimus. Glossa habet) portione, id est, specie panis, quæ tantùm sacrum corpus *SIGNIFICAT*. *Item.* A calice, id est, à specie vini, quæ *SIGNIFICAT* sacrum sanguinem.

Hom Glossa parem Sacramentarium.

Ibidem (Nulli) Nulli est aliquatenus dubitandum, vnumquemque fidelium, corporis & sanguinis dominici tunc esse participem, quando in Baptismate membrum efficitur Christi, nec alienari ab illius panis, calicisque consortio, etiamsi antequam panem illum comedat, calicemque bibat, de hoc seculo migrauerit, in vnitate corporis Christi constitutus. Sacramenti quippe illius participatione, ac beneficio non priuabitur, quando in se hoc, quod illud sacramentum *SIGNIFICAT*, inuenitur.

NOTA. Corporis Christi participem esse, est membrum ipsius effici.

In Sacramento exhibetur, quod significat.

VI. Ascensionem Domini testari, quòd Dominus corpus suum carnaliter nõ eroget, & quòd gratia morsibus non consumatur.

De Con. Distin. 2. prima quidem) Sciens autem Iesus ait, Hoc vos scandalizat, quia dixi, do vobis carnem meam manducare, & sanguinem meum bibere? Si ergo videritis Filium hominis ascendentem, vbi prius erat. Quid est hoc? Hic soluit, quod illos mouerat; hîc aperuit, vndè fuerant scandalizati, hinc planè, si intelligerent. Illi autem putabant erogaturum corpus suum, ille dixit, se ascensurum in cælum, vtique integrum. Cum videritis Filium hominis ascendentem vbi erat prius, certè vel tunc videbitis, quia non eo modo, quo putatis, erogat corpus suum, vel tunc intelligetis, quia gratia eius non consumitur morsibus.

Augustin. Ascensio opponitur corporali manducationi.

Ergo corpus Christi mãducatur, vt gratia sacramenti.

VII. Dominum sursum esse, & corpus eius, in quo resurrexit, in vno loco esse.

Contra Thesin. 93.

De

De Con. Distin. 2. prima quidem.) Item, donec seculum finiatur, SVRSVM DOMINVS EST, sed tamen etiam hic nobiscum est veritas Domini. Corpus enim, in quo resurrexit, IN VNO LOCO ESSE OPORTET, veritas autem eius vbique diffusa. *Augustin.* *Addeca c. de Fide & Symbolo.*

VIII. Quomodo Christus semel immolatus sit, & in cœna quotidie immoletur Rubrica.

De Con. Dist. 2. Semel Christus) Semel Christus mortuus est, iustus pro iniustis: & scimus, & certum habemus, & spe immobili retinemus, quia Christus resurgens à mortuis, iam non moritur, mors illi vltrà non dominabitur. Verba ista Apostoli su . Tamen ne obliuiscamini, quod semel factum est, in memoria nostra sit omni anno. Quotiens pascha celebratur, nunquid totiens Christus occiditur? Non, sed Anniuersaria recordatio repræsentat, quod olim factum est, & sic nos facit moneri, tanquam videamus præsentem Dominum in cruce. *Augustin. in epist. ad Bonifacii.*

Ibidem (*In Christo:*) In Christo semel oblata est hostia ad salutem sempiternam potens. Quid ergo nos? Nónne per singulos dies offerimus? Sed ad recordationem mortis eius. Et vna est hostia, non multæ. Quomodo est vna, non multæ? Quia semel oblatus est Christus, hoc autem sacrificium, EXEMPLVM est illius. *Corpus Christi offertur in exemplo & anti typo.*

Et mox ibidem:) Quod nos facimus, in COMMEMORATIONEM fit eius, quod factum est. Hoc enim facite, ait, in meam commemorationem.

IX. Quomodo veteres eandem escam spiritualem nobiscum comederint.

De Con. Distin. 2. Inquit Apostolus:) Inquit Apostolus, omnes eandem escam spiritualem manducauerunt. Spiritualem vtique eandem, nam corporalem aliam, quia illi manna manducauerunt, nos aliud. Et omnes eundem potum spiritualem biberunt, aliud illi, aliud nos, sed specie visibili, quod tamen idem est virtute spirituali. *Cōtra thes. 52. August. ad de in lib. de Vtilitat. panitent. Ergo panis est corpus Christi in virtute spirituali.*

Quarta è ijsdē continet propositiones manifestè impias, & blasphemas. Thes. 7. 30.

Sequitur Tabellæ institutæ classis vltima, quæ continet dogmata, manifestè impia & blasphema.

Sunt autem ista.

Quæstio ex verbis cœnæ.

1. Quòd disputator statum causæ detorquet ad corporis Christi in pane, & sanguinis in calice, seu vino præsentiam, vel potius affixionem seu coexistentiam, κατ' ἐνέργειαν localem: qua in Filium Dei atrocior contumelia dici non potest. Quæstio enim hîc non est, vbinam sit corpus Domini, sed quid Eucharistiæ panis sit. Atque ita iam olim Brentius statum causæ formauit, in exegesi in Ioannem, cap. 6. Quam explicationem planè orthodoxam, & ab ipso Luthero, in sermonibus mensalibus, quibus istorum Theologastrorum grex plurimum tribuit, approbatam, hodiè, vt Caluinianam, Sacramentariam, & hæreticam Iacobitæ respuunt.

Quomodo panis sit corpus Christi.

Sic Cyprianus, Ambrosius, Augustinus.

Quid ad hæc Vbiquista?

2. a Quòd disertè dicit, verba Christi hoc velle, vt IBI, in pane & vino cœnæ, corpus, & sanguinem Christi quæramus, contra prohibitionē Domini, si dixerint: Ecce hic, ecce illic, nolite credere. Quærunt enim Christum in pane Vbiquitarij, quem non credunt esse in cælo.

a Thes. 27. Matt. 24. Luc. 17.

3. b Quòd præsentiam corporis Christi in cœna cōparat visibili apparitioni Spiritus sancti in specie columbæ. Quasi verò sacra cœna sit visio quædam, aut peculiaris reuelatio, & quasi spectaculum corporis Christi.

b Thes. 26. Aliter & contrà Augustinus. Thes. 32.

4. Quòd formam serui, qua vniuersa orthodoxa antiquitate teste, etiam ipso natura assumta, penitus à Christo per ascensum suum in cælum depositam esse negatur: qua ratione ne quidem corpus, quo Ecclesiam in cœna pasceret, habiturus erat amplius.

Falsa peruersio articuli fidei.

5. c Quòd per Ascensionem in cælum, Christus visibilem tantùm & corporalem, pro ratione huius seculi conuersationem subduxerit: Nequaquam verò, quòd ad humanam naturam, ratione distantiæ à nobis recesserit, sed quòd simul omnibus rebus creatis humanitate sua ex AEQVO adsit.

Aliter August. & Patres.

c Thes. 14. 32.

6. Quòd ex Deitatis in Christo immensitate colligere audet, corpus, seu humanitatem Christi tam in hordeo & fœno, & in alijs creaturis omnibus præsto adesse, quàm in Eucharistia: sed hoc tantùm intercedere discriminis, quòd non habeamus verbum Christi, vt corpus ipsius in hordeo, aut fœne quæramus, vbi etiam non inueniatur: sicut in pane & vino cœnæ Christum fingit queri, & inueniri velle. Proferat ergo testimonia Scripturæ, vbi dixerit Christus: In pane quæratis: aut ibi in pane inuenietis corpus meum. Proferat, inquam, Scripturæ non depraua tæ, aut in alienum sensum contortæ testimonia, nec erit,

Vbiquitas. Thes. 26. Thes. 27.

qui

qui contradicat. Enimuerò in, sub, & cum pane Sacramentotenus non negamus exhiberi nobis viuum Christi corpus: quod tamen respectu situs & loci, non in pane, sed sursum in regno Patris esse credimus.

7. Quòd Christum suo corpore à nobis recessisse, nusquam in vniuersa Scriptura legi, nusquam hoc dixisse Christum, nusquam Euangelistam, nusquam Apostolum, dira voce eructat. Quid autem Deum Spiritum sanctum, Scripturæ sacræ autorẽ, quid testes beatos Angelos, semper in cælis intuentes faciẽ Patris, quid fidem, & spem catholicæ Ecclesiæ, quid denique sanguinem Martyrum è terris in cælos clamantem, mendacij est arguere, quàm impudenti ore negare, Christum in cælum ascendisse, inde venturum esse, & ibi iam suo corpore versari? Thes. 96. O blasphemum & impudens os.

8. Quòd Christi corpus non afficiatur contumelia, sed summa potius gloria extollatur, si propter communicatam sibi Maiestatem vbiquitatis, non minus, quàm Deus ipse diuina sua essentia, in omnibus cãtharis Cereuisiariis, braßica, communi pane, & nullibi denique non adesse fingatur. Sed hæc neque sanctè dicuntur, neque Christiana vel pietati, vel grauitati congruunt, neque in explicatione secum consentiunt. Thes. 148. 142. Vbiquitas. Idem Osiander & Marbachius.

9. Quòd stultè pariter, atque impiè fingit, posse quenquam percipere in sacra Eucharistia corpus Christi, vt non simul fiat particeps virtutis eiusdem viuificæ: vel virtutem corporis Dominici sine ipso corpore communicari cuiquam posse. Contra ipsius Filij Dei asseuerationem: caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Qui edit meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo. Ioann. 6. Thes. 109. 160. Qui nobis dat Filium omnia cum ipso dat.

10. Quòd humanam Christi naturam in se omniciam, adeoq; κατὰ θεοῦ γνώσιν esse iactitat. Thes. 151.

11. Quòd veteris, & noui fœderis Sacramenta non tantùm signis & ceremoniis, seu ritibus Sacramentalibus, verùm etiam vsu, fine, & ipsa re Sacramenti, quæ perpetuò Christum exhibet, adeoq; toto genere differre contendit, nec ipsi Apostolo contradicere dubitat, testificanti, quòd Patres eandem nobiscum escam comederint. Hoc enim iste audaciter & impudenter negat. Sed hîc opponamus Augustini autoritatem, testis omni exceptione maioris. Sic enim contra Faustum scribit: Magno errore delirant, qui putant, signis, sacramentisq; mutatis, etiam res ipsas esse diuersas, quas ritus propheticus pronunciauit promissas, & quas ritus Euangelicus annuntiat impletas. Et Psal. 77. Idem in mysterio cibus, & potus illorum, qui noster, sed significatione idem, non specie, quia idem ipse Christus illis in petra figuratus, nobis in carne manifestatus. Thes 50. Alster Brẽtius in Exegesi cap. 6. Thes 52. 1. Cor. 10. Lib. 19. ca. 15. Vide ortho. consen. cap. 3. Cibus spiritualis a significatione.

Idem cõtra Iacobũ Andream sentiunt Thesis Rostochiana disputata anno 1581.

Omnes quidem eundem cibum spiritualem manducauerunt, & eundem potum spiritualem biberunt, id est, spirituale aliquid significantem. Item, Tractat. 26. in Iohannem, Hunc panem, qui de cælo descendit, significauit Manna, hunc panẽ significauit altare Dei, sacramenta illa fuerunt, in signis diuersa sunt, sed in re, quæ significatur, paria sunt: Audi Apostolum: omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, spiritualem quidem eandem, nam corporalem alteram, quia illi Manna, aliud nos, spiritualem verò quam nos. Et omnes eundem potum spiritualem biberunt, aliud illi, aliud nos, sed specie visibili quidem, tamen hoc idem significante virtute spirituali. Item Tractat. 45. in Ioann. In signis diuersis eadem fides, sic autem in signis diuersis, quomodo in rebus diuersis? Quem enim venturum esse credebant, nos venisse credimus. Videte ergo fratres, quòd, fide manente, signa mutata sunt. Ibi petra Christus, nobis Christus, quod in altari Dei ponitur. Et illi pro magno eiusdem Christi sacramento biberunt aquam de petra fluentem: nos, quid bibamus, norunt fideles: si speciem visibilem intendas, aliud est: si intelligibilem significationem, eundem potum spiritualem biberunt. Item, Eundem cibum, & potum manducauerunt & biberunt, erant enim ibi, qui, quod manducabant, intelligebant, quibus plus Christus in corde, quàm Manna in ore sapiebat. Breuiter ergo dixerim. Quicunque in Manna Christum intellexerunt, eundem, quem nos, cibum spiritualem manducauerunt, sic etiam eundem potum. Petra enim Christus. Eundem ergo potum, quem nos, sed spiritualem, id est, qui fide capiebatur, non qui corpore hauriebatur. *Et mox:* Eundem ergo cibum, & potum, sed intelligentibus, & credentibus, non intelligentibus autem, illud solum manna, illa sola aqua, ille cibus corporalis esurienti, iste potus sitienti: nec ille, nec iste, credenti: Credenti autem idem quod nunc. Tunc enim Christus venturus, modò Christus venit: Venturus, & venit, diuersa verba sunt, sed idem Christus.

Spiritualia significans virtus in sacramentis est intuenda.

Eadem est ratio signorum quæ verbi.

Intelligibilis significatio Sacramenti.

Hoc modo aliud in sacramentis videtur, Aliud creditur & intelligitur.

Spiritualibus, qui fide accipitur, non corpore.

Thes. 122. 12. *Quòd Lutherum antefert Apostolo, qui se immediatè à Domino accepisse profitetur sententiam, bona fide descriptam, & quasi de manu in manum nobis à se traditam.*

13. *Quòd cœnam Domini adulterari calumniatur ab iis, qui loco definitionis catechetica de sacramento Altaris à Luthero tradita, verbis Apostoli vtantur,*

tur, & quòd per verba Apostoli Sacramentarium errorem instillari incautis blasphemo ore vociferatur. Quorum cum Lutheri alterum, alterum cum Pauli summa ignominia coniunctum est, adeoq; neutrum sine atroci in Spiritum sanctum blasphemia cogitari, dicíue potest.

Ergo verba Pauli magis faciunt contra corporalem praesentiam quàm pro ipsa.

Quàm enim à Lutheri mente alienum hoc sit, vel inde pius lector aestimet: quòd Catechumenos ad Euangelistarum, horumq; interpretis Pauli explicationem ipsemet deducit, & ablegat, atque secundum illos suam definitionem piè accipi vult: tantum abest, vt suæ quasi censuræ sacrosanctam Apostoli interpretationem subiiciendam, nedum postponendam duxerit: cum id sine læsæ diuinæ Maiestatis crimine tentare nemo vnquam mortalium, imò ne quidem Angelus in cælis possit, ausítue.

Locum Pauli dicit esse coronam cordis sui. Ergo tantum quarendū est de verba intelligentia ex orthodoxo consensu. Thes. 154. 157.

14. Quòd corpus Christi ore etiam ab hypocritis impiis, non quidem Sacramento tenus (id enim vltrò fatemur) sed realiter, & substantialiter manducari disputat, ita vt corpus Christi in impiis existere, eósque sua in ipsorum visceribus existentia iudicare contendat.

Thes. 140.

15. Quòd totius catholicæ Ecclesiæ fidem orthodoxam, & perpetuam, qua sincero corde credimus, & vnanimi consensu profitemur, corpus Christi saluatoris nostri nō nisi in cælo nunc, vnde denuò venturus est, esse, & salua veritate naturæ humanæ simul in cælo, & terra esse non posse, vt hæreticam, & Nestorianam damnat.

Thes. 160.

Philo. Itaseait Vigilius Martyr. Thes. 149.

His & similibus horrendis, non orthodoxorū, sed istius blasphemi disputatoris vocibus, à quibus toto pectore abhorreo, & omnes piæ mentes proculdubio abhorrent, aduentus Filij hominis ad iudicium accelerabitur: vt tandem veritatis assertores à suis calumniatoribus, & persecutoribus diuina Nemesi vindicentur. Huic ergo iustissimo iudici totam causam commendamus. Pium tamen lectorem, & cum primis optimos, & carissimos meos comilitones sacræ Theologiæ in hac perturbata Academia studiosos, per fidei & spei, & salutis nostræ caput, per Immanuelem, inquam, θεάνθρωπον, vnicum nostrum asylum, καὶ μεσίτην, καὶ ἱκέτην, obsecro, & obtestor, vt sine præiudicio hac qualiacunque hypomnemata nostrarum ἀντιθέσεων, quas impiis huius disputatoris fanatici Thesibus opponendas duxi, euoluant, & collationem instituant ὡς φρόνιμοι, νουνεχῶς, ἀλλ' οὐχ ὡς ἀνόητοι.

Quod si fecerint, non dubito, quin veritati orthodoxæ, quæ solidæ concordiæ basis est, abiectis sophistarum Strophis, vltrò sint astipulaturi.

Ad hæc animaduerte Iacobe Smideline,

Pacis autem, & concordiæ cum aduersariis ineundæ vnica hæc ratio superest, vt Scripturæ Canonicæ, quæ libros Prophetico s, & Apostolicos comprehendit, piè subscribant, vt tria Symbola Ecclesiæ Catholicæ sincera fide nobis-

& Selnec-cere.

cum amplexentur, vt realis idiomatum communicationis opiniones blasphemas dediscant, abiiciant, & detestentur: vt verbis Testamenti Christi, absque humana glossa, & commento vbiquitatis, credant simpliciter; vt mysteria cum miraculis confundere desinant, vt per Sacramenta, quae sunt fidei Christianae sigilla, historiam Symboli ne labefactent, vt iuratos Ecclesiae hostes à fratribus discernant, vt ab Anathemate aduersus innocentes, & nec auditos, nec erroris conuictos, abstineant, vt, quos Deus incommuni acie coniunxit, Lutherum, atque Philippum, praeceptores nostros perpetua obseruantia cultu dignissimos, ne diuellant: vt Magistratus politici clementia, & facilitate abuti desistant, vt simul personam iudicis & actoris agere erubescant, vt in aliorum conscientias inquirere ne praesumant, vt ad publica Synodi cognitionem suppliciter prouocantes exaudiant, vt corpus doctrinae in his Ecclesiis receptum, omniumq; rectè sentientium calculis approbatum, nobiscum sartum, tectum custodiant: vt iam iam ad iudicium reuersurum Filium Dei καρδιογνώστην, & vindicem reuereantur, & extimescant: vt conseruos absente domino ne verberent, vt Ecclesiam, Domini familiam, salutari doctrina pascant, non inanibus clamoribus perturbent. Et sic pax, atque concordia inter nos sincera facilè coalescet. Quod largiatur nobis Deus Pater, per Iesum Christum in virtute Spiritus sancti: cui sit laus, honor, & gloria in infinita aeternitatis secula

Amen, Amen.

SEQVVNTVR

SEQVVNTVR ALIQVOT TESTIMONIA LVTHERI, QVIBVS orthodoxa ſententia de perſona Chriſti, & ſacra Cœna rectè, & piè explicatur.

I.

De naturis in Chriſto ritè diſtinguendis, non diuellendis, nec confundendis.

Tom. 7. fol. 86. Man muß in der perſon Chriſti die zwo Naturen vnterſchiedlich theilen/ vnd doch die Perſon gantz/ vnd vngetrennet zuſammen laſſen/ daß/ was Chriſtus redet vnd thut/ das hat beide Gott vnd Menſch geredt/ vñ gethan/ vnd doch ein jedlichs nach der einen Natur. Wer ſolchen vnterſcheid helt/ der kan ſicher vnd recht fahren/ daß er ſich nicht laſſe jrre machen der Ketzer jrrige gedancken/ welche allein daher kommen/ daß ſie nicht recht zuſammen verfügen/ was zuſammen gehöret vnd eins iſt/ oder nicht recht von einander vnterſcheiden vnnd theilen/ was man vnterſcheiden ſoll.

II. De vero intellectu verborum inſtitutionis ſacræ cœnæ.

Tom. 2. Lat. de capt. Babil. Sic me ſeruabunt verba Chriſti, vbi dicitur: Accepit panem: gratias agens, fregit, & dixit, Accipite, manducate, hoc (id eſt, hic panis, quem acceperat, & fregerat) eſt corpus meum. Et Paulus: Nónne panis quem frangimus, participatio corporis Chriſti eſt? Non dicit, in pane eſt, ſed ipſe panis eſt participatio corporis Chriſti. Extat etiã Lutheri autographũ, quo diſertè affirmat, eos ſibi non ſatisfacere, qui dicunt in pane, ſub pane, & cum pane eſſe corpus Chriſti in Sacramento, ſed panem in Sacramento eſſe corpus Chriſti, & vinum eſſe ſanguinem Chriſti in Sacramento. *Idem contra Regem Angliæ:* Ex contextu ſermonis oſtendi, pronomen, HOC, ad panem referri. Nam textus ſic habet

Notate Vbiquiſta.

Accepit, benedixit, fregit, dedit, & dixit: Hoc est corpus meum: Vides hîc, quòd omnia illa verba: Accepit, benedixit, & fregit, de pane dicantur, & eundem demonstrat pronomen, *HOC*, quia idipsum, quod benedixit, fregit & dedit, Hoc inquam acceptum, benedictum, & fractum significatur, cum dicitur: Hoc est corpus meum: non prædicatum, sed subiectum demonstratur. Non enim corpus suum accepit, benedixit, & fregit, sed panem, ideo, Hoc, non demonstrat corpus, sed panem. Hæc sunt clara verba Christi, quæ *NEQVISSIMI SOPHISTAE OCCVLTANT*, & nudam illam propositionem vrgent, & simul clamant: verba sunt clara. *Ex hoc verborum Christi contextu, sicut ipse panis, quem Christus in manus accepit, fregit, & dedit, & non aliud quiddam vnà cum pane acceptum, fractum, & datum, corpus Christi esse dicitur: Ita nec τὸ ῥητὸν seruatur, nec æquipollens propositio, seu locutio est, cum verba Christi sic explicantur:* In, vel sub hoc pane realiter adest & existit corpus meum: *Sicut hoc perpetuò rectè senserunt Pontificij, & nunc idem constanter defendunt Iesuitæ.*

Notate hic Pseudo-Lutherani & Vbiquista.

III. Daß die Sacramenta sein eusserliche / sichtbarliche zeichen / Siegel / oder wie die Augsp. Confess. Anno 30. gethan / im 13. Artickel redet / zeugniß Göttliches willens gegen vns / an das wort gehefftet.

Lutherus im ersten Theil seiner Teutschen Bücher zu Jena gedruckt / in einer Sermon vom hochwürdigen Sacrament des heiligen wahren Leichnams Christi / am 101. blat. Zum ersten / das heilige Sacrament des Altars / vnd des heiligen wahren Leichnams Christi / hat auch drey ding / die man wissen muß. Das erste ist das Sacrament / oder Zeichen. Das ander / die bedeutung desselbigen Sacraments. Das dritte / der Glaube derselben beiden / wie deñ in einem jeglichen Sacrament / diese drey stück sein müssen. Das Sacrament muß eusserlich vnd sichtbärlich sein / in einer leiblichẽ form oder gestalt / die bedeutung muß jnnerlich vnnd geistlich sein / inn dem geist deß Menschen / der Glaube muß die beide zusammen / zu nutz / vnnd inn den brauch bringen.

Diser drey dingen keins ist die leibliche gegenwerigkeit im brot.

In gemeltem Buch / in einer Sermon von dem newen Testament / am 332. blat. Denn wir arme Menschen / weil wir in den fünff Sinnen leben / müssen je zum wenigsten ein eusserlich Zeichen haben neben den worten / daran wir vns halten / vnd zusammen

sammen kommen mögen/ doch also/ daß dasselb zeichen ein Sacrament sey/ das ist/ daß es eusserlich sey/ vnd doch geistliche ding habe vnd bedeute/ damit wir durch das eusserliche/ in das geistliche gezogen werden/ das eusserliche mit den Augen des leibes/ das geistliche jnnerlich mit den Augen des hertzen begreiffen. Dieser dingen keins/ ist die leibliche gegenwertigkeit im brot.

Im dritten Theil seiner Teutschen Bücher zu Jena gedruckt/ Im andern Theil wider die himlischen Propheten/ am 60. blat. So nun Gott sein heiliges Euangelium hat auß lassen gehen/ handelt er mit vns auff zweyerley weise/ Einmal eusserlich/ das andermal jnnerlich. Eusserlich handelt er mit vns durchs Mündliche wort des Euangelij/ vnd durch die leibliche zeichen/ als da ist/ Tauff/ vnd Sacrament. Jnnerlich handelt er mit vns durch den heiligen Geist/ vnd Glauben/ sampt andern gaben.

Item: Tom. 1. Germ. Ien. Im Buch/ Grund vnnd vrsachen aller Artickel/ so durch die Römische Bulla vnrechtlich verdampt sein/ am 403. blat. Nun handelt Gott mit vns nicht anders/ wie wir sehen offentlich/ deñ mit seinem heiligen wort vnd Sacrament/ welche seind gleich wie zeichen/ oder Sigel seiner wort. Diß kan auff die leibliche gegẽwertigkeit nicht gezogen werdẽ.

Item: Apologia Confess. Augustanæ Art. 13. Wie das wort inn die ohren gehet/ also ist das eusserliche zeichen für die Augen gestalt/ als inwendig das hertz zu reitzen vnnd zubewegen zum Glauben/ deñ das wort vnd eusserlich zeichen/ wircken einerley im hertzen.

IIII. De cognatione vtriusque Testamenti Sacramentorum.

In der Kirchen Postill vber die Epistel am Sontag Septuagesimæ 1. Cor. 10. fol. 229. a. Es ist allenthalben einerley Glaube vnd Geist/ ob wol anderley zeichen vnd wort seind. Die zeichen vnd wort werden wol von zeit zu zeit anders/ vnd anders gegeben/ aber es bleibt doch einerley Glaube an denselbigen einigen Gott/ der durch mancherley zeichen vnnd wort/ zu mancherley zeit/ einerley Glauben vnd Geist gibt/ vnd durch denselbigen auch einerley vergebung der Sünde/ erlösung vom Todt/ vnd seligkeit in allen Heiligen wircket/ sie seyen am anfang/ mittel/ oder end der welt.

Das meinet hie S. Paulus/ daß die Vätter haben eben dieselbige Speise gessen/ vnnd denselbigen Tranck getruncken mit vns/ doch thut er das wörtlin: Geistlich/ dazu/ dann eusserlich

vnd leiblich hatten sie andere zeichen vnd wort / deñ wir / aber es ben denselbigen Geist vnd Glauben Christi / den wir haben.

V. Quòd manducatio corporis Christi non fiat sine fide.

In assertione contra Bullam Leonis: In omni Sacramento est verbum promissionis diuinæ, quod affirmatiue promittit & exhibet gratiam Dei, ei qui suscipit Sacramentum: vbicunq; autem Deus promittit, ibi exigitur fides audientis. Quare in Sacramentis suscipiendis necessaria est fides, quæ credat in id quod promittitur: Sic in Baptismo datur salus in verbo istius promissionis: Qui crediderit & baptisatus fuerit, saluus erit. Ergo necesse est vt baptisatus credat, se saluum fore, vt baptisatus fuerit. Sic in Sacramento panis datur corpus Christi, *in verbo illius promißionis:* Accipite & manducate: Hoc est corpus meũ, quod pro vobis traditur. Oportet ergo manducantem omnino & firmiter credere, corpus Christi non tantùm pro aliis, sed & pro sese datum: Et sanguinem Christi pro se effusum esse in remissionem peccatorum, sicut *verba promißionis* aperte sonant, alioqui deridebit *promissionem istam* Christi, & iudicium sibi manducabit. Ex quibus euidens est, necessariam esse fidem suscipienti Sacramentum, quo se credat consecuturum id, quod *Sacramentum promittit, ac donat*, vt sic verum sit, non sacramentum, sed fides sacramenti iustificat. *Item in Sermone de morte & praparatione ad Eucharistiam:* Sacramenta nihil aliud sunt, quàm signa, quæ fidem confirmant, quæque nos ad credendum inuitant, & sine fide nihil prosunt. Proinde sid veneranda sunt sacramenta, vt credamus vera esse, atque etiam nobis donari omnia illa, quæ per *sacramentum significantur*, vt cum Maria dicere possimus: Fiat mihi secundum verba & signa tua: *Tantum enim accipies, quantum credis;* sicut Christus ait: Fiat tibi sicut credidisti. Item: Tunc rectè vtemur sacramento, vbi crediderimus vera esse illa, quæ per sacramenta nobis verbum Dei *promittit*.

Quòd si in omni Sacramento sunt verba diuinæ promißionis, eaq; communis est omnium Sacramentorum ratio, quòd sint signa promißionum, quæ quod significant, promittunt, & quod promittunt, exhibent, atque sic verba Dominicæ cœnæ sunt verba promißionis, addita signo, quæ fidem requirunt, & sine fide non prosunt: quid aliud hinc inferri, aut consequens esse potest, quàm

Idem in Apologia Confeß. Augu.

Verba cœnæ sunt verba promißionis, quare quirunt fidem.

Vera Sacramẽti fides.

Sacramenta promittunt quod significant. Ergo non sunt ipsa res signata.

Ex hoc fundamẽto destruitur corporalis præsentia & manducatio.

Ergo etiam sunt signa rerum promissarum easq; significans.

modum

modum & rationem præsentiæ & exhibitionis corporis & sanguinis Christi in cœna, ex diuina promissionis virtute æstimandam, solaq; fide accipiendam esse. Sicut enim ipsa promissio: ita quoque res promissa, non nisi fide accipi in Sacramento potest. Hic quid respondeant, atq; etiam respondere constanter possint aduersarij, non sine magno desiderio libet intelligere.

Modus præsentiæ rerū in Sacramentis, est secundum promissionem.

Im vorigen Sermon/Sontag Septuagesimæ. Sie truncken von dem geistlichen Felsen/der mit folget/welcher war Christus/das ist/sie glaubten an denselbigen Christum/da wir an glauben/wiewol er noch nicht ins Fleisch kommen war/sondern hernach kommen solt/vnd solches jhres glaubens zeichen/war der leibliche Felß/da sie Wasser auß truncken/leiblich/gleich wie wir an dem leiblichen Brot vnd Wein auff dem Altar/essen vnd trincken den wahrē Christum geistlich/das ist/im essen vñ trincken eusserlich/vben wir den Glauben jnnerlich/deñ wo jene nit herten Gottes wort vnd Glauben gehabt/da sie wasser auß dem Felsen truncke/so were es jnen kein nutz gewesen an der Seelen. Also hülff es vns auch nichts/daß wir Brot vnd Wein one glauben vom Altar nemen/ja/wo nicht dort bey dem Felsen were Gottes wort zuvor gewesen/so hette der Felß nimmer kein wasser/noch vrsach zu glauben gegeben. Vnd wo hie auch nicht das wort Gottes bey dem brot vnd wein were/möchte es kein geistliche Speise sein/noch den glauben vben.

Sacramēt sein Glaubens zeichen.

Christus wird im Sacramēt geistlich gessen.

Jtem im Sermon vom Sacrament/vnnd Bruderschafft. Tom. Ien. Germ. 1. fol. 205. b. Also halten wir/daß das brot der leib/vnd der Wein das Blut Christi sey/darumb daß die Augen ein anders sehen/vnnd der gläube/durch anleitung des worts/ein anders gleubet. Welches er durch dergleichen exempel erklert: als wenn eine Statt einem Burger ein zeichen/Handtschrifft/oder sonst eine losung gebe/daß er gewiß vnd versichert sey/er soll der Statt burger/vnd derselben gliedmaß sein/auch aller ehren/freiheit/handels/brauch/sitten/hülff/beystandt/vnnd dergleichen recht vnnd gemeinschafft geniessen. Senn eben also werde auch im Sacrament des Brots vnnd Weins dem Menschen ein gewiß zeichen von Gott selber durch den Priester gegeben/daß er mit Christo/vnd seinē heiligen soll also vereiniget/vnnd jhm alleding gemein sein/daß Christi leiden vnd leben sein eigen sey. Denn diß alles werde in diesem Sacrament/als in einem gewissen zeichen/dardurch wir mit Christo

Wie das brot der leib Christi sey.

vereiniget/ vnd einverleibt/ auch aller seiner güter theilhafftig sein/ verheissen vnd gegeben.

VI. Refutatio manducationis oralis.

Ibidem, In der Kirchenpostill fol. 62. b. vber die Epistel am Christag/ Tit. 2. Denn sein geben für dich/ mag auff keine andere weise dich reinigen vnd gerecht machen/ denn durch solchen Glauben/ wie S. Peter sagt/ Actor. am 15. durch den Glauben macher er die hertzen rein. Darumb siehestu auch/ daß man dir Christum gibt nicht in die hand/ legt jn nicht in den kasten/ steckt dir jn nicht in den busen/ gibt dir jn nicht ins maul/ sondern man tregt dir jn für/ allein mit dem wort vnd Euangelio/ vnd helt jn durch deine ohren für dein hertz/ vñ beut dir jn an/ als den/ der für dich/ für deine vngerechtigkeit/ für deine vnreinigkeit sich gegeben hat/ darzuñ kanstu jn auch mit keinen andn/ deñ mit dem hertzen auffnemen/ das thustu/ wañ du auffthust vñ sprichst mit hertzen/ Ja ich gleube es sey also. Siehe/ also gehet er durchs Euangeliñ zu den Ohren ein in dein hertz/ vñ wohnet alda durch deine gleuben. Da bistu deñ rein vnd gerecht/ nit durch dein thun/ sondern durch den Gast/ den du im hertzen durch den Glauben hast empfangen. Siehe/ wie reiche/ köstliche güter das sind.

Christus wird allein mit dem hertzen gefasset.

Wie der glaube gerecht machet.

Item in gemelter Postill/ im Sermon vom Sacrament/ fol. 275. a. Wenn du nun das Sacrament geholet hast/ so gehe fort/ vnd vbe deinen glauben/ da dienet das Sacrament zu/ daß du deñ könntest sagen/ da habich offentlich das wort/ daß mir die sünde vergeben sind/ dazu auch das offentlich zeichen in meinen mundt genommen/ das kan ich bezeugen/ wie ichs auch offentlich bekant habe für dem Teuffel vnd aller welt.

Der leib Christi im brot ist kein zeichē.

Et ibidem, vber das Euangelium Joannis 6. am tage des heiligen Fronleichnams Christi/ fol. 14. b. im ende des Sommertheils. Das Essen vnd Trincken ist nichts anders/ denn gleuben an den HERRen Christum/ der sein fleisch vnd Blut vnserthalben dargeben hat/ auff daß er vns von Sünd/ todt/ Teuffel/ helle vnd allem vnglück erlöset. Solcher glaube kan nimmermehr one leben zugehen.

Wie Christi Leib im Sacramēt gessen werde.

Vnd bald darauff: Derhalben geschicht das essen im hertzen/ vnd nicht mit dem maul. Das essen im hertzen betreugt nicht/ aber das essen mit dem maul das betreuget/ das essen mit dem maul höret auff/ das ander aber weret ewig ohne vnterlaß/ denn das

herr

hertz nehret vnd weidet sich stets in dem glauben an Christum.

VII. De manducatione Indignorum.

Tom. Ien. Germ. V. in nonam literam Psalmi Alphabetarij CXI. fol. 212. Er gibt speise denen die jhn förchten: hie fehet er an zu beschreiben/ wie das gedechtniß Christi zugehet/ vnd was man drinnen thut. Erstlich dancket er/ daß Gott speise gibt/ vnd eine solche speise/ die für die Gottsfürchtigen dienet/ vñ nicht für den bauch. Es ist zwar leiblich Brot/ vnd Wein da/ vnd eine leibliche speise/ Aber es speiset nicht den leib/ sondern die Seele/ denn es ist nicht schlecht leiblich Brot vnd Wein/ sondern der wahre leib/ vnd blut Christi/ wie er spricht: Das ist mein Leib/ das ist mein Blut/ durch sein wort dazu verordnet/ daß es die Seele im Glauben der den speisen soll zum ewigen Leben. Vnd ist ein nötiger zusatz/ daß er spricht/ Die jhn fürchten/ vmb der wüsten/ rohen leut willen/ welche der gnaden Gottes brauchen zu jhrem mutwillen/ vñ zum deckel jrer boßheit/ lauffen hinzu mit vnuernunfft/ one zucht vnd schew/ wie die Sew zum troge. Ach/ sprechen sie/ ists eitel genade/ vnnd barmhertzigkeit/ so wil ich auch hinzu gehen/ darff mich nicht fürchten/ er wird mich nicht fressen/ gerade/ als were das Sacrament zum fürwitz/ oder Spiel gestifftet/ denn sie haben weder hunger noch durst nach der gnaden/ achten der Sünden nichts/ bessern sich auch nichts/ seind sicher/ vnd one trübsal in gutem leichten mut. Solche rohe vnnd vnbußfertige hertzen finden diese speise nicht/ ob sie gleich das Sacrament empfähen/ sondern es müssen sein die Gott fürchten/ das ist/ die sich fürchten für seinem drewen vnd zorn/ die betrübt/ vnnd beschwert gemüt haben.

Im brot des Nachtmals wird nicht ein leibliche/ sonder der Seelen speiß gegeben. *Nota bene.*

Vnbußfertige finden die wahre speise im Sacramẽt nicht.

Hæc pauca Testimonia de vera Lutheri sententia, quam multis in locis ille professus, hic appendicis loco subiecisse sufficiat: cum plura ex eodem colligi potuissent, & iam pridem ab aliis collecta, & publicata sint.

Qui cacutit, cacutiat adhuc.

ERRATA SIC CORRIGITO.

Folio 50. *Linea* 31 *Lege factum. f.* 35. *l.* 14. *Synodi Chal. f.* 22. *l.* 4. *mysterium. f.* 98. *l.* 22. *tantùm f.* 109. *l.* 23. *indignus. f.* 113. *l.* 5. *deificata est. ibid. l.* 33. *humanam naturam f.* 118. *l.* 6. *non magis. f.* 160. *l.* 25 *& cõmunicantis. f.* 187. *l.* 7. *Verbi factionẽ. f.* 188. *l.* 32. *eandem. f.* 189. *l.* 32. *sentiant, intelligere. f.* 205. *l.* 10 *Etsi Verò. f.* 221 *l.* 11. *Stramque f.* 222. *l.* 29, *expo. scribit. f.* 229. *l.* 5. *cõmunicatum. f.* 248. *l.* 27. *quod pars. fol.* 259. *lin.* 4 *tectum Vel tantum. fol.* 273. *lin.* 27. *Voluerunt.*